REGULA S. AUGUSTINI ET CONSTITUTIONES FR. ORDINIS PRAEDICATORUM...

Domenicani, Aurelius santo Augustinus, Antonin Cloché, ...

Digitized by Google

Ex Libris P Lud. Saccheri


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 M
M22

REGULA S. AUGUSTINI
ET
CONSTITUTIONES
FR. ORDINIS PRÆDICATORUM

Nunc recenter impreſſæ

Iuſſu Reuerendiſs. Patris ANTONINI CLOCHE,
eiusdem Ordinis Magiſtri Generalis.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, M.DC.XC.

Typis Nicolai Angeli Tinaſſij. *Superiorum permiſſu.*

FR. ANTONINVS
C L O C H E

Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

Vniverſis, & ſingulis ejuſdem Ordinis Patribus, ac Fratribus ſalutem in Domino, ac ſollicitam Legum noſtrarum cuſtodiam.

INTER plurima, quæ pro ſtabiliendo magis Ordinis noſtri communi bono, in præterito proximè Capitulo à Patribus propoſita, & neceſſaria exiſtimata ſunt, illud non poſtremum omnibus viſum eſt: ut nova Conſtitutionum noſtrarum editio ſtudioſiſſimè curaretur; cùm jàm diſtractis aliarum omnium editionum exemplaribus, jàmque uſu conſumptis, perpauca, in quibus Religioſi ſuas Leges addiſcant, reperiantur. Hinc etiam ſperandum fore exiſtimatum eſt, ut facilius refectis quarumdam Provinciarum,

vel Conventuum pravis conſuetudinibus, ad uniformem obſervantiam omnes revocarentur; ſi exhibitis novis, majorique numero exemplaribus, nedùm Provinciarum, Conventuumque Superiores, ſed & Religioſi ſinguli, in his legendis, in iiſque meditandis majori ſtudio incumbant; & Superiores regendi rationem, ac ſinguli vitam ſuam ad eam normam componant. Hanc igitur inter primas regiminis noſtri curas habuimus, ut communibus omnium Patrum Capituli votis, quamprimùm ſatisfieret, & Conſtitutiones uſui veſtro ſubiicerentur: in quibus hoc præcipuè præſtitum eſt; ut citationes Capitulorum, quibus Gloſſæ contextæ ſunt, adnotatis ſumma diligentia, nec ſine ingenti labore Capitulis, locis, & annis, quibus habita ſunt, quàm exactiſſimè reſtituerentur. Acceſſit & novum Magiſtrorum Ordinis Chronicon, quod non ſolùm faciliori methodo, ac diſpoſitio-

tione adornatum eſt, verùm & cui Indicem rerum ſingularium, quæ in eo continentur, pro majori legentium opportunitate ſubnecti curavimus. Quid aliud jàm ſupereſt Patres, ac Fratres in Chriſto dilectiſſimi, niſi ut primùm quidem Legem, quam vos ſervaturos eſtis polliciti, vobis exhibitam, ſummo affectu, promptaque voluntate legendam amplectamini, ac deindè in ea ſedulo meditemini; veſtros mores, actuſque, ac vitam omnem ad eam regulam compoſituri. *Voluntatem enim* (inquit Divus Ambroſius) *prius in lege habere neceſſe eſt, meditationem ſecundùm legem: nec ſolùm in ſtudio, ſed in facto habenda eſt; neque enim tam continua Legum poſtulatur intentio, quàm ſervandæ legis affectus*. Sed ut illud perpetuò menti veſtræ obverſetur, optamus: voluntatis fuiſſe, quod cùm legem vos ſervaturos eſſe profeſſi fueritis emiſſa profeſſione, ac promiſſione facta, neceſſitatis eſſe ut ſervetis. In Pſ.1.

 Non

Epiſt. 41. *Non enim* (inquit Divus Auguſtinus) *talis eris, ſi non feceris, quod voviſti, qualis manſiſſes, ſi nihil tale voviſſes. Minor enim tunc eſſes, non pejor. Modò autem tantò, quod abſit miſerior, ſi fidem Deo fregeris, quantò beatior ſi perſolveris*. Non effluant

Prov. 4.

quocircà hæc ab oculis veſtris, tenete diſciplinam, & cuſtodite illam, quia ipſa eſt vita veſtra. Diligite illam, & conſervabit vos æterna mercede remunerandos. Valete in Chriſto Patres, ac Fratres chariſſimi, noſtroſque in bono Religionis promovendo, ſtabiliendo, ac conſervando conatus, veſtris orationibus adiuvate. Dat. Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam die 13. Aprilis 1690.

Fr. Antoninus Cloche
Magiſter Ordinis.

Fr. Paulinus Bernardinius Mag. & Socius.

FR.

FR. VINCENTIVS BANDELLVS

DE CASTRO NOVO.

Totius Ordinis Prædicatorum humilis Generalis Magiſter, & Seruus

Vniuerſis, & ſingulis præfati Ordinis Profeſſoribus ſalutem, & ſpiritum obedientiæ ſalutarem.

DEmandatum humeris meis totius Ordinis noſtri regiminis honorem, ne onus dixerim; mea pro virili integerrime adminiſtrare, Ordinique tantum prodeſſe (quantum diuina opitulante gratia mihi dabitur) maximopere affectans, quid potiſſimum, vt tam pium, ſanctumque deſiderium ad optata ducatur faciendum ſit, non plane video: niſi vt maiorum noſtrorum leges, inſtituta, atque ſanctiones, quæ hactenus in Ordine emanarunt ad vnguem illibate impleantur. Fieri enim tunc facillime poterit, vt antiquus ille Religionis noſter decor, majeſtas, & ſplendor, quem in priſcis illis Patribus, qui Ordinis optima iecere fundamenta, vera, & conſtanti fama corruſcaſſe dedicimus, etiam noſtris temporibus aliqua ex parte in nobis eluceſcat. Equidem etſi longe a priorum perfectione diſtemus, nullaque, vel ferme modica (quod non ſine ingenti animi cruciatu ſcribo) noſtra tempeſtate Regulæ, ac Conſtitutionum obſervantia in plurimis Ordinis profeſſoribus reperiatur: non ita tamen a recto exorbitavimus; quin reverti in viam Patrum noſtrorum (modo pectus, animuſque veram religionem ſitiat) e veſtigio valeamus. Ea propter, vt obſervantiæ candor, divini amoris fervor, ardens ad commune bonum, veramque pacem flagrantiſſima charitas, ſine cunctatione obedientia, nives, puruſque mentis, ac corporis cœlibatus, atque rerum omnium temporanearum exactiſſima

nuditas, ſub meo regimine aliquantulum reſtaurentur; dum Italiam, Galliam, Hiſpanias, parteſque inferioris Germaniæ, Ordinem pro communi bono viſitando, multis circumdatus diſcriminibus peragrarem; multorum Capitulorum Generalium acta, & Ordinationes, quæ in diverſorum Conuentuum ſcriniis deliteſcebant Mediolanum detuli, atque ex ipſis ſuper Conſtitutionum noſtrarum ſententiis dubiis declarationes conflaui, ipſaſque Conſtitutiones plurimis in locis mutilatas, & truncas ad plenum, & perfecte correxi. Nonnullæ enim ordinationes, quæ tria continua Generalia Capitula ſortitæ fuerant, vim Conſtitutionis habebant: quæ tamen Prælatorum inſcitia, & incuria in Conſtitutionibus hactenus haud erunt inſertæ. Quo igitur Fratres omnes ad libitum, & emendatiſſimas Conſtitutiones, earumque declarationes præ manibus habere poſſint, illas imprimi, in milleque exemplaria traduci curavi: præcipiens in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis Conventuum Ordinis noſtri Præſidentibus: ut ſuas Conſtitutiones cum his noſtris conferant, emendentque, ubi emendatione opus fuerit. Iam finem faciam, ne Epiſtolæ modum excedam: ſi prius tamen univerſos, & ſingulos Ordinis Fratres admonuerim; ut jugi meditatione attentius conſiderent, quem in locum, & ad quid venerint. Facile enim ſpretis mundi illecebris Religionem amplexabuntur, ſi hac diligentius cogitauerint, penſaverintque. Valete.

INCIPIT
REGVLA
B. AVGVSTINI
EPISCOPI.

ANtè omnia, Fratres chariſſimi, diligatur Deus, deindè proximus, quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Hæc igitur ſunt quæ ut obſervetis præcipimus, in Monaſterio conſtituti. Primùm propter quod in unum eſtis congregati, ut unanimes habitetis in Domino: & in vobis anima una, & cor unum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium; ſed ſint vobis omnia communia. Et diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus, & tegumentum; non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, ſed potiùs unicuique prout cuique opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apoſtolorum, quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique prout cuique opus erat. Qui verò aliquid habebant in ſeculo, quando ingreſſi fuerint Monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt.

Sed tamen eorum infirmitati quod opus eſt tribuatur, etiam ſi paupertas eorum quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat invenire. Non tamen ideò putent ſe eſſe felices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, quale foris invenire non potuerunt. Nec erigant ceruicem quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, ſed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant: ne incipiant Monaſteria diuitibus eſſe utilia, non pauperibus; ſi divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rurſus etiam illi, qui aliquid videbantur eſſe in ſeculo, non habeant faſtidio Fratres ſuos, qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum Fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerunt, nec de ſuis diuitiis magis ſuperbiant, quia eas in Monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſeculo fruerentur. Alia quippè quæcunq iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant, ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, ut pereant. Et quid prodeſt diſpergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cùm anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat poſſidendo? Omnes ergo unanimiter, & concorditer viuite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti eſtis.

Orationibus inſtate horis, & temporibus conſtitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, undè & nomen accepit: ut ſi fortè ali-

qui

qui etiam præter horas conſtitutas (ſi eis vacat) orare voluerint; non eis ſint impedimento, qui ſibi aliquid agendum putaverint. Pſalmis, & Hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum. Quod autem non ità ſcriptum eſt ut cantetur, non cantetur.

Carnem veſtram domate ieiunijs, & abſtinentia eſcæ,& potus, quantùm valetudo permittit. Quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extrà horam prandij aliquid alimentorum ſumat, niſi cùm ægrotat. Cùm acceditis ad menſam, donec indè ſurgatis, quod vobis ſecundùm conſuetudinem legitur,ſine tumultu, & contentione audite: ne ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant verbum Dei. Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu; non debet aliis moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri eis, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia ſumunt quod non ſumunt ipſi, ſed ſibi potiùs gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorumue datur, quod aliis fortioribus, & ideò felicioribus non datur: cogitari debent quibus non datur, quantum de ſua ſeculari vita illi ad iſtam deſcenderint, *quamvis* vſque ad aliorum, qui ſunt corpore fir-*miores* frugalitatem, pervenire non potuerint: *debent* velle omnes, quòd paucos vident amplius

(non quia honorantur, ſed quia tolerantur) accipere, ne contingat deteſtanda peruerſitas : ut in Monaſterio, ubi quantùm poſſunt fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati. Sanè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minùs accipere ne grauentur, ità & poſt ægritudinem ſic tractandi ſuut, vt citiùs recreentur : etiam ſi de humillima ſeculi paupertate venerint; tamquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. Sed cùm vires priſtinas reparauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tantò ampliùs decet, quantò minùs indigent, ne cibi eos teneat voluptas iàm vegetatos, quos neceſſitas levarat infirmos. Illos ſanè exiſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Melius eſt enim minùs egēre, quàm plus habere. Non ſit notabilis Habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Quando proceditis ſimul ambulate, cùm veneritis quò itis, ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, Habitu, & in omnibus motibus veſtris, nihil fiat quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Oculi veſtri, etſi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur. Neque enim quando proceditis fœminas videre prohibemini; ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tactu, & affectu, ſed & aſpectu quoque appetitur, & appetit, concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habetis oculos impudicos : quia impudicus oculus

lus, impudici cordis eſt nuncius. Et cùm ſe inuicem ſibimet etiam tacente lingua, conſpectu mutuo, corda nunciant impudica; & ſecundùm concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet qui in fœminam figit oculum, & illius in ſeipſum diligit fixum, ab aliis ſe non videri, cum hoc facit. Videtur omninò, & à quibus ſe videri non arbitratur. Sed etſi lateat, & à nemine hominum videatur: quid faciet de illo deſuper inſpectore, quem latēre nihil poteſt? An ideò putandus eſt non videre, quia tantò videt patientiùs, quantò ſapientiùs? Illi ergo vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius namque & in hac cauſa commendatus eſt timor, ubi ſcriptum eſt. Abominatio eſt Domino, defigens oculum. Quando ergo ſimul eſtis in Eccleſia, vel vbicumque fœminæ ſunt, invicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus enim qui habitat in vobīs, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.

Et ſi hanc de qua loquor oculi petulantiam in aliquo veſtrum aduerteritis, ſtatim admonete ne malè cæpta progrediantur, ſed de proximo corrigantur. Si autem & poſt admonitionem iterùm, vel alio quoque die idipſum eum facere videritis, jàm velut vulneratum ſanandum prodat, quicumque hoc potuerit invenire. Priùs tamen eſt iterì, vel tertio demonſtrandum, ut duorum, vel trium

poſſit

poſſit ore convinci, & competenti ſeveritate coerceri. Nec vos iudicetis eſſe malevolos, quando hoc indicatis. Magis quippè innocentes non eſtis, ſi Fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim Frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dùm timet ſecari; nonne crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur. Quantò ergò potiùs debes manifeſtare, ne deteriùs putreſcat in corde? Sed antequàm aliis demonſtretur, per quos convincendus eſt ſi negaverit, priùs Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi: ut fortè poſſit ſecretiùs correctus, non innoteſcere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi ſunt alii (etiam coram omnibus) vt poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus convinci. Convictus verò, ſecundùm Præpoſiti, vel etiam Presbyteri (ad cujus diſpenſationem pertinet) arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam. Quam ſi ferre recuſaverit (etiam ſi ipſe non abſceſſerit) de veſtra ſocietate proiiciatur. Non enim hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat. Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis, iudicandiſque peccatis, diligenter, & fideliter obſervetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quicumque autem in tantum progreſſus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo, vel quolibet munus acceperit; ſi hoc vltrò confitetur,

pa-

parcatur illi, & oretur pro eo . Si autem deprehenditur, & convincitur, ſecundùm arbitrium Presbyteri ; vel Præpoſiti graviùs emendetur .

Veſtes veſtras in vnum habeatis ſub vno cuſtode , vel duobus , vel quot ſufficere poſſint ad eas excutiendas , ne à tinea lædantur . Et ſicut paſcimini ex uno cellario , ſic induamini ex uno veſtiario . Si fieri poteſt , ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur , vtrum hoc recipiat vnuſquiſque quod depoſuerat , an aliud , quod alter habuerat ; dum tamen vnicuique , prout cuique opus eſt , non negetur . Si autem hinc inter vos contentiones , & murmura oriuntur, & conquæritur aliquis ſe deteriùs accepiſſe , quàm priùs habuerat , & indignum ſe eſſe , quod non ità veſtiatur, ſicut alius Frater veſtiebatur : hinc vos probate quantum vobis deſit in illo interiori ſancto habitu cordis , qui pro Habitu corporis litigatis . Tamen ſi veſtra toleratur infirmitas , ut hoc recipiatis , quod poſueritis ; in vno tamen loco , ſub communibus cuſtodibus habete quod ponitis : ità ſanè , quod nullus ſibi aliquid operetur ; ſed omnia opera veſtra in vnum fiant , maiori ſtudio , & frequentiori alacritate , quàm ſi vobis ſingulis propria faceretis . Charitas enim , de qua ſcriptum eſt , quod non quærit ; quæ ſua ſunt , ſic intelligitur ; quia communia propriis , non propria communibus anteponit . Et ideò quantò ampliùs rem communem , quàm propria veſtra curaveritis , tantò ampliùs vos proficere no-

ve-

veritis : ut in omnibus quibus vtitur tranſitoria neceſſitas, ſupereminent, quæ permanet charitas. Conſequens ergo eſt, vt etiam cùm quis filiis ſuis, aut aliqua neceſſitudine ad ſe pertinentibus, in Monaſterio conſtitutis, aliquam contulerit veſtem, ſive quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum: non occultè accipiatur, ſed ſit in poteſtate Præpoſiti; vt in rem communem redactum, cui neceſſe fuit præbeatur. Quod ſi aliquis rem ſibi collatam celaverit, furti iudicio condemnetur.

Indumenta veſtra ſecundùm arbitrium Præpoſiti laventur, ſive à vobis, ſive à fullonibus, ne interiores animæ ſordes contrahat, mundæ veſtis nimiùs appetitus. Lavacrum etiam corpori cùm infirmitatis neceſſitas cogit, minimè denegetur. Fiat ſine murmure de conſilio Medicinæ, ità ut (etiam ſi nolit) jubente Præpoſito faciat, quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem velit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim (etiam ſi noceat) prodeſſe creditur, quod delectat. Denique ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicenti quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur. Sed tamen vtrum ſanando illi dolori, quod delectat, expediat, ſi non eſt certum, Medicus conſulatur. Nec eant ad balnea, ſive quocumque ire neceſſe fuerit, minus, quàm duo, vel tres. Et ille, qui habet aliquò eundi neceſſitatem, cum quibus Præpoſitus juſſerit ire debet. Ægrotantium cura, ſive poſt ægritudinem reficiendorum, ſive aliqua imbecillitate (etiam ſine febri-

bus

bus laborantium , vni alicui debet iniungi , vt ipſe de Cellario petat , quod cuique opus eſſe proſpexerit . Sive autem, qui Cellario, ſive qui veſtibus, ſive qui codicibus præponuntur , ſine murmure ſerviant Fratribus ſuis . Codices certa hora ſingulis diebus petantur . Extra horam , qui petierit , non accipiat . Veſtimenta verò , & calceamenta , quando fuerint indigentibus neceſſaria , dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur.

Lites , aut nullas habeatis , aut quàm celerrimè finiatis : ne ira creſcat in odium , & trabem faciat de feſtuca , & animam faciat homicidam . Sic enim legitis : Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Quicumque convicio , vel maledicto , vel etiam criminis obiectu aliquem læſerit , meminerit ſatisfactionem quantocius curare , quod fecit , & ille , qui læſus eſt , ſine diſceptatione dimittere . Si autem invicem ſe læſerint , invicem ſibi debita relaxare debent propter orationes veſtras ; quas utique quantò crebriores habetis , tantò ſanctiores habere debetis . Melior eſt autem, qui quamquam ira ſæpe tentetur , tamen impetrare feſtinat , vt ſibi dimittat , cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam , quàm qui tardiùs iraſcitur , & ad petendam veniam tardiùs inclinatur . Qui autem numquam vult petere veniam , aut non ex animo petit , ſine cauſa eſt in Monaſterio , etiam ſi indè non proijciatur . Proinde vobis à verbis durioribus parcite . Quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro , non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta , vndè facta ſunt vulnera .

nera. Quando autem neceſſitas diſciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, etiam ſi ipſi modum vos exceſſiſſe ſentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis ſubditis veniam poſtuletis; ne apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dùm nimiùm ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino, qui novit eos, quos plus iuſto forte corripitis, quanta benevolentia diligatis. Non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.

Præpoſito tamquàm patri obediatur, multò magis Presbytero; qui omnium veſtrum curam gerit. Vt ergo cuncta iſta ſerventur, & ſi quid minus ſeruatum fuerit, non negligenter prætereatur, ſed vt emendandum, corrigendumque curetur: ad Præpoſitum præcipuè pertinebit, vt ad Præsbyterum, cujus eſt apud vos maior authoritas referat, quod vires, vel modum eius excedit. Ipſe verò, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente felicem. Honore coram vobis Prælatus ſit vobis, timore coram Deo ſubſtratus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Diſciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamvis utrumque ſit neceſſarium, tamen plùs amari à vobis appetat, quàm timeri; ſemper cogitans Deo ſe pro vobis redditurum eſſe rationem. Vndè & vos magis obedien-

diendo, non ſolùm veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini: qui inter vos quantò in loco ſuperiori, tantò in periculo maiori verſatur.

Donet Dominus vt obſervetis hæc omnia, tamquàm ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona veſtra converſatione fragrantes; non ſicut ſervi ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti. Vt autem vos in libello hoc tamquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, ne per oblivionem aliquid negligatur, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbi vos inveneritis ea, quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem ſibi quicumque veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caveat de futuro; orans vt ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.

Explicit Regula B. Auguſtini Epiſcopi.

Reimprimantur,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſtro ſacri Palatii Apoſtolici. Datum Romæ hac die 10. menſis Septembris 1689.

Stephanus Ioſeph Menattus Epiſc. Cyren. Vicesger.

Reimprimantur,

Fr. Thomas Maria Ferrari ſacri Palatii Apoſtol. Magiſter, Ordinis Prædicat.

PROLOGVS IN LIBRVM CONSTITVTIONVM Fratrum Ordinis Prædicatorum.

CUPIENTES nonnulla loca Conſtitutionum noſtri Ordinis Prædicatorum declarare, á titulo exordium ſumendum eſſe cenſemus: declarantes, quod hoc Nomen PRÆDICATORUM, fuit Ordini noſtro impoſitum à Papa Innocentio III. per literas, quas direxit Beato Patri DOMINICO, & Sociis ejus: & ab HONORIO III. fuit hoc nomen approbatum, & à Gregorio IX. in Bulla Canonizationis Beatiſs. Patris DOMINICI confirmatum; ac demùm ab aliis Pontificibus commendatum: qui miris laudibus, & præclariſſimis privilegiis prædictum Ordinem exornarunt. Vnde Dominus Alexander IV. in laudem, & commendationem præfati Ordinis ſic dixit. Cœleſtis ille Agricola ſummus auctor fidei, præcipuuſque protector, ſacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem, quaſi lignum fertile in Eccleſiæ Paradiſo inſeruit, ut delectaret amœnitate, ubertate ſatiaret, & fructuum ſuavitate mulceret. Hoc itaque ſpecioſum, fœcundum, ac dulce lignum, imbre ſuperno irrigatum, pulchrà plurima, ac dulcia poma profert: quorum odore, ac ſapore confortantur, & conualeſcunt debiles, variiſque detenti languoribus liberantur. In hoc utique vitæ ligno mortales homines carnis infirmitatibus prægravati, pabulum ſalutis inveniunt, & internam recipiunt ſoſpitatem. Hujus inquam ligni percepta fragrantia, undique ad libamen ipſius concurrunt innumeri Profeſſores fidei: qui aſſiduè illo perfruentes, & ejus ſalutaribus fructibus conveſcentes, de ipſorum præguſtata dulcedine, miniſtrant & ipſi aliis, ſuavia libamenta ſalutis. Hæc èſt illa generoſa plantatio, quæ ramos ſuos undique expandens, flores plurimos honoris, & honeſtatis, fructuſque uberrimos doctrinæ profert, & virtutis; & odorem ſanctæ, ac laudabilis converſationis longè, latèque diffundit. Hic eſt Ordo Sacer Prædicatorum, honeſtate floridus, præclarus ſcientia, virtute fœcundus, à Sede Apoſtolica meritò approbatus: qui inter

alia plantaria Dominica, puritate converſationis, ſapientiæ dono, & virtutis merito dignoſcitur ſpecialiter inſignitus. Hujus ſacri, clari, conſpicui, & approbati Ordinis Fratres, Sacrarum Scripturarum ſtudio inſtanter incumbunt, animarum profectibus, Divinis officiis, & orationibus inceſſanter intendunt, atque Evangelicæ prædicationi ardenter inſiſtentes, lumen Divinæ doctrinæ ubique per orbem diffundunt. Hi ſunt viri doctrina clariſſimi, qui contemplationi cæleſtium ferventer invigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant. Hi ſunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, & in prædicatione potentes; quorum labia gratia cæleſtis edocuit ad propinandam ſalubrem doctrinam aliis, & commodum, ac profectum animarum Chriſti fidelibus exponendum. Vnde ubique per mundum ora ipſorum intonant veluti tubæ, ac in omnem terram exit ſonus prædicationis eorum, & uſque ad fines Orbis ſua ſalutifera verba ſonant. Hi ſunt viri præclari, conſpicua religione fulgentes, qui tamquam lucentia ſydera in Eccleſiæ firmamento, ſuis ſplendidiſſimis documentis, via cæleſtis vitæ mortalibus inſinuant. Hi ſunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui ſuæ ſacra converſatione ſuaviter redolentes, hortantur per hanc alios, & inducunt à ſomno negligentiæ celeriter ſurgere: & excuſſa prorsùs inertia, ad opera lucis, & bonitatis feſtinanter properare. Hi ſunt dilecti Deo, & hominibus, Fratres videlicet Prædicatores, morum honeſtate conſpicui, ſcientiæ titulis inſigniti; quos æterni Patris benignitas inter plurimas perſonas divinis obſequiis deputatas, pro ſui nominis attollenda gloria, & Fidelium procuranda ſalute, ſpecialitèr elegit: qui ſuum ſemper effectum ad amorem cæleſtium dirigentes, virtutem Divini nominis ubique publicant, & pro Chriſtianæ Religionis ampliando cultu, vigili attentione laborant. Hi ſunt, qui vitam, & merita Beatiſſimi Pauli Apoſtoli contemplantes, gloriantur in ſola Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti; & mundi pompas, ac ſolatia ſpernentes, ad ſolam cæleſtem patriam, & ad Paradiſi delitias recta intentione ſuſpirant. Hi ſunt, qui propter Deum ſemetipſos ſalubriter abnegantes, elegerunt ſub arctiſſima paupertate Deo deſervire: tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Hi poſtremò ſunt, qui cùm omnia terrena propter amorem bonorum cæleſtium reliquerint, ſobriè, juſtè, piè, & caſtè viventes, ac

exilia

exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtum pauperem imitantur, perfectionem Evangelicam amplexando. Vnde clariſſimè conſtat, eos in ſtatu perfectionis exiſtere, & per ſuæ Religionis obſervantiam, quæ quidem ipſius Evangelicæ perfectionis continet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri.

Quanti autem Ordinem noſtrum fecerit, quidvè de ſucceſſoribus S. Patris DOMINICI præſagiverit Honorius, ex bulla confirmationis Ordinis certiſſimum eſt, quæ ità habet ad Verbum: Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Dilecto Filio Fratri Dominico Priori Sancti Romani de Toloſa, & Fratribus tuis regularem vitam profeſſis, & profeſſuris ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Nos attendentes Fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei, & vera mundi lumina: confirmamus Ordinem tuum cum omnibus caſtris, & poſſeſſionibus habitis, & habendis; & ipſum Ordinem, ejuſque poſſeſſiones, & jura, ſub noſtra gubernatione, & protectione ſuſcipimus. Datum Romæ apud Sanctam Sabinam xi. Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno primo.

TEXTVS I.

QVoniam *a* ex præcepto Regulæ jubemur habere cor unum, & animam unam in Domino; Juſtum eſt, ut qui ſub una Regula *b* & unius profeſſionis voto vivimus, *c* uniformes in obſervantiis canonicæ Religionis inveniamur; quatenus unitatem, quæ interius eſt ſervanda in cordibus foveat, & repræſentet uniformitas exterius ſeruata in moribus.

a Quoniam ex præcepto Regulæ jubemur habere cor unum, & animam unam in Domino.) Declaramus, quòd unitas cordium in his, quæ Dei ſunt, ſecundùm Regulam noſtram eſt in præcepto, ſicut & communitas rerum, ſed ratione diverſa. Nam ad unitatem cordis ſervandam ex divinæ legis generali præcepto, de quo in Regula admonemur: ad communitatem autem rerum ex ipſius Regulæ præcepto adſtringimur. Et ideò circa unitatem cordium, & communitatem rerùm magna diligentia adhibenda eſt.

b Et unius profeſſionis voto vivimus.) Declaramus, quòd ideò ſub unius profeſſionis voto vivere dicimur, quia ſub unius Generalis Capituli, & ſub unius Generalis Magiſtri obedientia regimur, & gubernamur. Sicut enim unitas Eccleſiæ ex unitate capitis dependet, ità & unitas Ordinis noſtri ex unitate unius Generalis Capituli, & unius Generalis Magiſtri, cui ſecundùm unam Regulam, & ſecundùm eaſdem Conſtitutiones ex Voto noſtræ profeſſionis tenemur obedire, abſque dubio dependere dignoſcitur. Quamobrem in Capitulis Generalibus Romæ celebratis 1589. 1601. & Venetiis 1592. & Pariſiis 1611. prohibitum fuit ſtrictiſſimè, ne dimiſſionem Ordinis quocumque modo Fratres procurent.

c Vniformes in obſervantiis canonicæ Religionis inveniamur.) Declaramus, quòd ſicut ex voto noſtræ profeſſionis tenemur caſtè, & ſine proprio, & ſub unius Generalis Prælati obedientia vivere, ità & exterioribus obſervantiis, cæremoniis, jejuniis, abſtinentiis, & in aliis ſtatutis, quæ ad ornatum, & decorem canonicæ Religionis, ſeu regularis vitæ obſervantiam pertinent, uniformes eſſe debemus. Ideò particulares conſuetudines præter Regulam, Conſtitutiones, & Ordinationes Capitulorum Generalium fugiendæ ſunt, & amputandæ ; ut uniformitas exterius ſervata in moribus, foveat, & repræſentet illam unitatem, quam interius debemus ſervare in cordibus. Quare in Capitulo Generali Vallisoleti 1605. fuit ordinatum, quod ſi quis in fundatione alicujus Conventus, novas cæremonias, quæ non ſunt in Conſtitutionibus noſtris voluerit introducere, talis Conventus nulla ratione acceptetur. In Capitulo etiam Bononienſi 1564. admonentur Prælati, ut diligenter attendant, ne contra Conſtitutiones, abuſus, aut conſuetudines prævalere incipiant : ſuper quo Provincialium, & Viſitatorum conſcientias oneramus, ut ſi quos Priores, aut Præſidentes invenerint, qui abuſus inducant, aut conſuetudines noſtris legibus contrarias in communi tolerent, in pœnam ab officiis abſolvant.

I I.

QUod profectò eò competentſus, & perfectius poterit obſervari ; ſi ea quæ agenda ſunt, ſcripto fuerint commendata ; ſi omnibus qualiter ſit vivendum ſcriptura

ptura teſte innoteſcat; ſi mutare, vel addere, vel minuere nulli, quidquam propria voluntate liceat; *d* ne ſi minima neglexerimus, paulatim defluamus.

d Ne ſi minima neglexerimus paulatim defluamus.) Declaramus, quòd illa, quæ ponuntur in noſtris Conſtitutionibus, & non habent præceptum annexum, ſed ſunt purè ſtatuta ad ornatum, & decorem Regularis vitæ pertinentia, videntur eſſe minima reſpectu illorum, quæ pertinent ad ſubſtantiam Religionis, vel quæ habent præceptum annexum. Tamen illorum tranſgreſſio ex negligentia, non eſt ſine veniali culpa: quæ diſponit ad mortalem, ut docet S. Thom. 2.2. q.186. art. 9. ad 1. Et ideò benè dicit Conſtitutio in textu: Ne ſi minima neglexerimus, paulatim defluamus. Nam ut eſt in Eccleſiaſt. 18. cap. *Qui minima negligit, paulatim decidet*. Et S. Bernardus dicit: *Neglectus ſemper culpabilis eſt*. Et S. Hieronymus: *Mens Chriſto dedita*, inquit, *ſic caveat minora, quomodo & majora; ſciens etiam pro verbo otioſo reddendam eſſe rationem*. Et Iſidorus: *Qui otioſa verba non deprimit, ad noxia citò tranſit. Paulatim creſcunt vitia, & dum parva non cavemus, in magna prolabimur*.

III.

Ad hæc tamen in ſuo Conventu *e f* Prælatus diſpenſandi cum fratribus habeat poteſtatem, cum ſibi *g* aliquando videbitur expedire; in his præcipuè quæ ſtudium, vel prædicationem, *h* vel animarum fructum videbuntur impedire. *i* Cùm Ordo noſter ſpecialiter ob prædicationem, & animarum ſalutem ab initio noſcatur inſtitutus fuiſſe, & ſtudium noſtrum ad hoc debeat principaliter intendere, ut proximorum animabus poſſimus utiles eſſe. *k* Priores etiam utantur diſpenſationibus, ut alii Fratres.

c Ad hæc tamen in ſuo Conventu Prælatus diſpenſandi cum Fratribus habeat poteſtatem.) Declaramus, quòd Prælatus hic vocatur ſolus ille, qui habet curam animarum ſicut Prior in ordine noſtro canonicè electus, & per Superiores confirmatus, ut dicit Gloſ. Clement. c. 1. de elect. Supprior verò, & Vicarius, cum non habeant

beant curam animarum, niſi ex commiſſione Prioris, vel alterius Superioris, neuter eorum poteſt dici Prælatus, nec poteſt ſibi eligere Confeſſorem, nec Priore præſente in domo poteſt cum fratribus diſpenſare ex virtute Conſtitutionum, ſed ſolum ex commiſſione Prælati: niſi fortè quando mortuo Priore, vel amoto, ipſe ſit quaſi Ordinarius vices ejus in omnibus gerens. Et ideò in Capitulis Pariſiis 1246. & Metis 1251. celebratis, fuit ordinatum, quod cum Priores ſunt præſentes in domo, Supriores, & Vicarii diſpenſandi non habeant poteſtatem. Cæterum, cùm contingat Priorem à ſuo Conventu abeſſe, declaramus Priorem teneri in primo Capitulo ſui Prioratus conferre authoritatem neceſſariam Suppriori, & in abſentia illius ſuo Vicario, pro omnibus caſibus neceſſariis emergentibus, & præſertim pro pertinentibus ad forum conſcientiæ, quotieſcumque, & quomodocumque ipſe Prior ſit extra Conventum, præſertim per diætam abſens. Et quamvis hoc non habeatur expreſſum in Conſtitutionibus, conforme tamen eſt diſpoſitioni earumdem Conſtitutionum.

f In ſuo Conventu.) Declaramus, quòd quilibet Prælatus poteſt in ſuo, non autem in alieno Conventu, cum Fratribus non ſolum ſuis, ſed etiam alienis ex honeſtâ, & rationabili causâ diſpenſare in vigiliis, jejuniis, abſtinentiis, & in aliis, quæ diſpenſabilia ſunt, & quæ non ſunt ſibi expreſsè prohibita: dummodò hoc non regulariter faciat, nec de facili, ſed cùm rationabiles cauſæ id expoſcunt: ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1261. Quare Magiſter Humbertus dicit, quòd Prælatus honeſta, rationabilique de cauſa, poteſt compellere Fratrem ſubditum, & etiam extraneum in ſuo Conventu, ad recipiendam diſpenſationem in jejuniis, & comedendis carnibus, aliiſque ſimilibus, utpotè in caſu, in quo non uti diſpenſatione illa eſſet peccatum, ac proindè contra Ordinem: aliter, non poteſt compellere. Vnde S. Bernardus in lib. de diſpenſatione ſic ait: *Votum meum non augeat Prælatus abſque mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate: ſed alioquin remiſſio voti abſque neceſſitate, non diſpenſatio eſt, ſed diſſipatio.* Quando tamen Prælatus præcipit Fratri in ſuo Conventu, ut diſpenſationem accipiat, non debet de facili judicare, quod Prælatus non habeat cauſam rationabilem; quia fortè facit cauſa humiliandi eum, vel alia, quam ipſe neſcit: videlicet quia probabiliter de ejus debilitate dubitat, quamvis ſubditus ſibi fortis eſſe videatur. Et in hoc debet

bet judicium ſuum judicio ſupponere Prælati, & ei obedire; quia ſæpè evenit, ut alii magis perpendant debilitatem alterius ex aſpectu, quàm ipſemet qui eam patitur. Et ideò in dubio tenetur ſubditus Prælato obedire, quia obedientia excuſat in dubiis 23.quæſt.1. cap.Quid culpatur. Item declaramus, quòd Priores in Conventu ſuo, & in eorum abſentia Suppriores, & eorum Vicarii, omnes Fratres noſtri Ordinis ad eorum Conventus declinantes, ab omnibus peccatis, & cenſuris, tam à jure, quàm ab homine generaliter prolatis. Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter non reſervatis (ut infra magis explicabitur in cap. de profeſſione) poſſunt abſolvere, ac etiam Sacramentum Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis adminiſtrare, ſicuti fuit declaratum Valencenis 1337. & conceſſum per privilegium, quod dicitur Mare magnum.

g Aliquando.) Declaramus, quod diſpenſationis in jejuniis, & abſtinentiis nunquam ſunt faciendæ, niſi ex magna cauſa cum toto Conventu, etſi perſonis aliquibus merito interdùm ſint indulgendæ: nec etiam ſemper fieri debent, & aſſiduè, ſed ſolùm aliquando: juxta quod Prælato propter aliquam utilitatem, vel neceſſitatem, vel honeſtam, & rationabilem cauſam videbitur expedire, ſicut fuit declaratum Valentiæ 1364. Barcinonæ 1261. & Venetiis 1592.

h Cùm Ordo noſter ſpecialiter ob prædicationem, & animarum ſalutem ab initio noſcatur fuiſſe inſtitutus.) Declaramus, quod illa Religio, cujus inſtitutio, & obedientia eſt eſſentialiter, principaliter, & nominatim ordinata ad docendum & prædicandum, ſeu illuminandum & ſalvandum animos per doctrinam, & prædicationis officium; eſt omnibus aliis excellentior, & perfectior: quia prædicare, & docere, ſunt actus ex abundantia, & plenitudine contemplationis procedentes, & ut dicit S. Gregorius, *doctrina, & prædicatio præfertur ſimplici contemplationi*. Et ſicut majus eſt illuminare, quàm lucere ſolùm, ità majus eſt contemplata aliis tradere, quàm ſolùm contemplari. Et ſic Religio ad docendum & prædicandum principaliter, & eſſentialiter ordinata, tenet ſupremum gradum in Religionibus utpotè inſtituto Chriſti Domini magis conformis, ut docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 188. art. 6. in hæc verba: Summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquiſſimæ ſunt perfectioni Epiſcoporum: ſicut & in

aliis rebus, fines primorum conjunguntur principiis ſecundorũ, ut docet Divus Dionyſius c. 7. de Divin. nominib. Hujuſmodi autem eſt Ordo noſter Prædicatorum, qui ex ſua prima inſtitutione eſt principaliter, eſſentialiter, & nominatim, ad docendum, & prædicandum, ad communicandum aliis contemplata; & ad procurandam animarum ſalutem inſtitutus. Cùm itaque finis Ordinis noſtri ſit prædicatio, & ſalus animarum, ideò ſtatuta Ordinis non debent ita rigidè ſervari, quod impediant illud, propter quod Ordo Principaliter eſt inſtitutus: quia quod propter aliquid inſtitutum eſt, non debet contra illud militare: Et quæ ſunt ad aliquem finem ordinata, debent eſſe proportionata, & commenſurata eidem fini, & regulari ſecundùm congruentiam ad illum finem. Ea propter benè dicit Conſtitutio, quod Prælatus poterit in ſuo Conventu cum Fratribus diſpenſare, in iis præcipuè, quæ ſtudium, vel prædicationem, vel animarum fructum videbuntur impedire.

i Animarum ſalutem.) Declaramus, quòd tria ſunt præcipuè, quæ ſalutem impediunt animarum, licet non ſint contra Ordinem. Primum eſt, quæſtus immoderatus. Mundus enim eſt aurus, & fugit quæſtores importunos, & immoderatos. Secundum eſt, officia odioſa, ut ſunt Inquiſitiones ad Tribunal Sancti Officii non pertinentes, viſitationes, correctiones violentæ, executiones teſtamentorum, vel arbitrorum ſententiæ, & aliæ cauſæ arduæ, & odioſæ, ex quibus frequenter perturbatur hominum devotio ad Ordinem, & Fratres. Tertium eſt nimia auſteritas in conſiliis, & opinionibus: terrentur enim homines ex hoc in tantùm, ut ſalutem propriam negligant. Quapropter parcendum eſt ab importunitate notabilis quæſtus: fugienda ſunt omnino officia odioſa, licet alicujus ſint utilitatis: & relaxanda eſt (quantùm fieri poteſt) rigiditas & auſteritas in conſiliis, ac homines benignè tractandi ſunt. Et ideò in Capitulo Pariſiis 1234. ſic fuit ordinatum: Strictiſſimè prohibemus, ne Fratres ſuſcipiant commiſſiones cauſarum, arbitria, ſive judicia, nec pignora, ſive obſides, neque per juriſdictionem Epiſcopalem aliquos coerceant, & qui contra fecerint graviter puniantur. Et Bononiæ 1252. fuit prohibitum, ne Fratres eſſent diſpenſatores alienarum pecuniarum, nec teſtamentorum executores. Et Burdegalæ 1287. fuit diſtrictè prohibitum, ne aliquis Frater de cætero intromittat ſe de matrimoniis

moniis

moniis conciliandis, ſeu etiam de magnis, & arduis negotiis ſecularium pertractandis, & abſtineat à cauſis odioſis ſuſcipiendis. In Capitulo quoque Generali Romæ 1601. fuit diſtrictè omnibus noſtri Ordinis Fratribus inhibitum, ut neque poſſint ſecularium negotia litigioſa apud quæcumque Tribunalia procurare, neque ſe negotiis ſecularibus, mercimoniis, aut aliis hujuſmodi, quæ vitio proprietatis vicinia ſunt, immergere. Ne igitur ſalus animarum impediatur, debemus ab his omnibus odioſis negotiis abſtinere; & laborare, ut noſtra converſatio ſit bona, & ſancta, & ſummam diligentiam adhibere, ut fama Ordinis, & Fratrum integra ſervetur: ac ſtudendum eſt, ut in his, quæ non ſunt reprehenſibilia amicabiles nos hominibus reddamus, ac humaniter, & benignè cum eis converſemur.

k Priores etiam utantur diſpenſationibus, ut alii Fratres.) Declaramus, quòd Fratres noſtri inferiores, & ſubditi non poſſunt propria auctoritate ſeipſos in his, quæ ad Conſtitutiones pertinent diſpenſare, ſed debent à Prælatis, ſub quorum jurisdictione, & foro ſunt, diſpenſationem accipere. Superiores verò, & Prælati per iſtam Conſtitutionem, quando iudicaverint expedire, ſunt diſpenſati: & poſſunt ſicut & cæteri, diſpenſatione uti.

I V.

l VT igitur unitati, & paci totius Ordinis provideamus, volumus & declaramus, ut Regula noſtra, & Conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, ſed ad pœnam: *m* niſi propter præceptum, *n* vel contemptum. Pœnis tamen abſolutionis ab officio, privationis vocis activæ vel paſſivæ, gravioris culpæ, & aliis majoribus (quantumcumque tàm in Conſtitutionibus, quàm extra, ipſo facto ſint incurrendæ) niſi ſit pœna excommunicationis latæ ſententiæ, nullus ſit ſubjectus, *o* niſi ſuperveniat declaratio Prælati in particulari reſpectu, hujus, quantumcumque etiam notorium facti, vel juris, aut utriuſque interveniat. Præceptum autem in Re-

gu-

gula nullum (niſi quod de natura ſua eſt, ratione trium votorum, vel Divinæ, aut Eccleſiaſticæ legis) contineri volumus, & declaramus: Et idem in Conſtitutionibus: niſi ubi ponitur ſententia excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum (præcipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ) & hoc idem in Ordinationibus, & Prælatorum verbis, & litteris intelligi volumus: Pœnam Excommunicationis, & Excommunicationem latæ ſententiæ, per nulla verba tàm in Conſtitutionibus, quàm extra in noſtro Ordine intelligimus, niſi ubi explicitè, & verbaliter pœna Excommunicationis, & Excommunicatio latæ ſententiæ, exprimitur.

V.

Porrò Prælati non faciant præcepta obligantia ad mortale peccatum, in ira exteriori, maximè contra ſubditos turbatos: & ſi fecerint, irrita ſint & inania: facta tamen valeat, quoad quaſcumque pœnas temporales. Præcepta quoque in ſcriptis facta cenſeantur ſine ira facta: Nec faciant præcepta quieto animo, niſi in ſcriptis, extra neceſſitatis articulum, quod fit à Viſitatoribus in viſitationibus: facta tamen valeant. Nec damnent aliquem ad pœnam gravioris culpæ, aut carceris, niſi in judicio confeſſum, vel conjunctum, & in ſcriptis. Et ſi ſecùs factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.

V I.

Statuimus etiam, quod tàm in Conſtitutionibus, quàm extrà, quidquid non ſecundùm ſe mortale, mandatur ſub quacumque pœna niſi excommunicationis, ad ſolam pœnam obliget; non obſtante, quod

quod in Capitulo de graviori culpa dicitur: ut qui membrum Diaboli culpam perpetrando non erubuit fieri, &c.

l Vt unitati, & paci totius Ordinis provideamus, volumus, & declaramus, quod Conſtitutiones noſtrę non obligent nos ad culpam,ſed ad pœnam.) Declaramus, quod cum in ſtatutis maxime ſit attendenda intentio, & voluntas ſtatuentis, & quæ intentio, ac voluntas eorum, qui noſtras Conſtitutiones ediderunt fuerit, vt nos non obligarent ad culpam: ſicut patet ex Capitulo ſecundo Generaliſſimo Pariſijs celebrato 1236. in quo iſta Conſtitutio propter pacem, & quietem conſcientiæ Fratrum fuit confirmata. Idcircò tranſgreſſores noſtrarumConſtitutionum, quando ſunt purè Conſtitutiones, & non habent prçceptum annexum, & id quod eſt in eis non eſt aliàs lege Diuina, vel humana prohibitum, vel mandatum; non obligantur ad aliquam culpam, ſed tantùm ad pœnam in Conſtitutionibus taxatam; vel per Prælatos imponendam, vel taxandam: quam ſi facere recuſaverint, non evadent culpam. Nàm, vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 186. art. 4. ad 1. In Religione Ordinis Fratrum Prædicatorum, tranſgreſſio, vel omiſſio (ſcilicet, Regulæ, ſiue Conſtitutionum) ex ſuo genere non obligat ad culpam, nec mortalem, neque venialem, ſed ſolum ad pœnam taxatam ſuſtinendam, quia per hunc modum, ad talia obſeruanda obligantur; qui tamen poſſent venialiter, vel mortaliter peccare, ex negligentia, vel libidine, ſeu contemptu. Et quamvis pœna non debeat infligi nolenti ſine culpa: ei tamen, qui voluntariè ſe obligavit ad aliquam pœnam, poteſt talis pœna ſine culpa infligi. Tales autem ſunt Fratres Ordinis noſtri, qui voluntariè in ſua profeſſione huic legi ſe obligaverunt.

m Niſi propter præceptum.) Declaramus, quod Priores in ſuis Conuentibus poſſunt ex rationabili cauſa in his, quæ ad Regulam, vel Conſtitutiones explicitè, vel implicitè pertinet; præcepta facere: quæ tranſgreſſores obligabunt non ſolùm ad pœnam, ſed etiam ad mortalem culpam: quia ex voto noſtræ profeſſionis tenemur Regulam, & Conſtitutiones non contemnere; & præceptis Prælati noſtri in his, quæ ſunt ſecundùm Regulam, & Conſtitutiones obedire. Non debent tamen Prælati eſſe faciles, nec præcipitanter, & indiſcretè præcepta, & ex-

excommunicationes fulminare, ſed cum maturo conſilio, & ex diligenti deliberatione præhabita, & ex cauſa vrgenti, & neceſſaria hujuſmodi præcepta diſcretè facere, ſicut fuit ordinatum Pariſijs 1269. . Oxoniæ 1280. Ferrariæ 1290. Cæterùm, de excommunicatione ferenda illud in mente habeant, quod decernitur à Concil. Triden. ſeſs. 25. cap. 3. his verbis: Quamvis excommunicationis gladius, neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè ſalutaris; ſobriè tamen, magnaque circumſpectione exercendus eſt: cum experientia doceat, ſi temerè, aut levibus de cauſis incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius patere, quam ſalutem. Vnde & in primo Capitulo Generali; poſt Concilium Tridentinum Bononiæ celebrato anno 1564. de ſententia excommunicationis ſic habetur: Et quoniam in hujuſmodi ſententiis ferendis S. Synodus moderamen eſſe voluit, deinceps attendant Reverendi Prouinciales, & Diffinitores, vt niſi pro gravioribus cauſis, quæ præſentaneum exigunt remedium, non imponantur. Priores etiam Conventuales, quàm rariſſimè, & matura deliberatione cenſuris vti debent: & qui in hoc faciles inuenti fuerint, à ſuis Superioribus corrigantur. Præcepta etiam ad peccatum mortale obligantia, aut nulla, aut quàm pauciſſima fiant: maximè circa eas ordinationes, quæ longo tempore ſunt duratura. In alijs quoque omnibus, quæ ad relevandas ſubditorum conſcientias neceſſaria videbuntur, Prælati ſe benignos, & faciles exhibeant, memores illud, qui magis miſericordiam dilexit, quàm ſacrificium.

n Vel propter contemptum) Declaramus, quòd ſicut tranſgreſſio præcepti in Regula, vel Conſtitutione poſiti, ſive à Prælato facti obligat ad culpam; ità & transgreſſio Conſtitutionis quantumcumque minimæ ex contemptu facta obligat ad culpam mortalem: quia, ut dicit S. Bernardus: *Neglectus ſemper culpabilis eſt, contemptus verò damnabilis.* Dicitur autem aliquis peccare ex contemptu, juxtà doctrinam S. Tho. 2.2. q. 186. ad 9. ad 3. Quando voluntas ejus renuit ſubiici ordinationi legis, vel Regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel Regulam. Quando autem è converſo propter aliquam particularem cauſam (puta concupiſcentiam, vel iram) inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel Regulæ, non peccat ex contemptu, ſed ex aliqua alia cauſa: etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia ſimili pec-

peccatum iteret, ſicut dicit Sanctus Auguſtinus in lib. de natura, & gratia cap. 29. *Quod non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ; frequentia tamen peccati diſpoſitivè inducit ad contemptum*: ſecundum illud Proverb. 18. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

o Niſi ſuperveniat declaratio Prælati.) Denunciamus, juxtà declarationem factam Ianuæ 1513. quod pœnæ exigant declarationem Superioris in particulari, niſi ipſemet reus ſeipſum declaret. Quod facere debet, humiliter cognoſcens errorem ſuum, ſi factum eſt publicum, vel notorium. Si enim ipſe ſe declaraverit, alia non eſt opus declaratione. Et 1518. additum fuit declarando, quòd nullus Præſidens poteſt ſeipſum declarare abſolutum ab officio ſuo, propter quamcumq; tranſgreſſionem commiſſam.

VII.

ET ut multitudo Conſtitutionum vitetur, *p* prohibemus, ne de cætero aliquid ſtatuatur, niſi per duo Capitula Generalia continua fuerit approbatum, & tunc in tertio Capitulo immediatè ſequenti poterit confirmari, vel deleri: ſive per Priores Provinciales, ſiue per alios Diffinitores, vbicumque illud tertium Capitulum celebretur.

p Prohibemus ne de cætero aliquid ſtatuatur.) Declaramns, quòd nec Prior Provincialis, nec Magiſter Ordinis, nec aliquod Capitulum, poteſt facere Conſtitutionem: ſed oportet, quod ad Conſtitutionem faciendam concurrant tria Capitula Generalia, & continua; vel unum Capitulum Generaliſſimum, quod tribus Generalibus Capitulis continuis æquipollet. Poſſunt tamen Capitula Generalia, & Magiſter Ordinis facere ordinationes, & admonitiones, quæ perpetuo durabunt, quouſque non fuerint revocatæ, & poterunt ſecundùm ipſas Prælati corrigere Fratres, & etiam in ipſis ex cauſa rationabili diſpenſare, ut communiter tenetur. Et idem dicimus de gratiis factis per Capitula Generalia, & Magiſtrum Ordinis.

VIII.

INchoationes autem, quæ fiunt in Capitulis Ge-

Generalibus, non mandentur executioni uſquequò approbatæ fuerint per alia duo Capitula, & factæ ſint Conſtitutiones: niſi fortè eadem inchoatio fiat per modum ordinationis. *q* Interpretationes Regulæ, vel Conſtitutionum, factæ à Generali Capitulo, *r* non habeant vim Conſtitutionis, niſi per tria Capitula Generalia continua in modum aliarum Conſtitutionum, ſcilicet per viam inchoationis, & confirmationis continuatè fuerint approbatæ.

IX.

ORdinationes tàm Capitulorum Generalium, quam Magiſtri Ordinis, quo ad vim præcepti, & cenſurarum Eccleſiaſticarum, cum ipſis expirare volumus. Vita verò Capituli, vſque ad ſequens Capitulum intelligitur. Quo ad reliqua verò quomodolibet per Generale Capitulum, vel Magiſtrum Ordinis facta durare volumus, donec fuerint reuocata per ſimilem poteſtatem, excepto ſi quem Magiſter Ordinis Vicarium totius Ordinis inſtituiſſet; hunc enim volumus cum ipſo expirare. Ab inferioribus autem Capitulis, & Prælatis quomodolibet ordinata, cum ipſis tanquam ab homine ordinata, expirare volumus: exceptis Supprioribus, Confeſſoribus tàm Fratrum, quàm Monialium, Vicariis Monialium, & Magiſtris perſonarum vtriuſq; ſexus tertij habitus, & Officialibus Conuentuum abſq; iuriſdictione: hos enim volumus durare cum ea quam habeant auctoritate, donec reuocentur ab habente poteſtatem deſtituendi eoſdem.

X.

POrrò Prælati omnes à multitudine præceptorum, & ordinationum abſtineant, ne laqueum animabus ſubditorum inij-

ciant;

ciant; nec propter defe-ctum vnius, vel paucorum, quem, vel quos non audent corrigere, communitatem inuoluant. Nulla quoque poteſtate in Ordine noſtro in communi, vel particulari aliquid ordinetur, vel prohibeatur cum hac pœna, quod non poſſit abſolui à peccatis ſuis. ſ Priores tamen poſſunt aliquos determinatos caſus peccati mortalis ſibi reſeruare, vt viderint expedire animabus.

q Interpretationes Regulæ, vel Conſtitutionum.) Declaramus, quòd ſi in aliquo paſſu Regulæ, vel Conſtitutionum occurrerit aliquod dubium, ſtabitur interpretationi, & declarationi Generalis Capituli, vel Magiſtri Ordinis; dummodò illa declaratio non contineat manifeſtum errorem, quia in dubijs ſequenda eſt majorum ſententia, & obedientia excuſat in dubiis. Et Iulius III. Pont. Max. Generali Magiſtro conceſſit, vt ambiguitates in Conſtitutionibus; aut circa priuilegia, gratias, exemptioneſque à Sede Apoſtolica Ordini conceſſas, poſſit auctoritate Apoſtolica declarare. Et ideò interpretatio, vel declaratio facta per Capitulum Generale, vel per Magiſtrum Ordinis, licet non habeat vim Conſtitutionis, à ſubditis tamen tenenda, & obſervanda eſt. Et propterea in pluribus Capitulis Generalibus, à principio Ordinis vſque ad hæc tempora celebratis, ſæpiſſimè fuit ordinatum, ut admonitiones, ordinationes, ac declarationes Capitulorum Generalium, à ſingulis Conventibus in aliquo libro debeant ſcribi, atque ter, vel quater in anno congregatis Fratribus legi: neque deleri debent, niſi fuerint revocatæ, ſicut habetur in Capitulo Colonienſi 1245. In Capitulo etiam Biſuntino 1353. ſic dicitur: Imponimus diſtrictè omnibus, & ſingulis Prioribus Prouincialibus, vt declarationes hujus anni, & omnes alias præteritis temporibus factas, quas habere poterunt, diligenter in vno volumine ſcribant, & cum aliis ſcriptis Prouinciæ cuſtodiant, & Conventibus ſuis communicent, ac eas ſæpius legi faciant. Omnia autem acta Generalis Capituli, illicò in toto Ordine publicentur per Prouinciales, vel per Viſitatores, non exſpectato Prouinciali Capitulo, vt Romæ 1542. 1546. & noviſſimè 1589. in hunc modum ordinatum, & Pariſiis 1611. confirmatum fuit.

Item

Item conformiter ad ea, quæ in pluribus Capitulis Generalibus ſancita fuere declaramus non eſſe in poteſtate alicuius Prouinciæ, prætextu cuiuſvis conſuetudinis, aut priuilegij, non acceptare acta, ſeu ſtatuta Capitulorum Generalium, ſed omnes, & ſingulas Prouincias decretis, & ordinatis in eiſdem Capitulis, ita ſubiectas eſſe, vt vnaquæque earum teneatur ipſa acta in unoquoque Conuentu publicare, acceptare, & inviolabiliter obſervare; utpotè pro communi bono vniverſitatis Prouinciarum, Conuentuum, & Fratrum facta. Et quatenùs opus eſſet auctoritate Apoſtolica revocamus, & annullamus quamcumque conſuetudinem, aut privilegium quomodolibet prætenſum, aut in contrarium exiſtens.

Mandamus inſuper, ut ſingulis diebus non ſolemnibus cuiuslibet hebdomadæ per totum annum lectioni menſæ inſeratur lectio de ſacris Conſtitutionibus, & quater in anno Acta Capitulorum Generalium coram toto Conuentu publicentur, & cum aliis ſcripturis exemplaria eorum ad eum modum conſeruentur; vt vnum exemplar ſit penès Priorem, alterum in depoſito communi, tertium penès Magiſtrum Nouitiorum. Romæ 1532. 1580. 1589. 1601. 1608. & Barcinonæ 1574.

r Non habeant vim Conſtitutionis, niſi per tria Capitula Generalia continua in modum aliarum Conſtitutionum, ſcilicet per viam inchoationis, & confirmationis continuatè fuerint approbatæ.) Declaramus, non ſufficere ad conſtitutionem faciendam, vt ſint tria Capitula Generalia continuata quomodolibet idem ordinantia, & confirmantia: ſed oportere, vt primum Capitulum id ordinet per viam inchoationis, & alia duo immediatè ſubſequentia, eandem inchoationem confirment, vt apertiſſimè textus Conſtitutionis inſinuat.

ſ Priores tamen poſſunt aliquos determinatos caſus peccati mortalis ſibi reſeruare.) Denunciamus fel. record. Clementem VIII. Apolicam Conſtitutionem circa reſervationem caſuum edidiſſe in hunc modum: Sanctiſſimus Dñus Clemens VIII. qui iàm pridem accuratè perpendit, quod reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pœnitentes à quibuſdam gravioribus delictis, niſi moderatè fiat, nonnullos infirmiores in æternæ damnationis periculum, & deſperationem inducere poſſet: ideò decreuit, vt nemo Superior Regularis

laris peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis his, quæ ſequuntur: aut aliquibus illorum, prout in Domino expedire iudicaverit.

Venefica, Incarnationes, & Sortilegia.

Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento; quandò eò peruenerit, vt extra ſepta Conuentus fiat egreſſio.

Nocturna, & furtiua è Conuentu egreſſio, etiam nôn animo apoſtatandi facta.

Proprietas contrà votum paupertatis, quæ ſit mortale peccatum.

Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſive legitimo.

Procuratio, auxilium, ſiue conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecutò.

Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Conuentus.

Furtum de rebus Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

Occiſio, vulneratio, ſeu granis percuſſio cuiuſcumque perſonæ.

Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud peccatum graye pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Provincia matura diſcuſſione, & aſſenſu. Non liceat Superioribus Regulariũ confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum commiſerint; aut ipſimet ſubditi ſponte id petierint. Superiores in ſingulis domibus duos, vel tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori deſignent: Ijque ſint docti, prudentes, & charitate præditi; qui à non reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſervatorum abſolutio cõmittatur, quando caſus occurrerit: in quo caſu debere committi, ipſe imprimis Confeſſarius judicaverit. Tàm Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui poſteà ad Superioritatis gradum aſſumpti fuerint; caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues, quibuſdam peccatis etiam non reſervatis, à Confeſſarijs imponendas: quæ ſubditos ab illis cohibere poſſint. Et ità mandat ſervari ab omnibus, non obſtantibus &c.

Librum autem iſtum diligenter conſcripſimus, in quo duas Diſtinctiones adnotauimus.

Explicit Prologus cum ſuis Declarationibus.

PRIMA DISTINCTIO

Continet viginti Capitula.

PRIMVM. De Officio Eccleſiæ.
Secundum. De inclinationibus.
Tertium. De ſuffragiis mortuorum.
Quartum. De ieiunijs.
Quintum. De cibo.
Sextum. De collatione.
Septimum. De infirmis.
Octauum. De minutione.
Nonum. De lectis.
Decimum. De veſtitu.
Vndecimum. De raſura.
Duodecimum. De ſilentio.
Tertiumdecimum. De recipiendis.
Quartumdecimum. De Nouitiis, & eorum inſtructione.
Quintumdecimum. De profeſſione.
Sextumdecimum. De leui culpa.
Decimumſeptimum. De graui culpa.
Decimumoctauum. De grauiori culpa.
Decimumnonum. De grauiſſima culpa.
Vigeſimum. De Apoſtatis.

SECVNDA DISTINCTIO

Continet nouemdecem Capitula.

PRIMVM. De Domibus concedendis, & conſtruendis.
Secundum. De Electione PriorisConventualis, & inſtitutione Supprioris.
Tertium. De Electione Prioris Provincialis.
Quartum. De Electione Magiſtri Ordinis.
Quintum. De Electione Diffinitorum Capituli Provincialis, & Generalis.
Sextum. De Capitulo Provinciali.
Septimum. De Capitulo quotidiano.
Octauum. De Capitulo Generali.
Nonum. De ſolemni celebratione Capituli.
Decimum. De Capitulo Generaliſſimo.
Vndecimum. De Viſitatoribus.
Duodecimum. De Prædicatoribus.
Tertiumdecimum. De Itinerantibus.
Quartumdecimum. De Studentibus.
Quintumdecimum. De Conuerſis.
Sextumdecimum. De Conſtitutionibus Capituli Perpiniani.
Decimumſeptimum. De Capitulo Biennali, vel Triennali.
Decimumoctauum. De Conſtitutionibus Bonifacij Papæ IX.
Decimumnonum. De Conſtitutione Alexandri VI. de Electione Magiſtri Ordinis.

Laus Deo.

CONSTITVTIONES FRATRVM ORDINIS PRÆDICATORVM.

PRIMA DISTINCTIO.

CAPVT I.

De Officio Eccleſiæ.

CONSTIT. I.

AVDITO primo ſigno, ſurgant Fratres, *b* & ſtando dicant Officium de B. Virgine, *c* pro tempore; *d* Matutinas autem & Miſſam, & omnes alias Horas Canonicas ſimul audiant Fratres noſtri, *e* niſi cum aliquibus Prælatus alitèr diſpenſare voluerit.

a Audito primo ſigno.) Declaramus, quòd ad Horas Cauonicas non debemus regulariter habere niſi duo ſigna. Primum debet eſſe breue, quo audito, Fratres debent ſe præparare, & occupationes, in quibus tunc verſantur dimittere, nec nouas aſſumere. Secundum autē ſignum debet eſſe ità prolixum, vt ante eius terminationem, poſſint Fratres de omni remotiori loco Domus, ſecundùm exiſtimationem pulſantis, ad Eccleſiam convenire. Inter primum autem, & ſecundum ſignum debet eſſe tantum ſpatium, vt Fratres ſe poſſint præparare.

b Et ſtando dicant Officium de Beata Virgine.) Declaramus, quòd in Matutinis, audito primo ſigno, debent in Dormitorio Fratres ſtando dicere Officium de B. Virgine, quando pro rempore eſt dicendum; vno incipiente, & dicente vnum verſum, & alijs reſpondentibus: & dicentibus alium verſum: & poſt ſecundum ſignū debent Officium de Tempore in Choro deuotè, & diſtinctè cantare. Verumtamen, vt maiori

qua

qua poteſt pietate, & devotione erga B.Virginem, ſpecialem Ordinis Aduocatam, Officium illius in Dormitorio recitetur, in Dormitoriis Conuentuum, locorumque noſtrorum, debet eſſe erectum Altare cum imagine eiuſdem Beatiſs. Virginis, ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1574. & Valentiæ 1596. In alijs verò Horis debent poſt ſecundum ſignum in Choro antè Officium de Tempore, ſtando Officium Beatæ Virginis præmittere: niſi in Completorio, vbi poſt Officium de Tempore, Officium Beatæ Virginis dicitur, ſicut fuit ordinatum Metis 1421.

c Pro tempore.) Declaramus, quòd Officium B. Virginis certis diebus in Dormitorio, & in Choro intermittitur, & ad ipſum dicendum Fratres non obligantur: videlicet in Feſtis Duplicibus, & ſupra: & in Octavis Solemnibus, & quando de Beata Virgine fit Officium, ſiue in Octava ipſius, ſiue extrà Octavam; & certis alijs diebus in ordinario adnotatis. Et propter hoc dicit Conſtitutio, quòd Fratres audito primo ſigno dicant Officium de Beata Virgine, pro tempore, & non ſemper: propter illos dies, in quibus intermittitur; quamvis & illis diebus ex deuotione in priuato, ſemper dici debeat, eò præſertim, quòd beatæ memor. Pius V. illud deuotè recitantibus quando non tenentur, conceſſit centum dies indulgentiarum litteris Apoſtolicis.

d Matutinas autem, & Miſſam, & omnes Horas Canonicas ſimul audiant Fratres.) Declaramus, quòd omnes Fratres Clerici ſimul in Eccleſia Miſſam Conuentualem debent audire, & Horas Canonicas dicere; quia Eccleſiæ noſtræ ſunt Conuentuales: niſi Prælatus cum aliquibus propter honeſtas, & legitimas occupationes voluerit diſpenſare, vt priuatas Miſſas audiant, & in priuato Officium dicant. Declaramus autem, quòd Fratres Sacerdotes, ſi à celebratione ſacroſancti ſacrificij Miſſæ ſint legitimè impediti, debent illi aliàs cum magna deuotione intereſſe: & quæ à Sacerdote in Miſſa dicuntur, quantùm fieri poterit, attentè audire, ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1574. & Romæ 1589., quia valdè irreligioſum eſt, quòd Frater quotidiè, maximè quando eſt in domo, non audiat Miſſam. Nec ſuper hoc debet Prælatus de facili diſpenſare, ſed potiùs per pœnitentias debet Fratres ad audiendam quotidie Miſſam compellere. Si qui autem ſint, qui vel ſenio confecti, vel aliqua infirmitate, vel quocumque alio impedimento detenti cele-

brare non poſſint; teneantur ſaltem in qualibet Generali Communione ſacram Euchariſtiam ſumere, confeſſione ſacramentali præmiſſa. Communionem verò Generalem haberi volumus tempore Aduentus, & Quadrageſimæ ſingulis diebus Dominicis: reliquis verò temporibus ad minus de quindena in quindenam,& alijs quibuſdam ſolemnitatibus,arbitrio Prælati determinandis,ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1574. & Romæ 1589. Horæ autem Canonicæ, quando in priuato dicuntur, taliter recitari debent, vt ille qui dicit, niſi ſit ſurdus, vocem propriam poſſit audire.

Debet etiam quilibet diſtinctè,tractim,& cum debitis punctis,& attentione tàm inChoro, quàm extra Chorum, Diuinum Officium perſoluere. Non requiritur tamen actualis attentio per totumOfficium,nec ſufficit ſola habitualis: ſed requiritur virtualis attentio, quæ ex primo propoſito per totum Officium continuatur;quando ſcilicet quis ponit ſe ad dicendum Officium cum intentione attendendi ad illud, vel ſaltem ſoluendi ſuum debitum,quo obligatur ad Officium recitandum: etiamſi frequenter intra ipſum Officium ex quadam infirmitate & negligentia diſtrahatur: dùm tamen contraria intentio (ſcilicet nullo modo volendi attendere) non interueniat. Sed ſi quis dicendo Officium, per magnam ejus partem occupet ſe in aliquo exercitio manuali diſtractiuo, talis non continuaret virtualem attentionem, nec præcepto Eccleſiæ ſatisfaceret.

Ftatres autem Conuerſi, quia vocati ſunt ad officia corporalia & vt in ſudore vultus ſui veſcantur pane ſuo, ad prædicta non tenentur:ſed ſufficit eis audire Miſſam privatam ſine nota, & loco Officij,ſua Pater noſter, & Aue Maria dicere. Nec debent propter particulares deuotiones opera corporalia dimittere, ſed in ipſis ſe debent continuè exercere. Ad Completorium tamen,& ad Salutationem B. Virginis, niſi eos magna excuſet neceſſitas ſemper cum alijs debent venire. Item declaramus, quod ſicut Clerici ſeculares, qui non ſunt in ſacris, ſi ſint Beneficiati, tenentur & obligantur dicere Officium; ità & quilibet ReligioſusClericus, qui ex eleemoſynis viuit, & ab Ordine prouiſionem victus, & veſtitus habet, tenetur de neceſſitate ſalutis officium dicere. Nec in hoc poteſt cum eo Prælatus diſpenſare, niſi fortè ſit Nouitius, qui non eſt adhuc Religioni obligatus, nec fortè ſcit Officium recitare. Debet tamen aliquas orationes pro ſatisfactione loco Officij dicere. Et debent Fratres libentiùs in

Ec-

Eccleſia Officium dicere, quàm extrà, propter deuotionem loci, propter pręſentiam Diuiniſſimi Sacramenti Corporis Chriſti, propter Reliquias Sanctorum, propter Angelos aſſiſtentes, propter ſocietatem Fratrum, & denique propter majorem diligentiam, quæ in Officio dicendo ſolet ibi apponi quàm extrà. Ideo non ſunt quęrendæ occaſiones, vel licentiæ de facili recedendi à Choro: ſed omnes ſimul ad officium dicendum, debent in Eccleſia, & Choro conuenire. Quapropter *in* Cap. Placentino 1310. ſic dicitur: Volumus, & ordinamus, ut nullus Frater, etiam prętextu Prælationis, vel lecturæ præteritæ, ſeu alterius officii cuiuſcumque, à communibus Fratrum obſequiis, & officiis, ſeu à Choro aliquatenus ſit exemptus. Gratias autem quibuſcumque ſuper hoc hactenus per Priores Prouinciales, vel inferiores eis conceſſas, ordinatione præſenti penitùs reuocamus. Et in Capitulo Auenionen. 1561. ſtatutum fuit: Nullus Frater noſtri Ordinis, ratione paternitatis, aut alterius gradus exemptionem prætendere poſſit à ſequela Chori, aut alijs grauaminibus Ordinis, Magiſtris in Theologia Provinciarum, Lectoribus actu legentibus, & Prędicatoribus actu prędicantibus, dumtaxat exceptis. Circa quos tamen legitimę conſuetudines Prouinciarum obſeruentur. Prædicatores autem actu prędicantes illi intelliguntur, qui in aliquo Conventu deſignati ſunt ad conciones habēdas per totum annum, eaſque continuò diebus Dominicis, & feſtiuis habent; ſicut fuit declaratum in Cap. Auenion. 1561. Lugduni 1536. Venetiis 1542. Valentiæ 1596. & confirmatum in Cap. Generali Pariſien. 1611. Quod ſi in aliqua Prouincia mos eſt, ut nec etiam Prædicatores actu prędicantes ſint exempti a Choro; obſeruetur circa eos huiuſmodi conſuetudo, ut in eodem Capitulo ordinatum eſt. Additum eſt etiam iſtud Venetiis 1592. Reliqui verò tam Lectores, quam Prędicatores nullis prorſus gaudeant priuilegiis, & exemptionibus, ſed ad ſequelam Chori die, noctuque, & ad cętera communia Fratrum officia, ac grauamina, nec non ad Hebdomadariam reſpectiuè teneantur: nec eis exemptionibus gaudere illos permittant Prælati, ſub pœna abſolutionis a ſuis officiis, & privatione vocis activæ, & paſſivæ.

e Niſi cum aliquibus Prælatus aliter diſpenſare voluerit.) Declaramus, quòd Pręlati ſicut poſſunt Fratres ex cauſa rationabili diſpēſare a Choro, ita poſſunt eos diſpen-

ſpenſare quoad proprietatem officij, quæ inducta eſt ab Ordine: non tamen poſſunt eos diſpenſare quoad ſubſtantiam Officij, quin illud dicant Fratres quoquo modo, vtpotè, quando deberet fieri de feria, poſſunt ex aliqua honeſta, & deuota cauſa diſpenſare, quod fieret de aliquo Sancto Officium trium lectionum, vel nouem, vel ſicut fit de feſto Duplici, & ſupra. In quo caſu Fratres, qui non dixerunt Officium Beatæ Virginis in Choro, tenentur illud dicere in priuato. Item declaramus, quòd Fratres tenentur ex præcepto ſemel in Hebdomada totum Officium Defunctorum dicere, cum dici debet infra Hebdomadam in Choro, omni antiqua conſuetudine rationabiliter prætermiſſa. Nam in Capitulo Salmanticen. 1551. auctoritate Apoſtolica ſtatutum fuit tam de Officio Defunctorum, quam de Litanijs hoc modo: Abſoluimus tam Chorum, quam Miniſtros Altaris ab obligatione recitandi Vigilias trium Lectionum pro mortuis, prout hactenùs obſeruatum eſt. Et in recompenſationem, pro debito iuſtitiæ, & charitatis, ordinamus; & ita ſeruari volumus, vt nullis Feſtis aut Octauis etiam Solemnibus obſtantibus (præter Octauas Paſchæ, & Pentecoſtes) totum Officium pro ipſis Defunctis cum nouem lectionibus qualibet Hebdomada ſemel ab omnibus, & ſingulis Fratribus tam in Choro, quam extra exiſtentibus perſoluatur. Et manè ſequenti, pro ipſis vna Miſſa de Requiem cantetur, ſi non ſit dies multùm ſolemnis: aliàs cantetur Miſſa ordinaria, cum Oratione: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui viuorũ dominaris &c.* & cum aliqua proceſſione per clauſtrum, vel per Eccleſiam; cum Reſponſorio, vel Reſponſorijs &c. & hoc inuiolabiliter in omnibus Conuentibus Ordinis noſtri obſeruetur: ſuper quo tam Prælatorum, quam Cantorum conſcientias oneramus. Qui etiam curent, vt tali die, & hora; prædicta fiant, quibus omnes poſſint melius intereſſe. Ad quæ omnes, & ſinguli teneantur, etiam Magiſtri, & actuales Lectores, ſuis diſpenſationibus non obſtantibus.

Item declaramus Litanias debere dici in Choro quando fit de feria, prout hactenùs factum eſt; ſed in eis non repetatur à Choro nomen alicuius Sancti, ſed ſolùm reſpondeatur: *Ora pro nobis.* Neque dicantur poſt Matutinas, ſed in ſerò præcedenti poſt Completorium, vbi meliùs omnes Fratres conueniunt. Qui autem non conuenerint, vel extra Conuentum fuerint, ad eas minimè teneantur. Item quòd in ipſis Litanijs nomina Sanctorum, qui non habentur in Ordinario

nario à nemine apponantur, & appoſita deleantur.

Pro ſingulari autem Ordinis noſtri ergà Beatam Virginem, eiuſdem Ordinis Patronam deuotione, & vt pro innumeris ab eiuſdem Virgineis manibus acceptis beneficijs aliquales gratias rependamus, & Ordo noſter (cuius ſingulari favore, ac beneficio procreatus eſt) ipſius patrocinio protegatur: volumus, & ordinamus, vt in omnibus noſtri Ordinis Conuentibus, locis, domibus, ac Monaſteriis, etiam Monialium, eiuſdem Deiparæ Virginis Litaniæ ſingulis diebus Sabbati, prout in multis noſtri Ordinis Conuentibus, pie fieri iam conſueuerat, poſt Salue Regina decantentur. Item vt Octavæ ſolemnes feſti Sanctiſſimi Roſarij menſe Octobri celebrentur, ità tamen, vt Feſtum Angelorum non prætermittatur.

Vt autem cultus ergà Diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum magis eluceſcat, confirmamus illam jàm in multis Capitulis Generalibus ſancitam Ordinationem: vt videlicet in diebus Cœnæ Domini, & Paraſceues antè ſepulchrum, vbi Sacratiſſimum Chriſti Corpus aſſeruatur, à noſtris Fratribus cum deuotione, & religioſa grauitate, vigiliæ fiant: quod & fieri, ac diligentiſſimè obſeruari volumus, quoties Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandum proponitur. Præcipimus etiã omnibus Conuentuum noſtrorum, & Prouinciarum Præſidentibus, vt ſingulis ſeptimanis Sacroſancti Euchariſtiæ Sacramenti formæ, ſeu particulæ, etiam illæ, quæ ſecularibus porrigi ſolẽt, qua par eſt reverentia, inſpectione, ac munditia, prout tantum Sacramentum decet renouentur. Et quoties Sacerdos ad thurificandum Altaria cappa, ſeu pluuiali indutus procedit, ſtolam deferat. Bononiæ 1615.

I I.

HOræ omnes tàm diei, quam noctis in Eccleſia *f* breuiter, & ſuccinctè taliter dicantur; ne Fratres deuotionem amittant, & ſtudium eorum minimè impediatur. Quod ità dicimus eſſe faciendum, vt in medio verſus metrum cum pauſa ſeruetur: non protrahendo vocem in pauſa, vel in fine verſus; ſed ſicut dictum eſt, breuiter & ſuccinctè terminetur. *g* Hoc autem magis, & minus pro tempore obſeruetur.

f Breuiter, & ſuccinctè) De-

Declaramus; quòd Diuinum Officium debet cantari deuotè cum quadam dulcedine, & ſuauitate vocis, non cum rigiditate, nec cum aſperitate, nec nimis altè, ſed voce mediocri. Breuitèr, hoc eſt, diſtinctè, expeditè, & non nimis moroſè. Debet etiam dici ſuccinctè, hoc eſt ſine caudis, & protractione vocis in pauſis, vel in fine verſuum; & hoc ne Fratres deuotionem amittant, ſi feſtinanter, confusè, & ſine pauſis: & non tractim, & diſtinctè dicatur, & ne etiam ſtudium eorum impediatur, ſi nimis moroſè, & cum caudis, & protractione vocis in medio, vel in fine verſuum decantetur. Et quando verſus eſt longus, debet fieri duplex pauſa inter principium, & finem verſus; vna brevis, ſeu minor, & alia maior in medio verſus: & huiuſmodi pauſæ fiunt propter reſumptionē anhelitus, & propter decentiam, & decorem pſalmodiæ. In fine autem verſuum non debet fieri pauſa inter verſum, & verſum, quamvis non debeat incipi ſequens verſus, antè terminationem verſus pręcedentis. Pulchritudo enim Officij conſiſtit in pauſis, & deturpatio ejus conſiſtit in feſtinatione, & confuſione, quæ cauſatur per remotionem pauſæ. Prolixitas autem Officij cauſatur ex protractione vocis in medio, vel in fine verſus. Et ideò vt Officium tractim, & diſtinctè, & devotè dicatur; pauſæ ſunt faciendę, & caudę amputandę.

g Hoc autem magis, & minus pro tempore obſeruetur.) Declaramus, quòd pro varietate dierum eſt maior, vel minor ſolemnitas in Officio Diuino obſervanda. In diebus enim feſtivis eſt Diuinum Officium cum maioribus pauſis celebrandum, quia tunc Fratres ſunt minus in ſtudio, & lectionibus occupati; & etiam ſeculares in præfatis diebus ſolent magis ad Diuinū Officium conuenire; & etiam illis diebus magis tenemur Deo vacare, quia ad hoc tales feſtiuitates ſunt inſtitutæ. Ideò illis diebus deuotè, alacriter, & ſolemniter Diuinum Officium decantandum eſt: alijs verò diebus poterit minùs ſolemniter, & cum minori pauſa, tractim tamen & diſtinctè, ac deuotè celebrari.

III.

TEmpore quo bis reficiuntur Fratres, *h* legatur antè Completorium in Eccleſia lectio; Fratres ſobrij eſtote, &c. *i* & facta confeſſione, & dicto Completorio, det qui præeſt benedictionem; *k* & Hebdomada-

madarius aquam aſpergat benedictam, *l* poſtea dicatur Pater noſter, & Credo in Deum; quod etiam fieri debet ante Primam, & Matutinas.

h Legatur in Eccleſia Lectio: Fratres ſobrij eſtote, &c.) Declaramus, quòd quando in Eccleſia antè Completorium legitur lectio: *Fratres ſobrii eſtote &c.* debet præmitti: *Iube Domne benedicere*: & Hebdomadarius ſubiungere benedictionem; ad quàm omnes Fratres inclinare debent vſque ad genua, ſicut ad benedictionem, quæ datur antè Lectionem in Refectorio, in prandio, & in cœna. Sicut declaratum fuit Salmanticæ 1551.

i Et facta confeſſione, & dicto Completorio, det qui præeſt benedictionem) Declaramus, quòd quando plures Prælati ſunt in Choro, ille qui præeſt alijs loco, debet dicere *Confiteor*, & dare benedictionem: & in fine Horæ *Fidelium* dicere, cum gravitate, & tali voce, vt poſſit ab omnibus audiri. In domibus autem, ſeu Vicariatibus locorum, ſi Prior Conuentualis fuerit præſens, præcedere debet Vicarium, & dicere *Fidelium*, etiam ipſo Vicario præſente: ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1574. In abſentia autem Prælatorum, & Supprioris, Hebdomadarius omnia illa prædicta facere debet. Qui etſi non præſit alijs loco, præeſt tamen eis pro tunc officio, & auctoritate. Item declaramus, quod in fine cuiuslibet Horæ, quando poſt ipſam non eſt immediatè alia Hora, neque Miſſa dicenda; debet dici *Fidelium*, & ſtatim poſt *Pater noſter*, flexis genibus, debent: Fratres dicere: *Salue Regina &c. Pie Pater Dominice, &c.* cum verſibus, & orationibus notatis. Quando verò Miſſa Conuentualis dicitur poſt aliquam Horam, & alia Hora non ſequitur; debet immediatè poſt Miſſam dici *Fidelium*, & *Salue Regina*. Si verò Miſſa fuerit de Mortuis, dicto *Requieſcant in pace*, & reſponſo, *Amen*, debet dici *Pater noſter*, & *Salve* vt ſupra: ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1252. & apud Lemouicum 1384.

k Et Hebdomadarius aquam aſpergat benedictã.) Declaramus, quòd in feſtis Duplicibus, & ſupra, & quando fit de B. Virgine, & infrà Octavas. Solemnes, & quando in Choro non recitatur Officium quotidianum B. Virginis; ſtatim poſt Completorium de Tempore, hora populo opportuna, debet cantari Antiphona *Salve Regina*. Cuius in Eccleſia proceſſionaliter

ter decantandæ inſtitutio cum ipſo Ordine à Sancto Patre noſtro Dominico ortum habuit: ſicut fuit denunciatum Barcinonæ 1574. In alijs verò diebus, quando in Choro recitatur Officium quotidianum Beatiſſimæ Virginis, prædicta Antiphona poſt Completorium eiuſdem Virginis Beatiſſimæ decantari debet. Ad quam ſanè proceſſionem omnes Fratres, etiam quocumq;modo à Choro exempti debent conuenire; tùm propter deuotionem erga ſacroſanctam Deiparam ſpecialem Ordinis noſtri Aduocatam, tum propter Indulgentiam ducentorum dierum, omnibus non ſolum Religioſis, ſed etiam ſecularibus, qui adſunt in Eccleſia dùm prædicta Antiphona cantatur à Paulo Quinto conceſſam: vt fuit denunciatum Romæ 1608. Quando autem Fratres proceſſionaliter procedendo fuerint in Eccleſia laicorum, debet Hebdomadarius aqua benedicta Fratres omnes aſpergere, incipiendo à Choro dextro; niſi major Prælatus, qui loco omnes alios Fratres præcederet, eſſet in Choro ſiniſtro: quia tunc ille primò eſſet aſpergendus, & poſteà Chorus dexter. Et idem faciendum eſt in thurificatione, vt ſcilicet poſt eum, qui facit officium, & Acolythos, & Cantores, Prælatus, qui ſuperiorem locum inter alios Fratres tenet, ſi fuerit in ſiniſtro Choro prius thurificetur, & deindè Chorus dexter. Si autem Prælatus, qui eſt in ſiniſtro Choro haberet aliquem Fratrem Magiſtrum ſupra ſe, tunc aſpergendus, & thurificandus eſſet prius Chorus dexter. Sed ſi Magiſter Ordinis (qui in ſua ſemper ſede manere debet) fuerit in Choro, thurificato eo qui fecit officium exiſtente in Choro ſiniſtro, debet thurificari ipſe Magiſter Ordinis, deindè Acolythi, ac poſtremò alij per ordinem.

l Poſtea dicatur Pater noſter, & Credo in Deum.) Declaramus in Capitulo Bononienſi 1564. & in quamplurimis alijs Capitulis ordinatum fuiſſe, vt poſt *Pater noſter*, *&* *Credo in Deum*, recitata in fine Completorij, Fratres in Choro perſiſtant ad orationem mentalẽ ſaltem per quartam partem horæ. Quæ ſanè Oratio poſt Completorium ſingulis diebus, & poſt Matutinas hyuerno, poſt Nonã verò eſtiuo tempore habenda eſt. Curent igitur diligenter Prælati, vt tàm ſalubris inſtitutio, vbi jam eſt inducta ſervetur: vbi verò intermiſſa eſt, omninò reſtituatur. Quod ſi in ea re fuerint negligentes, à ſuis Prouincialibus, vel à Viſitatoribus corripiantur; ſicut fuit ordinatũ Romæ 1571. Barcinonæ 1574.

I V.

TOtum Officium, tàm diurnum, quàm nocturnum, ſecundùm correctionem, & ordinationem Venerabilis P.F.Humberti Magiſtri Ordinis noſtri confirmamus, & volumus vniformiter ab omnibus obſervari: *m* ità quòd nulli liceat aliquid de cætero innovare. *n* Fratres noſtri non habeant in domibus noſtris, niſi vnam campanam ad omnes Horas. Solus Hebdomadarius tàm in Choro, quàm in proceſſione cappa ſerica vtatur.

m Aliquid de cætero innouare. Declaramus, quòd Magiſter Ordinis non poteſt aliquid innovare circa Divinum Officium ad durandū perpetuò per modum Conſtitutionis, vel conſuetudinis generalis: ſicut non poteſt tollere conſuetudines communiter approbatas, & obſervatas in Ordine, neque nouas inducere. Poteſt tamen ex devotione, vel ex alia cauſa rationabili in aliquo Conuentu, vel aliqua Provincia diſpenſare, quod ad horam aliquid immutetur circa proprietatem Officij, inductam ab Ordine: puta; quod fiat de aliquo Sancto feſtum Simplex, vel Duplex (obtento tamen prius Sacræ Rituū Congregationis conſenſu): ſeruato quoque ordine ſecundùm correctionē Magiſtri Humberti inducto: videlicet ſi ſit Confeſſor, dicantur Pſalmi, Hymni, Verſiculi, & Reſponſoria de Confeſſore: ſi verò fuerit Martyr dicantur Pſalmi, Hymni, Verſiculi, & Reſponſorij de vno Martyre, & ſic de reliquis. Salmanticæ etiam 1551. Apoſtolica auctoritate fuit ordinatum Officium commune vnius Sanctæ nec Virginis, nec Martyris, ſicut in noſtro Breviario habetur, & Bononiæ inſtitutum 1615. quod ſequitur: Vnanimi omnium noſtrum voto, pro omnibus noſtris Provincijs ſtatuimus, vt feſtum de Angelo Cuſtode ſub Toto Duplici (Officio B. Virginis Mariæ non prętermiſſo,) ſingulis annis celebretur. Item S. Caroli Borromæi feſtum 4. Novembris volumus à Fratribus noſtris, & Sororibus ſub Toto Duplici celebrari. Circumciſionis quoque Dominicæ feſtivitas ſub Toto Duplici in poſterū celebretur, ibidē Bononiæ 1615. & SS. Virginis ad Nives die 5. Auguſti, & S, Franciſci 4. Octobris, vtrumque ſub toto Duplici; ſicut & feſtum Cathedræ S. Petri ſub Duplici. Vallisoleti 1605. In omni-

omnibus autem Conventibus, vbi viget ſtudium Artium ſimul, & Theologiæ; ſingulis quartis Feriis fiat Officium de S. Thoma Aquinate; eodem modo, quo in tertiis Feriis fit Officium de S. Dominico; excepto ſi in Feria quarta occurrat Feſtum 3. lectionum, quod ad quindecim dies differri non poſſit, quia tunc de eo fiet Officium, cum memoria de S. Thoma Aquinate. Pariſijs 1611. Neque etiam in Officio quotidiano B. Virginis memoria S. P. Dominici vnquam intermittatur, etiam ſi de eo in Choro agatur ibidem Pariſijs.

Modò verò hæc Feſta ſuperiùs recenſita celebrari debent, ſecundùm illam ſolemnitatem, quam habent in Kalendario a Sacra Rituum Congregatione, & Summo Pontifice recenter approbato.

n Fratres noſtri non habeant in domibus noſtris niſi vnam campanam.) Declaramus, quòd in principio Ordinis in domibus noſtris non habebamus, niſi vnam campanam, vt notatur in *cap. Nimis primo; Extra* de exceſſ. Prælat. & in *cap. patentib.* de Privileg. ſecundùm Hoſtien: & Panormitanum. Sed huic Conſtitutioni derogatum eſt, per contrariam cōſuetudinem quaſi generalem non quidem temerè inductam, ſed ad excitandam Chriſtiani populi devotionem; quæ cùm iā præſcripſerit, vim ſine dubio legis obtinuit. Servatur tamen hæc Cōſtitutio quoad hoc: quod in diebus non ſolemnibus, vnam tantùm campanam pulſamus ad omnes Horas. In feſtis autem Duplicibus, & ſupra; ad excitandam populi devotionē pulſamus campanas in Matutinis, & ad Miſſam Conuentualem.

Item declaramus, quòd Innocentius XI. Pontifex Maximus, per Breve, quod incipit; *Exponi nobis nuper fecit* &c. Datum Romæ die 12. Februarij Anno 1685. conceſſit; ut Fratres noſtri in ſuis Conuentibus, ſiue Eccleſijs vbicumque locorum exiſtentibus, plures, & quotquot Magiſter Generalis pro tempore exiſtens, ſiue Prior Provincialis cuiuslibet Provinciæ reſpectiuè determinauerit; Campanas habere, illaſque ad excitandam populi devotionem, liberè, & licitè pulſare valeant.

Ordinamus etiam, & vbique ab omnibus prorſus obſeruari volumus, vt Sacerdotes in noſtro Ordine poſt Miſſam legant Euangelium. *In principio erat Verbum* &c. & etiam ubiq. in ſacro Miſſæ ſacrificio, etiam non ſolemni, vel maiori accedatur cereus in conſecratione, & elevatione Sanctiſſimi Sacramenti Corporis Chriſti, & aliquod ictibus

bus cãpanulæ admoneatur populus,quo deuotiùs tantùm Sacramentum adorare poſſit;ſicut fuit ordinatumRomæ 1589.Ne autem dum nimium ſecularium devotioni indulgemus, inordinatus à nobis cultus Deo OptimoMaximo reddatur,cùm præſertim paupertatis, & inſtituti noſtri memores eſſe debeamus, vtpotè divina Officia ex præſcripto noſtrarum Conſtitutionum,cantu Chorali breviter,& ſuccinctè pro qualitate tamen, & varietate ſolemnitatum taliter perſoluantur,neFratres deuotionem amittant, aut eorum ſtudiũ impediatur:diſtrictè prçcipimus conſcientiam Prælatorum aggravantes,ut muſicæ in Eccleſijs noſtris,quam moderatiſſimæ fiant,neque liceat eiſdẽ Muſicis, ſeriem noſtri Officij contra præſcriptum Ordinarij noſtri imminuere, aut immutare.Cùmque domum Dei deceat ſanctitudo,ac indè nedum profana,ſed etiam religioſa ſpectacula, ſive repræſentationes arcendæ ſint; præſertim cum pio illi loco, qui Domus orationis eſt, minimè congruant: idcircò ab Eccleſijs, & Cæmeteriis noſtris ſub pœna gravioris culpæ, tàm Prælatis,quàm ſubditis eliminanda præcipimus, quacumque in contrarium conſuetudine, quæ potiùs abuſus eſt, non obſtante. Bononiæ 1615.

Cæterum, vt in Divinis obſervandis, recitandiſq; uniformitas, iuxtà præſcriptũ noſtrarumConſtitutionum vbique ab omnibus ſervetur, plurima à Capitulis Generalibus circa Eccleſiarum veneratione͂,Altarium ornatum,& ſacrificijMiſſæ celebrationem ordinata fuerunt, præter ea, quæ in Ordinario,&Miſſali præſcripta ſunt.

1. Imprimis in Eccleſijs Fratres,nec inter ſe,nec cum ſecularibus confabulantes deambulent,maximè in proſpectu Sanctiſſimi Sacramenti: & præſertim coram ſecularibus. Romæ 1571.Barcin.1574. Romæ 1580.

2. Eccleſiæ ad eum modum mundentur, & ornentur; ut in eis nihil ſit, quod domum Domini dedeceat: vel aduenientium oculos offendat.

3. Altaris conſecratis menſa decenter ſtrata, ornata, munda ſit: tribuſque mappis lineis, & mundis cooperta; quæ etiam habeat coopertorium coriaceũ, vel ex craſſiori,& colorata tela, vt à pulvere, & alijs immundicijs mappæ præſerventur.

4. Altaria portalitia ex per polito lapide, integra,longitudinis vnius palmi cum dimidio, latitudinis verò vnius palmi ad minus, non computato ornamento ligneo, in medio menſæ Altaris aptè inſerta ſint: vt non nihil emineant è ſuperficie menſæ; quo Sacerdotis tactu poſſint dignoſci.

5. Cor-

5. Corporalia latitudinis duorum palmorum, longitudinis verò duorum, & dimidij ad minus è tela candida, linea, pura, & ſimplici; nihil elaborati, aut ſerico intexti habeant. Hæc verò, & purificatoria, & ſtrophiola ſæpiùs laventur.

6. Burſæ Corporalium ex vna parte crucem, vel imaginem aliquam ſacram. ex alterà verò verba conſecrationis in ſcheda deſcripta (ubi tabellæ non ſunt in Altari eadem continentes) intrinſecus ſerico, aut tela tenui fulciantur.

7. Ampullæ nonniſi è vitro, non depicto, ſed perlucido, opercula ſtannea, vel argentea, vel alia habeant.

8. Confeſſionalia à lateribus Eccleſiæ extrà Chorum, locis decẽtibus cum feneſtellis crate aliqua diſtinctis aptè collocentur.

9. In Sacriſtia quatuor Tabellæ appendantur: in quarum prima, Proceſſus anniuerſarius Bullæ Cœnæ Domini; in ſecunda Caſus tam Epiſcopo, quàm Summo Pontifici reſervati; in tertia Anniverſaria, ad quæ Conuentus obligatur; & in quarta Miſſarum quotidianarum numerus repræſentetur.

10. Divinæ Laudes ſtatutis horis diurnis, nocturniſque debita cum attentione, reuerentia, ac deuotione à Fratribus omnibus: Matutinæ verò Preces nonniſi noctu perſoluantur. Venetijs 1592. Romæ 1589.

11. Sacerdos celebraturus antequàm induat ſacras veſtes confiteatur, ſedente Confeſſore, & illo genuflexo, & capite diſcooperto.

12. In introitu Miſſæ vſque ad inceptionem *Gloria in excelſis*, vbi deponuntur manus, & poſteà vſque ad eius terminationẽ incluſiuè: deindè in *Graduali*, *Offertorio* proſecutione *Credo*, in principio *Canonis*, uſque ad *Communicantes*, præmiſſis benedictionibus &c. manus coniungantur. Ad *Dominus vobiſcum. Oremus*, *Offertorium* aperiendæ primum, deindè claudendæ ſunt: in reliquis attendatur forma ab Ordinario præſcripta. Romæ 1569.

13. Miſſa nec celeriter, nec moroſè, voce mediocri, deuota, quæ à ſecularibus audiatur. *Secretæ* verò, & *Canon*, & præſertim verba conſecrationis, ſubmiſsè dicantur. Valentiæ 1596. Romæ 1569.

14. *Kyrie*. Sacerdos cum ſeruiente alternatim dicat. Valentiæ 1596.

15. In Miſſa tam privata, quàm communi, neque inter *Kyrie*, neque inter *Gloria in excelſis* quidquam quod in Miſſali deſcriptũ nõ eſt, interponatur: in reliquis etiam, nihil quod in Ordinario notatum non eſt, miſceatur. Salmanticæ 1551.

Quan-

16. Quando pulſantur Organa in Miſſa, *Gloria in excelſis* à Choro & Organis, Alternatis: *Credo* autem ſine Organis, totum à Choro dextro, & ſiniſtro, vel à Cantoribus & Choro, alternatis videlicet verſibus decantetur. Salmanticæ 1551. Ad *Gratias agimus tibi*, Fratres vſque ad genua inclinent. Romæ 1589.

17. Prophetiam in Miſſa maiori Acolytus, Epiſtolam Subdiaconus ſacris indutus, nec vllo modo alius non ordinatus dicat. Bononiæ 1564.

18. Epiſtolam Sacerdos manibus ſuper Altare, vel ſuper librum cancellatis recitet. Valentiæ 1596.

19. Ad verba in Symbolo. *Et Homo factus eſt*, omnes genua flectant. Conſtit. infrà Cap. II. Text. 4.

20. In conſecratione, & eleuatione SS. Sacramenti cereus accendatur, & aliquot ictibus campanulæ populus admoneatur. Romæ 1580. confirm. 16. & 1589 ord. 4.

21. Poſt conſecrationem Hoſtiæ, & Calicis, quoties Sanctiſſimum Sacramentum manibus tractandum fuerit, Sacerdos antè acceptionem, & poſt depoſitionem illius genua flectat: Pariſijs 1611. ord. 3. & Romæ 1612.

22. Poſt ſumptionem Sacramenti à Sacerdote dicto, *Quod ore ſumpſimus*: neque *O Sacrum*, neque *Nunc dimittis* dicatur. Salmanticæ 1551. Bina ablutio à Sacerdote ſumatur. Neapoli 1600.

23. In Miſſa Defunctorum, Benedictio non detur. Romæ 1608. & Pariſijs 1611. confirm. 3.

24. Poſt Miſſam Sacerdos Euangelium *In principio* dicat, exceptis Dominicis, & ferialibus diebus ſi in eis Miſſa, vel votiua, vel de Sancto celebratur: tunc enim Euangelium diei recitabitur. Romæ 1589. ord. 3.

25. Corporale, nonniſi poſt Euangelium *In principio*, & non antè complicet Sacerdos. Salmant. 1551.

26. Vt omnia iſta ſeruentur; Prouinciales inuigilent. Romæ 1569.

Declaramus inſuper ordinatum fuiſſe in Capitulo Mediolanenſi 1622. ord. 1. vt PP. Sacerdotes ad Altaria, vbi Corpus Chriſti aſſeruatur, Sacrum facientes; dicturi *Dominus vobiſcum*, paulisper ad ſiniſtrum cornu declinent, ne Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento terga obuertant. Similiter in confeſſione, quæ fit in inchoatione Miſſæ, vbi dicitur *Confiteor Deo*, addatur *Omnipotenti*. B. Mariæ, addatur *ſemper Virgini*. Romæ 1629. ord. 4. Beato Dominico, addatur. *Patri noſtro*, ibidem 1644. ord. 2. & in Miſſa pariter

Beati Dominici in Ferijs Tertijs, poſt vltimum Alleluia, debent dici poſtremi Verſus Sequentiæ eiuſdem: apud Nurimbergiam 1405. Reliqua, quæ vel ad integritatem, vel ad ſolemnitatem Miſſæ Sacificij pertinent, in Rubricis Miſſalis, vel Ceremoniario Ordinis videnda ſunt.

CAP. II.

De Inclinationibus.

a FInitis Matutinis de B. Virgine, quando Fratres in Chorum venerint, inclinent antè Altare profundè: & cum ad ſedes ſuas venerint, facto ſigno à Prælato *b* flexis genibus, & proſtrati ſuper formas, *c* vel inclinati profundè pro tempore, dicant Pater noſter, & Credo in Deum: Iterum facto ſigno à Prælato ſurgant. Hora itaque deuotè incepta, verſi ad Altare muniant ſe ſigno crucis, & ad Gloria Patri inclinet Chorus contra Chorum profundè; vel proſternant ſe pro tempore vſque ad Sicut erat. Hoc etiam faciendum eſt; quoties Pater noſter, & Credo in Deum dicuntur: niſi in Miſſa, & antè Lectiones, & in gratiarum actione, in quibus inclinamus ſolùm ad vtrumque Pater noſter, & ad orationem Retribuere. Item etiam faciendum eſt ad primam Collectam in Miſſa, & ad Poſtcommunionem, & ſimiliter ad Orationem pro Eccleſia, & in ſingulis Horis ad Collectam, & ad Gloria Patri, quoties in inchoatione Horæ dicitur.

a Finitis Matutinis &c.) Declaramus, quòd quando primum Fratres Chorum intrauerint, vel præſentauerint ſe ante Diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, etiam tranſeundo; non ſolum profunda inclinatione; ſed etiam genuflexione reuerenter illud adorare debent: tum propter maieſtatem Dei, tum propter præſentiam ſacroſancti Corporis Chriſti, tum etiam propter ſanctitatem Altaris. Romæ 1569. ord. 2. Et Barcinonæ 1574. confirm. 4. idem fuit confirmatum iſtis verbis: Item confirmamus, & omninò obſeruari volumus, quod iam

ab

ab vniuerſo Ordine eſt receptum, & in multis Capitulis decretum, & approbatum fuit; de adoratione Diuiniſſimi, & Auguſtiſſimi Altaris Sacramenti, non ſolùm profunda inclinatione, ſed etiam genuflexione.

b Flexis genibus, & proſtrati ſuper formas.) Declaramus iſtam genuflexionem,& proſtrationem ſuper formas eſſe, quando flexis genibus cum cubitis,& corpore procumbimus, & proſternimur ſuper formas,vel ſuper genua quando non habemus formas: quæ facienda eſt quotieſcumque fit de feria extra Tempus Paſchale ad *Pater noſter*, quando recitatur ante inchoationẽ cuiuslibet Horæ; & ad primum *Gloria Patri* poſt inchoationem Horæ, & ad primam Collectam, & ad præces, quæ dicũntur ante ipſam. Et quotieſcumquè extra Miſſam *Pater noſter*, *& Credo in Deum*, *&* *Confiteor* recitantur, ſiue coniunctim, ſiue diſiunctim, ſiue in principio, ſiue in medio, ſiue in fine Officij: præterquam ad *Pater noſter*, cùm recitatur ante lectiones; & inter *Prætioſa*, & gratiarum actiones, vbi ſolùm inclinamus profundè. Item eodem modo genuflexi proſtrationem facimus ad *Pater noſter*, cùm dicitur poſt *Fidelium*: in Gratiis quando extra Tempus Paſchale ſit de Feria, ſi ad Horam immediatè præcedentem proſtrationes ſint factæ. Et eodem modo fit proſtratio ab eo, qui legit lectionem in Matutinis: poſt finitam lectionem, inter pulpitum, & gradus presbyterij: niſi in die Animarum, vbi inclinant ſolùm profundè. Eadem proſtratio extra Tempus Paſchale fit, in omnibus diebus Ferialibus in Miſſa de Feria, pro Defunctis ad primam Collectam, quæ ſequitur poſt *Dominus vobiſcum*, & ad Orationẽ pro Eccleſia, & ad Poſtcommunionem: ſimiliter per totam Quadrageſimam in feſto cuiuslibet Sancti, in Miſſa de Feria, proſtrationes eodem modo fiunt. Item Feria Quinta in Cœna Domini, & Feria Sexta in Paraſceue: & Sabbato Sancto finitis Matutinis poſt *Kyrie*, *& Verſiculos*, *& Mortem autem Crucis*. proſtrationẽ faciant Fratres ſuper formas, quouſque recitauerint *Pater noſter*, & *Miſerere*, & Orationem *Reſpice*. Item in Paraſceue, & Sabbato Sancto, eodem modo Fratres proſtratione faciant, ſicut in alijs diebus ferialibus, & etiam ad *Miſerere*, quod recitatur poſt Antiphonam cuiuslibet Horæ. Item quotieſcumque recitatur Officiũ Mortuorum extra Tempus Paſchale, & fit de Feria, Fratres in Choro iaceant proſtrati: ad *Pater noſter*, cùm recitatur poſt Antiphonam ad Magnificat, & ad totum Pſalmum *Lauda anima*

mea &c. in Veſperis Defunctorum; & ad primam Orationem, & ad *Pater noſter* poſt *Requieſcant in pace*. Et idem fieri debet in Laudibus poſt Antiphonam ad *Benedictus*, & ad Pſalmum *De profundis*. Item eodem modo fit proſtratio, quotieſcumq; dicuntur Litaniæ in Choro: à principio Pſalmi *Deus in adjutorium*, vſque ad vltimam Orationem.

Similiter quando fit diſciplina, à *Confiteor* vſque ad finem Orationis. Similiter in die Cinerum, & in die Cœnæ Domini ante Miſſam Fratres in Choro proſtrationem ſuper formas faciant, dum recitantur Pſalmi Pœnitentiales. Similiter quotieſcumque Prælatus facit generalem abſolutionem, Fratres proſtrationem faciant dicendo, *Confiteor*. Similiter quando Diaconus antè Comunionem, vel poſt defert pixidem, in qua eſt Corpus Chriſti; & quotieſcumque alias Fratribus exiſtentibus in Choro, hoc Sacramentum defertur. Similiter dùm fit Communio, Fratres in Choro exiſtentes, proſtrationes ſuper formas faciant. Item in Paraſceue in Miſſa antè adorationem Crucis, quando Prælatus detegens Crucem, & eleuans incipit Antiphonam, *Ecce lignum Crucis*: in ipſius inchoatione omnes Fratres genua flectendo proſternant ſe ſuper formas. Et idem faciant, dum poſt adorationem eleuans ipſam incipit Antiphonam *Super omnia*: quouſque Cantor proſecutionem Antiphonæ incipiat, ſimiliter quando ille, qui legit Paſſionem pronunciauerit *emiſit ſpiritum*, Fratres proſtrationem faciant ſuper formas, Deo deuotè gratias agendo; quouſque Sacerdos ſignum fecerit. Item Ferialibus diebus omni tempore in Miſſa iacemus proſtrati ſuper formas, poſtquam cantatum eſt *Sanctus*, vſque ad *Agnus Dei* excluſiuè. In feſtis verò trium, & nouem Lectionum, poſt eleuationem Calicis, vſque ad *Pater noſter* excluſiuè.

c Vel inclinati profundè.) Declaramus tres eſſe differentias inclinationum. Prima dicitur profunda. Secunda vſque ad genua. Tertia dicitur inclinatio capitis. Prima eſt quando corpus & caput tantùm inclinantur, quantùm cubitus poteſt genibus inhærere: & hæc facienda eſt ante Altare, quando Fratres intrãt Chorum, vel exeunt, vt dictum eſt: & quando dicitur *Pater noſter* ante Lectiones, & infra gratiarum actiones, & ad Orationem *Retribuere*, tam in Choro, quàm in Capitulo; & quotieſcumque recitatur *Pater noſter*, & *Credo* in principio, vel in medio, vel etiam in fine Horarum: & poſt gratiarum actiones, & in Veſperis, & in Matutinis Defunctorum, & ab eo, qui legit, poſt

poſt finitam Lectionem in Matutinis inter Pulpitum, & gradus Presbyterii; & in feſtis triũ Lectionum, & ſupra, & ad primam Collectam, poſt *Dominus vobiſcum*, ſiue in Horis, ſiue in Miſſa, & ad Orationem pro Eccleſia, & ad primum *Gloria Patri* in inchoatione Horæ, Tempore videlicet Paſchali, & præfatis feſtis. Item facienda eſt profundè, quoties proſtrationes intermittũtur: videlicet in omni Sabbato,& in Vigilia cujuslibet feſti nouem Lectionum in Nona, præterquam in Quadrageſima; nam tunc etiam in Nona, prædictis diebus proſtrationes ſunt faciendæ. Item intermittuntur in Veſperis Sabbati, & Vigiliæ feſti nouem Lectionũ, & deinceps vſque ad Completorium Dominicæ, vel Feſti, vbi per totum annum ad Horas, & Orationes in Miſſa, nullæ fiunt proſtrationes. Similiter in feſto trium Lectionum à primis Veſperis vſque ad Nonam ſequentis diei incluſiuè, proſtrationes non fiunt, nec etiam poſt Gratiarum actiones, quando dictum Feſtum in die Ieiunij euenerit: ſimiliter quando in Veſperis cãtatur Antiphona O, per ſeptem dies ante Vigiliam Natiuitatis Domini, intermittuntur proſtrationes. Item in quarta Feria Dominicæ in Ramis Palmarum in Veſperis, & in Completorio proſtrationes dimittuntur: & etiam in Cœna Domini ad Matutinas, & Horas, & ad Orationes in Miſſa proſtrationes non fiunt. Item a Feria ſecunda poſt Octavam Paſchæ, vſque ad ſextam Feriam poſt Octavam Corporis Chriſti, intermittuntur proſtrationes ad Orationes in Miſſa, ad Matutinas, & ad alias Horas. Item in die Animarum ad Matutinas,& ad Horas,& ad Orationes in Miſſa, proſtrationes non fiant. Item quotieſcumque aliquod Feſtum in ieiunijs Quatuor Temporum venerit, intermittuntur proſtrationes:& in Miſſa de Feria, præterquam in Quadrageſima. Item quando in Profeſtis diebus celebratur *Miſſa Dominicalis*, quæ in Dominica non fuit celebrata, vel *Miſſa de Cruce*, vel *de Spiritu Sancto*, vel *de Beatiſſima Virgine*, vel de aliquo Sancto, intermittuntur proſtrationes ad Orationes. In prædictis autem diebus, in quibus proſtrationes intermittuntur, debent Fratres in Choro vice proſtrationis inclinationem profundam facere.

I I.

AD omnia autem alia Gloria Patri, & ad extremos verſus Hymnorum, & ad penultimum verſum Cantici Benedicite, *d* inclinamus vſque ad ge-

genua. Similiter quando cantatur Gloria in excelſis, ad Suſcipe deprecationem noſtram: & quotieſcumque nomen Ieſu in Præfatione, in Collecta, in Antiph. Salve Regina, & in Gloria in excelſis nominatur. *e* Quando verò nomen Ieſu alias in Choro nominatur, eidem Fratres reuerentiam faciant capite deuotius inclinato. Item inclinamus vſque ad genua in benedictione lectionis, & in Capitulo ad Orationem S. Maria, & in omni Oratione, quando nomen Beatæ Virginis in Antiph. Salve, & in Præfatione nominatur. Idem fiat in qualibet Miſſa Conventuali, dum dicitur in Præfatione, Gratias agamus Domino Deo noſtro: & ſimiliter ad verſum, O Crux ave, Fratres reuerenter in Choro inclinent: ſicut fieri debet, quando nomen Ieſu, aut B. M. Virginis Matris ejus in collecta nominatur.

d Inclinamus vſque ad genua.) Declaramus hanc eſſe ſecundam inclinationem, quæ dicitur vſque ad genua, quando videlicet caput taliter inclinatur, quòd ſit per directum ad genua oppoſitum. Et hæc facienda eſt ad omnia, ad quæ Conſtitutio præſcribit: & ad benedictionem, quæ datur poſt Completorium. Et ad *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, quando dicitur, *Gloria in excelſis*: & ad inchoationem Hymni, *Ave maris ſtella*. Barcinonæ 1574. Declaramus tamen rurſus ordinatum fuiſſe in Capitulis Vliſſiponen. 1618. inchoat. 1. Mediolanenſi 1622. confirm. 1. & Romano 1629. ordin. 3. vt loco inclinationis profundæ in pronunciatione Hymni *Ave maris ſtella*, maneant Fratres genuflexi, vſquequo abſoluatur prima ſtropha.

e Quando verò nomen Ieſu alias in Choro nominatur eidem Fratres reuerentiam faciant, capite deuotius inclinato.) Declaramus hanc eſſe tertiam inclinationem, quæ dicitur inclinatio capitis, quando ſimul caput cum corpore aliqualiter inclinatur: & hæc facienda eſt, quando etiam nomen Jeſu extrà Chorum nominatur. Romæ 1558.

Item

Item quotieſcumque dicitur, *Sit nomen Domini benedictum*, Salamanticæ 1551. Item declaramus, quòd etiam deuotius inclinamus capite diſcooperto ad verba in Symbolo, *Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur*, ut Romæ 1580. inchoatum, & iterum ibidem 1583. confirmatum, & tandem in Conſtitutionem redactum fuit Romæ 1589. Item caput inclinamus, quotieſcumque vel aliquid veſtimenti, vel quodcumque aliud Fratri tribuitur:& quando Prçlatus aliquam commemorationem iniunxerit, vel aliquid facere, vel dicere impoſuerit. Similiter quando Cantor, vel alius Frater Pſalmum, & Antiphonam inchoaverit, debet caput reuerenter inclinare. Similiter quando quis tranſit iuxtà Prælatum, vel Superiores ſuos, reuerenter caput inclinet. De inclinatione porrò ad *O Crux ave*, in ſequenti declaratione dicetur.

I I I.

HOrà itaque prædicto more incepta, poſtquam ad Gloria Patri poſt Venite inclinaverint, ſtet Chorus contrà Chorum. Deindè ad primum Pſalmum ſedeat vnus Chorus, & ad ſecundum ſimiliter ſtet, & alius ſedeat, & ſic alternent vſque ad Laudate Dominum de cœlis:& ſic faciant ad omnes Horas. Finita autem lectione in Matutinis, niſi fiat Officium pro Mortuis, ille qui legit inter Pulpitum, quod eſt in medio Chori, & gradus, inclinationem faciat; vel proſternat ſe pro tempore. In inclinationibus conformemur moribus eorum, ad quos declinamus.

I V.

g PОrrò ad Salue ſancta parens, & ad Salve poſt Completorium, & ad Veni Sancte Spiritus,& ad Veni Creator Spiritus, in die Pentecoſtes, & per totam hebdomadam, & ad Credo in Miſſa ad, Ex Maria Virgine, & Homo factus eſt, flectimus genua: In Ferialibus quoque diebus iacemus proſtrati, à Sanctus vſque ad Agnus: In feſto verò Trium, & Novem lectionum iace-

mus proſtrati ab eleuatione calicis, vſque ad Pater noſter. In proſtrationibus idem ſervamus, in feſto Trium lectionum, vel Nouem. Quando Prælatus iniunxerit aliquam communem Orationem, inclinent omnes. Similiter omnes faciant, quibus aliquid facere, vel dicere iniunxerit. Si autem aliquam obedientiam, vel officium, vel miniſterium aliquod cuiuis iniunxerit, *i* humiliter proſternens ſe ſuſcipiat, quod iniunctum ei fuerit. Quando etiam Fratribus quidpiam veſtimenti tribuitur, inclinantes Benedictus Deus dicant.

g Porrò ad Salve Sancta parens.) Declaramus hanc eſſe genuflexionem rectã, quando videlicet curuantur genua, toto corpore exiſtente erecto. Et hæc eſt facienda, cùm in Choro cantatur in introitu Miſſę, *Salve ſancta parens*; Et toties pariter, quoties eam faciendam eſſe ſtatuit Conſtitutio. Præterea fieri debet ad *Salve Regina* poſt Horas. Et cùm in proceſſione, quæ fit Dominica in Ramis Palmarum, dicuntur illa verba *Ave Rex &c.*, & denique in die Paraſceve, quando inchoatur *Sanctus Deus &c.* Iterũ declaramus noviter Conſtitutionem eſſe factam, quod genua flectant Fratres ad illa verba Euangelij Epiphaniæ, *Et procidentes adoraverunt eum*; & in Cantico, *Te Deum*; ad verſiculum, *Te ergo quæſumus*; & in Hymno Corporis Chriſti ad verſum *Tantum ergo Sacramentum*, vt Romæ 1580. inchoatum, inchoat. 1. & iterum ibid. 1583. confirm. 1. confirmatum, & nouiſſimè etiam Romæ 1589. confirm. 2. in Conſtitutionem redactum fuit.

Declaramus inſuper in Capitulis Romano 1644. ordin. 16. & Valentino 1647. ordinatum fuiſſe, quatenùs ad demonſtrandam exteriorem humiliationẽ, internæ animi ſubmiſſioni reſpondentem; ad illa verba Inuitatorij, *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, Fratres in Choro genua flectant: cantantes verò, vel recitantes poſt expletum verſum reuerenter inclinent. Idem dicendum eſt de illis Euangelij verbis, *Et Verbum caro factum eſt*; juxta ordinationem Capituli Valentini 1596. Tum & ad illum Hymn. de SS. Trinitate, *Adſumus & nos cernui, te adorantes famuli*, vbi Eccleſiæ ſecularium ità facere ſolent: & hoc fuit ordinatum

Romæ

Romæ 1644. ordin. 16. Similiter in decantando *Salue Regina* poſt Completorium, ad illa verba, *Eia Ergo advocata noſtra*, vſque ad illa *poſt hoc exilium oſtende* genuflexi manere debemus. Valentiæ 1647. Hoc idem obſervari ſolet in Miſſis de Feria tempore Quadrag. ad illa verba Tractus, *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter &c.* Romæ 1650. & 1656. Pariter ad *Veni Sancte Spiritus*, in Miſſa de Spiritu Sancto.

Pariſijs quoque nouiſſimè 1611. ordin.3. ordinatum fuit, vt in Sacrificio Miſſæ deinceps facta conſecratione, tùm antè, & poſt eleuationem tàm Hoſtiæ, quàm Calicis; tùm etiam quotieſcumque tantum Sacramentum manu tractandum venit: Sacerdos antè eius acceptionem, & poſt eius depoſitionem ſingulis vicibus (omiſſa profunda venia) genua flectat.

Porrò vt memoria Paſſionis Dominicæ tanto magis in veneratione habeatur, quamquam antiqua Conſtitutio aliter diſponebat, nimirum, vt tantùm inclinaremus: nunc autem in Hymno Paſſionis ad verſum illum, *O Crux ave ſpes vnica*, flectimus genua, quod eſt in Capitulo his verbis decretum Venetiis 1592. Confirmamus id, quòd in Capitulo Generali Romæ 1583. inchoat.2. inchoatum, & in Capitulo Romæ 1589. pariter confirmatum fuit: nempè, quòd in Hymno Paſſionis cum peruenerint Fratres ad verſiculum illum, *O Crux ave, &c.* omnes devotè genua flectant; & hoc iam habet vim Conſtitutionis. Item genua flectimus ad Antiphonam, *Sub tuum præſidium*, quotieſcumque in Choro dicitur. Bononiæ 1615. ordin.3.

i Humiliter proſternens ſe.) Declaramus præter inclinationes, & proſtrationes, ac genuflexiones prædictas, aliam eſſe proſtrationem, quæ dicitur venia: & eſt extenſio totius corporis ſuper terram; non ſuper ventrem, ſed ſuper latus, tibiam vnam ſuper aliam tibiam tenendo: & hæc facienda eſt ab omnibus Fratribus in Vigilia Annunciationis, quando ab eo, qui legit in Martyrologio pronunciatur, *Annunciatio Dominica*: & in Vigilia Nativitatis Domini, quando dicitur, *Ieſus Chriſtus Filius Dei in Bethlehem Iudæ naſcitur*, quouſque Prior fecerit ſignum. Similiter hæc proſtratio cum toto corpore, ſuper vnum latus in longum facienda eſt ab omnibus Fratribus in Capitulo, quando Prælatus dicit: *Qui ſe reos ſentiunt, faciant veniam ſuam.* Item quando Fratres dicunt ſuam culpam in Capitulo, vel vbicumque reprehenſi

henſi fuerint à ſuo Prælato, debent per modum veniæ humiliter toto corpore ſe in latus proſternere. Similiter quando exituri domo, ſunt plus quàm vna nocte moraturi:& pariter quando revertuntur, debent ſe prædicto modo proſternere, & benedictionem à Prælato ſuſcipere. Similiter, quando Frater quovis modo fratrem ſuum ſcãdalizaverit, vel offenderit: debet ante pedes eius prædicto modo proſtratus iacere, quouſque placatus eum erexerit. Similiter ſurgentibusFratribus de menſa, proſtratio prædicto modo facienda eſt ab his, qui ſerviendo, vel comedendo, vel legendo, vel aliud faciendo, in aliquo offenderint; quouſque Prælatus ſignum fecerit. Similiter ſi quis in Choro malè legendo, vel cantando offenderit, debet poſt Officium prædicto modo humiliter ſe proſternere; quouſque Prælatus ſignũ fecerit. Cæterum à Prælato, & Sacerdote, ac Miniſtris in die Cinerum, & in Cœna Domini, quando recitantur ſeptem Pſalmi Pœnitentiales in Choro, non venia, ſed proſtratio ſuper gradusAltaris facienda eſt:quẽadmodum in Ordinario ſtatuitur. Porro declaramus, quod proſtrationes,& genuflexiones, ad quas Conſtitutio in Officio recitando obligat, intelliguntur eſſe faciendæ in Choro, & non extra Chorum à Fratribus,quãdo in privato recitant Officium. Vbicumque Conventus eſt congregatus in Capitulo,vel inRefectorio, in Gratijs,& huiuſmodi; debent Fratres loco proſtrationum, inclinationes vſque ad genua facere,ſicut fuit declaratum Carcaſonæ 1378. & in multis alijs Capitulis.

CAP. III.

De Suffragijs Mortuorum.

I.

A Feſto Sancti Dionyſij, vſque ad Adventum Domini pro Anniverſario Fratrum, Sororum,& Familiarium receptorum per literas ad beneficia Ordinis, Clericus Pſalterium,Sacerdos tres Miſſas, Laici quingenta Pater noſter dicant.

a Idem faciat quilibet Frater pro defuncto Fratre ſui Conuentus: & idem fiat per totum Ordinem pro Magiſtro Ordinis, & à Comprouincialibus pro Priore Prouinciali defuncto. Idem etiam fiat per totum Ordinem *b* pro Diffini-

finitore Capituli Generalis, vel Socio eius: & pro Electoribus Magiſtri Ord. & Socio Prioris Provincialis euntis ad Capitulum Generale; ſi aliquem eorum in via, vel in ipſo Capitulo mori contigerit. Idem etiam fiat pro Procuratore Ordinis, ſi in Curia Romana in Procurationis officio decedat. Idem etiã fiat pro Viſitatore, à Domibus quas viſitare debet; ſi in viſitatione moriatur. *c* Quilibet Sacerdos celebret triginta Miſſas in anno pro Fratribus, & Sororibus noſtris defunctis: & quilibet Clericus triginta vicibus ſeptem Pſalmos, *d* & quilibet Converſus triginta vicibus centum Pater noſter dicat: *e* & quilibet Conventus viginti Miſſas, in communi. Anniuerſarium Patru[illegible]atrum, tertia die poſt Purificationem B. Mariæ Virginis: Anniuerſarium verò Benefactorum, & Familiarium, ſequenti die poſt Octavam B. Auguſtini: *f* Anniverſarium verò Fratrum, & Sororum, ſequenti die poſt Feſtum Sancti Dionyſij eſt faciendum: Anniverſarium demum omnium ſepultorum in Cœmeterijs noſtris, vbique fiat duodecima Iulii. *g* Fratres verò noſtri numerum Miſſarum non admittant.

a Idem faciat quilibet Frater pro defuncto Fratre ſui Conventus.) Declaramus Romæ 1601. fuiſſe ordinatum: vt quotieſcumque in aliquo Conventu aliquem Fratrem mori contigerit, Prælatus illius Conuentus infra ſpatium ſex dierum teneatur omnes ſuæ Prouinciæ Præſidentes de morte Fratris certiores facere: quod fuit confirmatum Valliſoleti 1605. & tandem Romæ 1613. conf. 4. & inſuper ordinatum, vt pro illius anima quilibet Sacerdos eiuſdem Prouinciæ celebret vnam Miſſam; Clerici verò non Sacerdotes recitent ſeptem Pſalmos, & Converſi Roſarium Beatiſſimæ Virginis. Item Romæ 1580. ord. 5. ordinatum fuit, quod quando aliquem Fratrem, dum eſt Prior in aliquo Conuentu, cuius non eſt filius, mori contigerit; etiam ipſe-

ipſemet Conuentus, in quo erat Prior, ad ſuffragia pro eius anima teneatur: non obſtante, quod omnia eius bona ad eum Conventum, cuius erat filius, ſolummodò ſpectent.

b Pro Diffinitore Capituli Generalis.) Declaramus, quod iſta ſuffragia debeant fieri pro Diffinitore Capituli Generalis, etiamſi eum in via, ſcilicet eundo, vel redeundo mori contigerit. Romæ 1532. declar.5.

c Quilibet Sacerdos celebret triginta Miſſas in anno.) Declaramus, quòd prædictæ triginta Miſſæ debent eſſe de Requiem, ſi commodè dici poſſunt. Vbi autem propter multitudinem feſtiuitatum, & alias obligationes hoc commodè fieri non poſſit: ſufficit vt quomodocumque dicantur; & quod Fratres numerum prædictarum non omittant. Romæ 1501. declar.5.

d Et quilibet Converſus, triginta vicibus centum Pater noſter.) Declaramus, quod Fratres Conuerſi quoties dicunt *Pater noſter* in Horis, toties *Ave Maria* dicere tenentur. Treueris 1266. Quot autem *Pater noſter*, & *Ave Maria* ſingulis diebus pro Divino Officio recitare teneantur, decernitur infra diſtinct.2.cap.15. Text.1. & 2.

e Et quilibet Conventus viginti Miſſas in communi.) Declaramus, quod iſtæ 20. Miſſæ intelliguntur præter Miſſas mortuorum generales, quæ dicuntur qualibet Hebdomada, quando totum Officium Mortuorum dicitur. Ideo debent ſpecialiter celebrari, & debent eſſe de Requiem, ſi commode fieri poteſt: alias ſufficit, quod quomodocumque celebrentur. Nannetis 1453.

f Anniuerſarium vero Fratrum, & Sororum.) Declaramus, quod circa hoc Anniverſarium faciendum, debeat obſervari Rubrica illa, quæ in Breuiariis, & Diurnis noviter impreſſis ad diem 10. Nouembr. adſcripta eſt.

g Fratres verò noſtri, numerum Miſſarum non admittant.) Declaramus, quod in primis Conſtitutionibus editis per Magiſtrum Iordanem, prædicta clauſula poſita erat in Capitulo de Domibus concedendis, vbi ſic dicebatur: Poſſeſſiones, ſiue redditus, nullo modo recipiant Fratres noſtri, nec Eccleſias, quibus animarum cura annexa eſt; & numerum Miſſarum nō admittant. Sanctus autem Raymundus repor-

portauit hanc clauſulam in hoc Capitulum, tanquam in proprium locum. Ex quibus patet, quod per illam clauſulam intendebat Conſtitutio prohibere certum numerum Miſſarum in perpetuum, ne poſteri ex hoc nimis grauarentur: vel ne redditus perpetuos propter hujuſmodi Miſſas recipere cogerentur. Vnde in Capitulo Pariſien. 1256. ſic dicitur: Prohibemus ne Fratres ſe obligent vllo modo ad Anniuerſaria perpetua. Non autem intendit prohibere, quin poſſimus numerum Miſſarum, quæ à laicis quotidiè petuntur pro peccatis, ſiue pro viuis, ſiue pro mortuis accipere: Dummodo hoc diſcrete, & ſine ſuperſtitione fiat: quemadmodum Concil. Trid. præſcribit his verbis: *Quarumdem verò Miſſarum, & candelarum, certum numerum, qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quam à vera Religione inuentus eſt; omnino ab Eccleſia removeant.*

Item declaramus, quòd non eſt rationabile, vt aliquis Prior cum Conuentu, propter aliquam eleemoſynam quam de præſenti recipit, obliget poſteros ad dicendum certum numerum Miſſarum in perpetuum; niſi fortè eleemoſyna eſſet ita pinguis, & redditus illius annuatim ita in perpetuum durarent, quod meritò numerus prædictarum Miſſarum in perpetuum ſibi aſſignari deberet. Quare prohibemus, ne de cætero Præſidentes, huiuſmodi Miſſas perpetuas acceptent, niſi eleemoſyna ſit perpetua. Quod ad præteritas fundationes attinet, reuocanda eſt in memoriam diſpoſitio Sacri Concilij Tridentini, quæ ſic habet ſeſſ. 25. de Reform. cap. 4. *Sancta Synodus, cupiens ad pios vſus relicta quo plenius, & vtilius poteſt impleri, facultatem dat Epiſcopis, vt in Synodo Diæceſana, itemq; Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in ſuis Capitulis Generalibus, re diligenter perſpectà poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſijs, quas hac prouiſione indigere cognouerint; ſtatuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum vtilitatem viderint expedire ita tamen, vt eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute, ea legata ad pios vſus reliquerunt.* Præter eam Sacri Concilij determinationem, Bononiæ 1564. ordinatum iſtud fuit: Quæ circa Miſſarum numerum à Sancta Synodo decreta ſunt exequi cupientes, illius auctoritate noſtro Generali Capitulo commiſſa in hac parte fugientes: mandamus omnibus Prioribus, & alijs Præſidentibus noſtrorum Conuentuum in virtute ſanctæ obedientiæ, vt intra menſem à notitia præſentium, maior Prælatus cum tribus Patribus, qui a conſilijs eſſe ſo-

ſolent in Conventū, omnes Miſſas, quæ Defunctorum Teſtamentis relictæ, & a Conuentu fuerint ſuſceptæ, vt perpetuò, vel ſingulis, aut aliquibus diebus determinatè dicerentur, in numerum redigant. Et ex alia parte perpendant ſimiliter ſummam ſtipendij, ſive eleemoſynæ, quæ pro qualibet Miſſa inſtituta fuit: deinde ratione habita ſtipendij, ac ſuſtentationis, iuxta quod pro more cuiuſque patriæ pro vna Miſſa, communi exiſtimatione cenſebitur, ex illis omnibus certum aliquem Miſſarum numerum in poſterum dicendarum ſtatuant, quem inuiolabiliter prædicti Conuentus Fratres poſſint implere: ſuper quo eorum conſcientias oneramus, vt quantùm fieri poteſt æqua ſit æſtimatio: cùm ad eximendos Fratrum noſtrorum ſcrupulos, hoc remedium ſit maximè neceſſarium. Et nihilominus in quotidianis Capitulis, & alijs ſuffragijs, quæ extra ea fieri ſolent, Defunctis, qui talia ſacrificia petierunt, coram Diuina miſericordia ſubueniatur. At quo minus deinceps hujuſmodi ſuffragiorum, & Miſſarum grauamina noſtris Conuentibus imponatur, nulla in poſterum perpetua obligatio, ad certas Miſſas, vel ſuffragia admittatur: niſi cui fuerit talis ſuſtentationis annexum ſubſidium, quod prudentum iudicio ſufficiens æſtimetur. Circa quod diligenter obſeruari debent complura Decreta a Sacra Congregatione hoc in paſſu emanata. Vt verò maiori conſideratione hæc omnia fiant, nolumus hujuſmodi contractus ratos haberi, niſi Prælati, & maioris partis Fratrum conſenſus acceſſerit: & Prælati oppoſitum facientes a ſuis Officijs abſoluantur. Quod ſi alicubi ea eſt conſuetudo, vt Prouincialis ad hoc licentia requiratur, nolumus eam vllo pacto intermitti. Præſidentibus quoque noſtrorum Conuentuū, & alijs, qui hujuſmodi eleemoſynis recipiendis deputati fuerint, diſtrictè præcipimus: quatenus Miſſarum per ſingulos dies aduenientium, eum numerum dumtaxat admittant, quem commodè poſſint implere; ne vltra modum grauati, occurrentibus alijs neceſſitatibus prouidere nequeant: & ne hac occaſione Sacerdotes aut non admodum diſpoſiti, aut ex conſuetudine potiùs; quam ex deuotionis affectu, ad tremandum Altare interdum accedant. Cæterum, vt etiam memoriæ Defunctorum conſulatur, mandamus omnibus PP. Prouincialibus, Prioribus, ac Præſidentibus noſtrorum Conuentuum, & locorum; vt diligenter inuigilent, quatenus Sacriſtæ in omnibus Conuentibus Patrum, & Fratrum Ordinis noſtri, imò & ſecularium ſepul-

torum, ſive in Eccleſia, ſiue in Clauſtris, nomina, loca, & tempora in certo libro ad hoc præparato deſcribant. Bononiæ 1615. ord. 14.

C A P IV.

De Ieiunijs.

I.

A Paſchate vſq;ad Feſtum Sanctæ Crucis reficiantur bis Fratres: exceptis diebus Rogationum, & ſextis Ferijs, & Vigilia Pentecoſtes, & ieiunijs Quatuor Temporum, & Vigilia S.Ioannis Baptiſtæ, Petri, & Pauli, Iacobi, B. Dominici Patris noſtri: Laurentii, Aſſumptionis S. Mariæ, Bartholomæi,ac Natiuitatis B.Virginis. *a* A Feſto autem S.Crucis vſq; ad Paſcha, continuum tenebimus ieiunium, & Nona dicta comedemus, exceptis Dominicis diebus. In toto autem Aduentu, & Quadrageſima, & Ieiunijs Quatuor Temporum, in Vigilia Aſcenſionis, & Pentecoſtes, S. Ioannis Baptiſtæ,Petri, & Pauli,Iacobi, *b* & B. Dominici Patris noſtri, Laurentii, Aſſumptionis S.Mariæ,Bartholomæi, Matthæi, Simonis,& Iudæ, & Omnium Sanctorum, Andreæ Apoſtoli, & omnibus ſextis Feriis, Quadrageſimali utimur cibo: niſi in prædictis ſextis Ferijs, tantùm cum aliquo propter labores diſpenſetur; vel in locis in quibus in eiſdem ſextis ferijs aliter comederetur, vel etiam *c* niſi feſtum præcipuum fuerit.

a A Feſto S. Crucis vſque ad Paſcha continuum tenebimus ieiunium.) Declaramus, quòd Priores, & eorum vices gerentes in eorum abſentia, in ieiunio S. Crucis non debent quotidie, nec cum omnibus Fratribus generaliter, & ordinariè diſpenſare. Poſſunt tamen aliquando, vt ſemel, vel bis in ſeptimana, non cum toto Conuentu, ſed cum aliquibus ex cauſa rationabili diſpenſare. Metis 1251. & Florentiæ 1321. ordin. 6.

b Et in Vigilia Beati Dominici Patris noſtri.) Hæc Conſtitutio ſic fuit declarata

rata in Capitulo Generali Pariſienſi 1286. ordin. 7. Declaramus, quòd Conſtitutio de ieiuniò in Vigilia Beati Dominici intelligenda eſt, ſicut de ieiunijs Ordinis, in quibus Prælati ex cauſa rationabili poſſunt cum Fratribus diſpenſare. Et ob hoc Priores, ſed eorum Vicarij non debent exhibere ſe difficiles ad diſpenſandum in tali Vigilia cum Fratribus debilibus, vel aliàs indigentibus: quando in Sabbato talis Vigilia fuerit ieiunanda. Ex quo patet, quod ieiunium ſextæ feriæ eſt magis ſtrictum, quàm ieiunium Vigiliæ B. Patris Dominici.

c Niſi præcipuum feſtum fuerit.) Hæc Conſtitutio ſic fuit declarata in Capitulo Generali apud Sauilianum 1439. Præcipuum feſtum intelligimus, illa feſta, quæ ſecundum iura ſunt colenda: & quæ ſecundùm noſtrum Ordinem Duplicia, & ſupra appellantur. In his enim feſtiuitatibus, poterit Prælatus, ſi venerint in ſexta feria, diſpenſare cum Fratribus, & toto Conuentu, vt ouis, & lacticinijs veſcatur, dummodo tamen ieiunent. Quod tamen in illis Prouincijs intelligi volumus, vbi ſeculares ferijs ſextis promiſcuè lacticinia: & oua commedunt: & non in illis, vbi ex eorum eſu ſcandalizarentur. In Aduentu autem, non poterit etiam in huiuſmodi feſtiuitatibus cum toto Conuentu, aut cum Fratribus diſpenſare, vt ouis, aut lacticinijs vtantur: niſi ratione infirmitatis cum aliquo Fratre, ſicut & in Quadrageſima.

I I.

d ITinerantes tamen bis refici poſſunt: niſi in Aduentu, & niſi in Vigilijs Natiuitatis, & Purificationis B. Virginis, & ieiunijs principalibus ab Eccleſia inſtitutis; & ſextis ferijs intus, & extra. Quando autem feſtum habens Vigiliam (in qua ſecundùm Ordinem eſt ieiunandum) venerit in ſecunda feria, eius Vigilia in præcedenti Sabbato ieiunetur, contraria conſuetudine non obſtante. Feria ſecunda & tertia poſt Quinquageſimam tàm intus, quàm extra, Quadrageſimali vtitur cibo, & jeiunamus. In Paraſceue verò per totam diem in pane & aqua abſtinemus.

d Itinerantes bis refici poſſunt, niſi in Aduentu & ſextis ferijs, intus & extra.)

De-

Declaramus, quòd cùm ieiunium Aduentus in Ordine noſtro ſit ſtrictiſſimum, ſicut & ieiunium Quadrageſimæ: nullus Præſidens poteſt in Aduentu cum Conuentu diſpenſare, nec etiam cum aliquo particulari Fratre; niſi propter infirmitatem; aut debilitatem, ſicut poſſet & in Quadrageſima. Itinerantes autem non ſolum in Aduentu, & ſextis Ferijs debent ieiunare, ſed etiam tenentur ieiunia, quæ communiter ſeruantur in patria, & ipſi obſeruare; ſicut fuit ordinatum Budę 1254. In ieiunio autem ſextæ Feriæ non poteſt Prælatus cum toto Conuentu diſpenſare. Mediolani 1340. Florentiæ 1321. & Valentię 1364. Et ideò Præſidentes, qui ſunt faciles ad diſpenſandum regulariter in ieiunio S. Crucis, vel in ſexta Feria, & duobus diebus immediatè ante Cineres diſpenſant cum toto Conuentu; cùm abutantur poteſtate ſibi tradita, debent grauiter puniri; & à ſuis officijs abſolui. Fratres verò, qui ſunt ſani, & poſſent ieiunare, etſi non quotidiè, ſaltem aliquoties in Hebdomada; & propter guloſitatem ſolùm, nec ſextis Ferijs volent à cœna abſtinere, quin potius nulla petita, vel obtenta licentia, huiuſmodi Conſtitutiones de ieiunio tranſgrediuntur, & in huiuſmodi tranſgreſſionibus perſeuerare intendunt; ad damnabilem contemptum quàm facillimè diſponuntur.

CAP. V.

De Cibo.

I.

a HOra competēti ante prandium, à Sacriſta paucis ictibus campana pulſetur, ut Fratres ad Refectionem venire nō tardent. Poſtmodum pulſetur Cymbalum, ſi cibus ſit paratus; alioquin non pulſetur, donec paratus ſit. Ablutis verò manibus Prior, nolam Refectorij pulſet, & tunc Fratres ingrediantur. Quibus ingreſſis, dicat Benedicite qui dicit Verſiculos; & Conuentus proſequatur benedictionem. *b* Seruitores autem incipiant ab inferioribùs, vſque ad menſam Prioris aſcendentes.

a Hora competenti, &c. *et infra*, Ablutis verò manibus.) Declaramus, quòd pulſato cymbalo pro refectio-

ne, debent Fratres cum ſilentio, & matura feſtinatione venire ad locum, vbi debent manus abluere. Quibus ablutis debent ire ad ſedendum ſecundùm ordinem ſuum, ſuper ſcamna extra Refectorium præparata: & quando Prior nolam Refectorij pulſare inceperit; debent bini & bini, incipiendo à iunioribus, ingredi Refectorium. Et cùm fuerit in medio, debent inclinare reuerenter ad Crucem, vel imaginem, quæ ſupra ſedem Prioris collocata eſt; & poſtea ire ad ſua loca ordinatè: & facta benedictione, ire ad ſedendum in menſa, & cum ſilentio, & lectione ſumere cibum.

b Seruitores autem incipiant ab inferioribus.) Declaramus, quòd in deferendis ſcutellis, vel pictantijs, ſeruitores ſemper ab inferioribus debent incipere, & vſque ad menſam Prioris aſcendere: niſi fortè in menſa Prioris eſſent aliqui viri illuſtres, ſicuti Epiſcopi, Comites, vel maiores his; quia tunc ab illis perſonis honorabilibus eſſet incipiendū. Quando autem ſeruitores deferentes ſcutellas, aſcendendo venerint ad menſam Prioris; ſi ſuper aſſerem aliquas ſcutellas habuerint, debent illas porrigere his qui ſunt in menſa Prioris, & non reuerti. In auferendis autem ſcutellis, vel menſæ reliquijs, debent à menſa Prioris incipere: & ſic ad inferiores deſcendere.

I I.

NVllus Fratrum præſentium à prima menſa remaneat: (præter ſeruitores & cuſtodes) niſi de licentia. Quotquot autem remanſerint, comedant in ſecunda menſa: ita quod tertiam facere non oporteat. Nulla fiat ſeruitoribus, vel miniſtris pictantia, quæ non ſit Conuentui: niſi ſint infirmi, vel minuti. Frater non mittat Fratri pictantiam, excepto Priore, ſed ſibi datum dare poſſit, à dextris, vel à ſiniſtris. *c* Priores comedant in Refectorio, & cibarijs Conuentus ſint contenti. Similiter infirmarij, & ſeruitores hoſpitum, & alij Fratres: niſi Prior cum aliquibus diſpenſauerit ob aliquam cauſam, vt extra Conuentum aliquando comedant.

c Prio-

c Priores comedant in Refectorio.) Declaramus, quod nullus Frater debet in cella, vel in camera tenere menſam, ſed omnes Fratres tam Priores, quam alij, debent venire ad communem menſam in Refectorio: niſi forte Prior aliquando cum aliquo diſpenſaverit, vt extra Conventum in Hoſpitio, aut Infirmaria poſſit comedere. Vnde in Capitulo Lugdunenſi 1318. ſic fuit ordinatum. Cum ex eo quod Priores, & eorum locum tenentes, ac cæteri Fratres a ſequela communitatis ſe retrahunt, Religio plurimum relaxetur: & multi Conuentus in diuerſis Prouinciis tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus diſſipentur, & deſtituantur: iniungimus, & mandamus Prioribus univerſis, vt à Choro, & Refectorio nullatenus ſe abſentent, niſi ex cauſa rationabili, & urgenti; & hoc idem faciant à ſuis ſubditis inviolabiliter obſervari. Quod ſi ſecus factum fuerit, per Provincialem, vel ejus Vicarium, in pœnam à ſuis officiis abſoluantur. Et hoc idem fuit ordinatum Cadurci 1319. & Coloniæ 1428. Vbi additur, vt quotidie teneatur Refectorium, & quod in ſecunda, & quarta Feria minime cum aliquo Fratre diſpenſetur, niſi propter infirmitatem in loco infirmorum. Et Romæ 1553. & Pariſijs 1611. ſtatutum fuit, ut omnes etiam Magiſtri caveant, ne in cubiculis, ſeu cameris comedant: ſed in communi Refectorio; irritantes quamlibet licentiam ſuper hoc indultam, ac conceſſam. Quodque ſi qui Conuentus exiſtant, vbi nulla fere ſervetur Communitas, ac præcipue in comedendo in Refectorio communi: hos priuamus omni facultate, & auctoritate recipiendi ad habitum Ordinis.

III.

d PVlmenta noſtra ſint ubiq; ſine carnibus in conuentibus noſtris: præterquam in infirmarijs. Fratribus autem noſtris, ne ſint hoſpitibus oneroſi, pulmenta cocta cum carnibus comedere liceat extra clauſtrum. Fratres noſtri tam Priores, quàm alij, in locis vbi Conuentum habuerimus; niſi cum Epiſcopo, vel in domibus Religioſorum, & hoc raro, extra Clauſtrum comedere non præſumant. *e* Singulis diebus duo cocta pulmenta, ſi fieri poteſt, habeant,

beant. Poterit autem Prior ſuperaddere, prout opus eſſe iudicauerit, & facultas permiſerit. Si quis iuxtà ſe ſedenti viderit aliquid deeſſe de communi, requirat à ſeruitore. *f* Si quis de ſeruitoribus, vel comedentibus, ſeruiendo, vel comedendo in aliquo offenderit; ſurgentibus Fratribus veniam petat: & facto ſigno à Prælato redeat ad locum ſuum.

d Pulmenta noſtra ſint vbique ſine carnibus in Conuentibus noſtris.) Declaramus, quod Præſidentes Conventuum non poſſunt diſpenſare cum Fratribus, vt in Refectorio carnes comedant: nec extra Refectorium cum toto Conventu regulariter, nec cum aliquo Fratre in Aduentu. Quod ſi fecerint, ſunt graviſſimè puniendi, & in pœnam à ſuis officijs abſoluendi, vt fuit ordinatum Pauiæ 1423. Coloniæ 1428. & Venetiis 1487.

e Singulis diebus duo cocta pulmenta, ſi fieri poteſt habeant.) Declaramns, quod PręſidentesConventuum, debent elemoſynas ex Miſſis, Officijs, Collectis, Redditibus' & Prouentibus Conuentus taliter diſponere; ut ſingulis diebus Fratres pictantiam habeant cum uno ferculo: & tempore ieiunii, ultra pictantiam habeant duo fercula, vt ieiunare poſſint: ſicut in multis Capitulum ordinatum fuit.

f Si quis de ſeruitoribus, vel comedentibus ſeruiendo, vel comedendo in aliquo offenderit; ſurgentibus Fratribus veniam petat.) Declaramus, quod finito prandio, & facto ſigno à Prælato cum nola, lectio terminari debeat, dicendo: *Tu autem Domine &c.* & Prælatus ſtando debet pulſare nolam, quouſque Fratres à menſa ſurrexerint. Terminata autem pulſatione nolæ, illi qui ſerviendo, vel comedendo, vel legendo, in aliquo offenderint, debent ſuas venias facere modo ſupradicto in hac diſtinctione c.2. Textu 4. Et facto ſigno a Prælato ſurgere debent, & pergere ad propria loca.

C A P. V I.

De Collatione.

I.

TEmpore ieiunij, horā competenti Sacriſta ad

ad collationem ſignum faciat, poſtea Refectorarius cymbalum pulſet: deindè Fratribus *a* venientibus in Refectorium, legat Lector, præmiſſo Iube Domne benedicere; & ſequatur benedictio Noctem quietam, & finem perfectum, tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus. Infra verò lectionem bibere poterunt, facto ſigno à Prælato, & dicto Benedicite à Lectore: *b* dataque benedictione ab Hebdomadario; Largitor omnium bonorum benedicat potum ſeruorum ſuorum. Finita lectione *c* dicat qui præeſt, adiutorium noſtrum in nomine Domini; & tunc cum ſilentio intrent Fratres Eccleſiam. *d* Quicumque bibere voluerit extra horam, licentiam petat à Prælato, & vnum ſocium accipiat.

a Venientibus in Refectorium legat Lector.) Declaramus, quòd contra iſtam Conſtitutionem inualuerat vſus in multis locis propter concurſum ſecularium ad Eccleſias noſtras, vt Completorium more aliarum Eccleſiarum inciperetur in Choro per *Iube Domne* &c. Qui vſus cum non poſſet ſine magna ſecularium admiratione reuocari, & adiudicaretur rationabile, vt eſſemus conformes alijs Eccleſijs; idcircò in Capitulo Salmanticenſi 1551. ita ſtatuitur. Denunciamus ordinaſſe nos auctoritate Apoſtolica, vt Completorium etiam diebus ieiuniorum ſemper in Choro per *Iube Domne benedicere* incipiatur. Et quando dicitur: *Noctem quietam* &c. omnes Fratres, ſicut in alijs benedictionibus inclinent. Et quamuis hæc ordinatio Conſtitutioni contraria videatur, tamen piorum, ſanctiſſimorumq; Patrum iudicium fuit, antiquitatem Conſtitutionum noſtrarum tanti eſſe faciendam; vt textum illum à maioribus noſtris editum, potiùs declarandum, quàm delendum eſſe decreuerint.

b Dataque benedictione ab Hebdomadario.) Declaramus, quod in Refectorio benedictio danda eſt ab Hebdomadario: qui dum dat benedictionem non debet ſedere, ſed ſe eleuare, & ſtando benedictionem dare. Florentiæ 1257.

c Dicat, qui præeſt, Adiutorium.) Declaramus, quod

abſente Prælato; atque eius Suppriore & Vicario, Hebdomadarius in Refectorio debet dicere *Adiutorium*: quia etſi non præſideat omnibus alijs loco, præſidet tamen auctoritate, & Officio. Quando autem Prælatus dicit *Adiutorium*, vel *Fidelium*, præſente Conuentu, debet illud dicere cum magna grauitate, & ità ſonore, quòd clare ab omnibus audiatur. Et quando ſunt plures Prælati ſimul in Choro, vel Refectorio; ille, qui pręeſt alijs loco, debet *Fidelium*, & *Adiutorium* dicere, & benedictionem in Completorio dare.

d Quicumque bibere voluerit extra horam.) Declaramus, quod quamuis irreligioſum videatur tempore ieiunij poſt Completorium bibere: & propter hoc aliàs in Capitulo Ferrarien. 1290. fuerit ordinatum, quòd Frater, qui poſt Completorium bibebat, tenebatur iterato dicere Completorium: tamen quia Conſtitutio inuit, quod de licentia Prælati Fratres poſſint extra horam bibere; poterit Prælatus tempore ieiunij, (quando dies breues ſunt) collationem vſque ad poſt Completorium, finita oratione diferre.

e Socium accipiat.) Declaramus, quòd cauſa honeſtatis & Religionis, nullus Frater debet bibere ſine licentia, & præſentia Socij. Prælati autem faciant Conſtitutionem de Ieiunijs à Fratribus diligenter obſeruari, ſicut fuit ordinatum in Capitulo apud Peſtum 1273.

CAP. VII.

De Infirmis.

I.

a CIrca infirmos caueat ne ſit negligens Pręlatus, ſic enim procurandi ſunt infirmi, vt citiùs releuentur: ſicut dicit noſter Pater Auguſtinus. *b* Poterunt autem quidam veſci carnibus, prout eorum grauior exigit infirmitas, ſecundùm quòd Prælato viſum fuerit. *c* In locis verò vbi Conuentum habemus, extra domum noſtram carnes non comedant: *d* Si quis autem talem habuerit infirmitatem quæ nec multum eum debilitet, nec comedendi turbet appetitum: talis nec ſuper culcitram iaceat; nec ieiunia conſuetudinaria fran-

ſrangat, nec cibos Refectorij mutet.

a Circa infirmos caueat ne ſit negligens Prælatus.) Declaramus, quòd in ſingulis Conuentibus debent eſſe aliquæ cameræ deputatæ pro infirmis, benè fulcitæ lectis, & linteaminibus, & alijs neceſſarijs pro Infirmaria: & debet inſtitui vnus Infirmarius principalis, diſcretus: qui provideat infirmis de cibarijs, lectis, medicinis, & omnibus aliis neceſſariis ad eorum releuationem; ſicut fuit ordinatum Pariſijs 1286. Salmanticæ 1551. & in multis aliis Capitulis. Vt autem hæc facere poſſit, debet ei deputari aliqua pars pecuniæ, quæ ad Conuentum ex eleemoſynis venit: ſicut ordinauit Ioan. XXII. Prælati autem, qui in hoc inuenti fuerint negligẽtes, in pœnam à ſuis officiis abſolvantur.

b Poterunt autem quidam veſci carnibus, prout eorum gravior exigit infirmitas, ſecundùm quòd Prælato viſum fuerit.) Declaramus, quod in Conſtitutione de carnibus non comedendis, non debet Prælatus diſpenſare, niſi cum infirmis, vel euidenter indigentibus: quamuis etiam extra caſum infirmitatis, poſſit cum aliquibus ex rationabili cauſa diſpenſare: vt cum notabiliter antiquis, & cum Lectoribus, & debilibus. Non debet hoc tamen regulariter, & quotidiè facere; ſed aliquibus diebus, & cum diſcretione: ſicut fuit ordinatum Florentiæ 1321 & Narbonæ 1394.

c In locis verò vbi habemus Conuentum, extra domum noſtrã carnes non comedant.) Declaramus, quòd licet in domibus Religioſorum, vel Epiſcoporum, de licentia Prælati poſſint Fratres quandoque, & raro comedere: non tamen alias extra Conuentum, etiamſi ſint infirmi, licitum eſt carnibus veſci. Et qui in hoc deliquerint, graviter puniendi ſunt: ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1240. & Narbonæ 1394.

d Si quis autem talem habuerit infirmitatẽ, quæ nec eum multum debilitet, nec comedendi turbet appetitum.) Declaramus, quod illi Fratres, qui ſunt ſani, ſed tantum propter guloſitatem, & ſenſualitatem volunt continuè veſci carnibus: & cum poſſent aliquibus diebus abſtinere, tamen nulla petita, & obtenta licentia, carnes quotidie comedunt, & in hoc perſeuerare intendunt; ad culpabilem, & da-

mnabilem comtemptum quammaximè diſponuntur.

I I.

e IN domibus noſtris non ſint niſi duo loca, in quibus comedant debiles, vel infirmi: vnus carnium, & alius aliorum ciborum; niſi ſit euidens néceſſitas, vel urgens infirmitas. Similiter nec alij Fratres comedant, niſi in communi Refectorio, vel Hoſpitum domo: nec Priores Prouinciales, nec Magiſtri in Theologia, etiam actu legentes comedant in cameris, ſed in communi Refectorio, vel Hoſpitio, vel in domo infirmorum, aut domo debilium. Si autem Priores infirmari contigerit: in Infirmaria cum alijs procurentur. *f* Fratres verò leproſi infra ſepta ſui Conventus ſeorsũ ab alijs procurentur: Conuentus autem ſuus ille dicitur, cuius eſt filius. Quòd ſi arctitudo loci illius, vel alia cauſa legitima non permiſerit; ad alium Conuentum noſtri Ordinis per Priorem Prouincialem transferantur.

e In domibus noſtris non ſint niſi duo loca.) Declaramus, quod Fratres ſani, tam Priores, quam alii, debent in Refectorio comedere, vel in domo hoſpitum de cibariis Ordinis. debiles verò, & infirmi debent in Infirmaria comedere; & poterunt de licentia Prælati carnibus veſci. Alibi autem comedere non licebit, niſi propter euidentem neceſſitatem, vel urgentem infirmitatem: ſicut fuit ordinatum Pariſijs 1269. & Mediolani 1278. & apud Cæſarauguſtam 1391.

f Fratres verò leproſi &c.) Declaramus, quòd ſi contingat Fratrem quempiam laborare quocumque morbo contagioſo; debere in loco ſeparato, & ſeorſum ab alijs infirmis ita curari, prout ſtatuit Conſtitutio de leproſis: qua enim de cauſa ſeorſum leproſi curari debent; ea etiam illi, qui quocumque contagioſo morbo laborant, curandi ſunt: ne videlicet contagione ſui morbi alios infirmos inficiant.

CAP.

CAP. VIII.

De Minutione.

I.

MInutio quater in anno fieri poſſit, Prima in menſe Septembri. Secunda poſt Natale. Tertia poſt Paſcha. Quarta poſt feſtum Sancti Ioannis Baptiſtæ. Præter has minutiones, nullus audeat ſibi minuere: niſi diſcretio Prioris propter aliquam cauſam iudicauerit aliter eſſe alicui faciendum. Minuti extra Refectorium cum ſilentio comedant, vbi commode poterit obſeruari: & ſecundùm quòd facultas domus permiſerit, commodius procurentur. *b* Cauſa verò minutionis carnes non comedant.

a Minutio quater in anno fieri poſſit.) Declaramus, quod Fratres non teneantur vti minutione, niſi de conſilio Medici. Qui autem ſine conſilio Medici voluerit minutionem facere, teneatur illis quatuor temporibus eam facere. Quòd autem Religioſi licitè poſſint minutione vti, textus eſt, *de ſtatu Monachorum*, cap. *cum ad Monaſterium*, §. *Porro*.

b Cauſa verò minutionis carnes non comedant.) Declaramus, quod minuti cum propter extractionem ſanguinis in quo vita conſiſtit, debilitari ſoleant; debent extra Refectorium commodè, & frugaliter procurari: quantum facultas ipſius Domus permiſerit. Quod ſi Priori videbitur, & non aliter, poterunt veſci carnibus, iuxta quod eorum complexio, vel debilitas poſtulaverit.

CAP. IX.

De Lectis.

I.

a SVper culcitras non dormiant Fratres noſtri, niſi fortè ſtramen, vel aliquid tale, ſuper quo dormiant, habere non poſſint. Super ſtramina, & ſaccones laneos dormire licebit. Extra domum verò dormire poterunt, ſicut fuerit eis ſtratum; ne hoſpites moleſtentur. Qui autem culcitram petierit, ieiunet vna die in pane, & aqua.

Cum

b Cum tunica & caligis cincti dormiant. *c* Nullus (Magiſtro Ordinis excepto,) qui in communi tolerari poſſit, habeat ſpecialem locum ad iacendum, niſi propter rerum cuſtodiam, Lectoribus tamen ſecundum diſcretionem Prioris provideatur,

a Super culcitras non dormiant Fratres noſtri.) Declaramus, quod licet Fratres ſani non debeant dormire ſuper culcitras, infirmi tamen de licentia ſuorum Superiorum poſſunt ſuper culcitras dormire. Vnde in infirmarijs noſtris ſolemus habere culcitras pro infirmis, & hæc conſuetudo ſatis rationabilis eſſe videtur,

b Cum tunica, & caligis cincti dormiant.) Declaramus, quod cum Conſtitutio iſta non dicat, quod debeamus dormire cum ſcapulari, quod eſt habitus Ordinis noſtri; & quod ſemper debeamus illud deferre, quando procedimus in publicum, cum ſit proteſtativum noſtræ profeſſionis: non peccat Frater noſtri Ordinis ſi ſine ſcapulari dormiat. Ideo poſſunt licite Fratres noſtri ſine illo dormire. Debent tamen cum tunicella, cingulo, & caligis dormire: quia tunicella videtur pertinere ad habitum noſtrum de nocte, qui ſemper debet oſſibus noſtris adhærere. Narbonæ 1394. Et ideo illi, qui nulla ſubſiſtente cauſa, ſed ex ſola ſenſualitate ſine tunicella, & caligis dormiunt, maximè quando hoc habent in conſuetudine; ita hanc tranſgrediuntur Conſtitutionem, ut ad damnabilem contemptum qui non eſt ſine culpa, diſponantur.

c Nullus, Magiſtro Ordinis excepto &c.) Declaramus, quod omnes Fratres noſtri (Magiſtro Ordinis, & infirmis, atque hoſpitibus dumtaxat exceptis) debent in communi Dormitorio dormire: quod quidam taliter debet eſſe diſpoſitum, vt ſerò claudi poſſit: & claves debent apud Priorem, vel aliam perſonam ſecuram remanere. Qui autem extra Dormitorium ſine licentia dormire præſumpſerit, debet à ſuo Prælato graviter puniri. Narbonæ 1394. & in multis aliis Capitulis,

C A P. X.

De Veſtitu.

I.

a VEſtes laneas non attonſas vbi ſervari poterit, deferant Fratres no-

noſtri. Vbi verò ſeruari non poterit, vtantur vilibus: & potiùs vtilitas in cappis ſeruetur. *b* Lineis non vtantur ad carnem, nec etiam infirmi. Lintea-mina in infirmarijs noſtris concedimus, quod haberi poſſint; & ſimiliter in cameris hoſpitum. Nullus habeat plures tunicas, quã tres cum pelliceo in hyeme: & quatuor ſine pelliceo, quod ſemper tunica coopertum deferatur. Pelliceis ſilueſtribus, aut etiã coopertorijs quarumcumque pellium Fratres noſtri non vtantur, niſi in infirmaria. Nec tamen vtantur ibidem coopertorijs pellium ſilueſtrium. *c* Tunicæ circa cauillam pedum incluſiuè, & non plus deſcendant: Scapularia circa cooperturam genuum: Cappa verò ſit breuior tunica, & etiam pelliceum. Caligas, & ſoccos habebimus, vt neceſſe fuerit, & vt facultas permiſerit. *d* Ocreas non habebimus. nec chirotecas. Botæ extra ſepta Monaſterii non portentur.

a Veſtes laneas &c. *et infra*: Veſtibus vtantur vilibus.) Declaramus, quòd Fratres noſtri cùm ſint Mendicantes, non debent vti pretioſis, ſed vilibus veſtibus: nec debent habere corrigias, nec cultellos curioſos deferre. Bononiæ 1285. Vnde illi qui habent tunicas & cappas magni pretij, & vltrà numerum à Conſtitutione præſcriptum, & in huiuſmodi tranſgreſſione Conſtitutionis perſeuerant, ac perſeuerare intendunt; debent grauiter puniri, & talibus veſtibus priuari. Coloniæ 1428. & Venetijs 1437. Item declaramus, quòd Præſidentes Conuentuum debent ſtudium, & diligentiam adhibere, vt ex eleemoſynis, & redditibus ad Conuentum pertinentibus, prouideatur Fratribus indigentibus de veſtibus. Et ſi alicui Fratri à parentibus, vel ab amicis dentur pecuniæ pro veſtibus, tales pecuniæ dentur Procuratori Conuentus, qui pannum emat pro illo Fratre: vt ſicut paſcimur ex vno cellario, ita induamur ex vno veſtiario. Toloſæ 1258. & 1304. & Ianuæ 1305. & Placentiæ 1310.

b Lineis non vtantur ad carnes, nec etiam infirmi.) Declaramus, quòd qui nulla ſub-

ſubſiſtente cauſa, lineis vtuntur ad carnē, & in huiuſmodi tranſgreſſione intendunt perſeuerare; ad damnabilem contemptum diſponuntur. Idem intelligimus de canapo, & bombice.

c Tunicæ circa cauillam pedum. Scapularia circa cooperturam genuū &c.) Declaramus, quòd habitus Ordinis noſtri eſt tunica alba, & præſertim ſcapulare albū quoad Clericos:& nigrum quoad Conuerſos, & cappa nigri coloris. Atque hunc habitum, & præſertim ſcapulare, debemus patenter deferre, quando procedimus in publicum;cum ſit proteſtatiuum noſtræ profeſſionis. Narbonæ 1394. Et in Concilio Tridentino *ſeſſ.25.de Regularib. cap.19.* prohibetur, ne cuiquam Regulari concedatur licentia, occultè ferendi habitum ſuæ Religionis. Et quia breuitas veſtium leuitatem quandam ſignificare videtur,longitudo verò honeſtatem, & grauitatem deſignant:non debent tunicæ noſtræ eſſe notabiliter breues, ſed debent vſque ad cauillam pedum incluſiuè deſcendere, & ante, ac retrò conſutæ eſſe. Infra verò tunicam, non debemus caligas, vel alias veſtes alterius coloris, quàm alibi habere. Cappa verò debet ſaltem quatuor digitis brevior, quam tunica eſſe,Scapulare verò propter honeſtatem non debet eſſe notabiliter breue, nec etiam nimis ſtrictum, nec nimis latum, ſed ſufficit vt cooperiat commiſſuram manicarum & tunicæ; & debet caputium cappæ, cum ipſa cappa eſſe conſutum. Et quando in publicum procedimus, vel in Choro ſumus, debemus ſemper habere caput coopertum caputio. Et quando procedimus extra Conuentum, debemus cappam deferre propter Ordinis honeſtatem. Ianuæ 1305.

Item in Capitulo Salmanticen. 1551. ordinatum fuit pro vniformitate noſtri Ordinis, vt cappæ in Conuentu à Paſchate Reſurrectionis vſque ad Feſtum Omnium Sanctorum, nonniſi in communione, & a ſeruitoribus Miſſarum portentur. In hyeme verò, in Prouincijs vbi conſuetum eſt,portari poſſint, prætterquàm in menſa.

Item Venetijs 1592. ordinatum fuit, vt nemo Confeſſariorum audeat ſub pœna ſuſpenſionis ab audientia confeſſionem, mulierum confeſſiones niſi ad feneſtrellam cratis ferreæ, vel ligneæ, aut alterius materiæ, & cum cappa ſemper audire: quod intelligendum eſt quando patenter in Eccleſia confeſſiones audiunt.

Item declaramus, quòd quotieſcumque Fratres,ſiue ad Officium Miſſę; ſiue ad alia Offi-

cia vtuntur ſuperpelliceis, debent deferre ſcapulare ſub ipſis: ita tamen vt caputium ſcapularis ſit extra ſcapulas ordinatum. Similiter Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi cum induunt ſacras veſtes, portent ſcapularia cum caputio ſub ipſis, nec vllo modo ea deponant. Et hoc idem in Miſſis priuatis obſeruetur. Pariſiis 1286. Neapoli 1311.

d Ocreas non habebimus, nec Chirotecas.) Declaramus, quod Fratres itinerantes poſſunt ocreas, & chirotecas portare, prout neceſſitas poſtulauerit: intra Clauſtra vero, & per Ciuitatem nullo modo deferantur.

Item declaramus Venetijs 1592. confirmatam fuiſſe ordinationem alias factam, quod nullus Frater, aut Soror Ordinis noſtri cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtat vti debet cochlearibus, & inſtrumentis aureis vel argenteis, aut etiam ex lapidibus pretioſis: ſiue in menſa, ſiue in cingulis, ſiue in cappis, cultris, vel eorum vaginis, ſiue in quocumque alio genere rerum vtenſilium. Qui autē tranſgreſſores reperti fuerint, ijſdem inſtrumentis omnino priuentur, & illa Communitati applicentur, & grauiter præterea tranſgreſſores puniantur.

CAP. XI.

De Raſura.

I.

a RAſura ſit ſuperius non modica, vt Religioſus decet: ſic vt inter ipſam, & aures non ſint pluſquam tres digiti. Tonſura quoque fiat deſuper aures. Raſura verò fiat à Paſchate vſque ad Feſtum Omnium Sanctorum de quindena in quindenã, deinde autem ſemel in tribus ſeptimanis: ità tamen quod propter feſta ſolemnia poſſit per dies aliquot præueniri, vel retardari.

a Raſura ſit ſuperius non modica.) Declaramus, quod Prælati & Præſidentes Convētuum, debent diligentem curam & ſolicitudinem adhibere, vt Fratres omnes ſint vniformes in capillorum raſura: & vt decentem, ac religioſam habeant coronam. Nec ullo modo patiantur, quod Fratres, aut barbam nutriant, aut more ſecularium capillos longos deferant. Debet autem tonſura capillorũ ſolum vſque ad ſummitatem aurium deſcendere, & inter ipſam, & ra-

& raſuram capitis deſuper, non debent eſſe pluſquam tres digiti. Poterit autem in regionibus calidis raſura fieri etiam in hyeme, de quindena in quindenam, ſecundum quod Prælatus iudicaverit expedire.

CAP. XII.

De Silentio.

I.

a Silentium Fratres noſtri teneant in Clauſtro, Dormitorio, in Cellis, in Refectorio, & in Oratorio Fratrum; niſi fortè ſilenter aliquid loquantur, non tamen oratione perfecta. Alibi tamen loqui poterunt de licentia ſpeciali. *b* Omnes Fratres vbique intus & extra, ſilentium teneāt, in menſa tam Priores, quàm alij: excepto vno, qui maior fuerit inter eos, vel alio, cui pro ſe loqui commiſerit: & tunc ipſe taceat, exceptis Magiſtris in Theologia, Prior tamen Cōuentualis poteſt licentiare vnum de ſecum comedentibus ad loquendum. Si verò plures Priores Conuentuales ſimul comedere contigerit, *c* Prior antiquioris Conuentus loquatur, & vni loquendi licentiam dare poteſt.

a Silentium Fratres noſtri teneant.) Declaramus, quod in locis ſupra nominatis, continuum debent tenere ſilentium, nec in prædictis locis debet Prælatus diſpenſare cum Fratribus, vt ſilentiū frangant. Et quidem cum Fratres tranſeunt per Clauſtrum, debent Pſalmum *De profundis*, & alias Orationes pro Defunctis dicere. In cellis vero Dormitorii poſſunt ſcribere, legere, orare, & dormire. In Refectorio verò, dum ſunt in menſa, debent continuam lectionem habere. In Oratorio autem debent orare, & nihil aliud quam id, ad quod factum eſt, agere. In alijs autem locis prædictis poterunt Fratres loqui de licentia ſpeciali. A ſigno autem quod fit cum parua Campana poſt Completorium vſque ad Primam: & ſimiliter à ſigno quod fit in æſtate poſt prandium vſque poſt Nonam dictam, nulli loqui licebit; ſed omnes ſilentium ſeruabunt. Toloſæ 1258.

b Omnes Fratres noſtri vbique intus & extra &c.)

Declaramus, quòd omnes Fratres ſimul comedentes, ſiue in terra, ſiue in mari, ſilentium ſeruare tenentur: excepto vno, qui maior fuerit inter eos, & exceptis Magiſtris in Theologia, quia extra Refectorium loqui poterunt, ſicut fuit declaratum in Monte Peſulano 1271.

c Prior antiquioris Conuentus.) Declaramus, quod quando plures Priores ſimul extra Refectorium, vel extra Conuentum, vel extra Domum comedere contigerit: ſolus ille Prior, qui ſuperiorem locum tenet, loqui poterit, & vni licentiam loquendi dare. Prior autem antiquioris Conuentus, qui comedit cum alijs Prioribus, ſi nullus eorum ſit Magiſter in Theologia, debet ſuperiorem locum tenere.

I I.

NVllus autem aliorum ibidem loquatur, niſi de neceſſarijs menſæ, & hoc per vnicam orationem breuiter & ſubmiſsè; niſi de licentia Epiſcoporum, ſeu Electorum, aut etiam maiorum his: ſeu etiam Regum, vel etiam Magiſtri Ordinis, aut Miniſtri Generalis Ordinis Minorum, *d* cùm contigerit nos cum eis comedere. Prior autem Prouincialis, abſente Magiſtro Ordinis, Fratribus ſecum comedentibus in ſua dumtaxat Prouincia, poteſt dare *e* licentiam loquendi: in alia autem Prouincia tantùm vni. Si quis ſilentium fregerit ex propoſito, vel licentiam loquendi dederit; in vno prandio aquam bibat, & in Capitulo coram omnibus vnam diſciplinam recipiat exceptis infirmis decumbentibus. *f* Et in hoc non diſpenſetur, niſi per Magiſtrum Ordinis, & Priorem Prouincialem, & hoc rarò, & ex rationabili cauſa. Infirmi verò non decumbentes, à prandio vſque ad Veſperas ſilentium teneant: ſimiliter *g* Poſt ſignum, quod fit poſt Completorium. A minutis verò, poſt primam diem ſuæ minutionis idem obſeruetur. *h* Fratres in Capitulo de ſilentio ſe accuſent, ſicut de alijs culpis; & Priorum arbi-

arbitrio puniantur. *i* Si quis tamen inter duo Capitula ſepties ſilentium fregerit, in vno prandio ſedeat in terra,

d Cum contigerit nos cum eis comedere.) Declaramus, quod Magiſter Ordinis cum omnibus Fratribus ſecum comedentibus extra Refectorium, videlicet in Hoſpitio, vel in Infirmaria, vel in ſua camera: poteſt dare licentiam loquendi in menſa. Quando verò ipſe comedit cum Fratribus in Refectorio, talem licentiam dare non poteſt, quia ibi continuum habemus ſilentium: & idem dicimus de Priore Prouinciali; quod in abſentia Magiſtri Ordinis, in ſua dumtaxat Prouincia, Fratribus ſecum comedentibus poteſt loquendi licentiam dare; non autem in Refectorio, quando ipſe cum Fratribus comedit.

e Licentiam loquendi.) Declaramus, quòd licet Vicarij particulares Magiſtri Ordinis, vel Priores Prouinciales, non habeant auctoritatem concedendi Fratribus facultatem ad loquendum in menſa; nec talem auctoritatem poſſit eis Magiſter Ordinis, vel Prior Prouincialis conferre: ſicut fuit declaratum Lucæ 1288. tamen quilibet Vicarius Ordinis, qui mortuo vel amoto Magiſtro vices eius obtinet; & quilibet Vicarius Generalis Prouinciæ per quemcumque modum legitimè fuerint inſtituti, hanc loquendi licentiam extra Refectorium ſecum comedentibus dare poſſunt.

f Et in hoc non diſpenſetur, niſi per Magiſtrũ &c.) Declaramus, quòd Vicarij Magiſtri Ordinis, & Priorum Prouincialium, quamuis non poſſint licentiam loquendi in menſa Fratribus dare; poſſunt tamen Fratres ſibi commiſſos à pœna, quæ eis debetur pro fractione ſilentii abſoluere: vel talem pœnam commutare, ſi eis à Magiſtro Ordinis, vel Priore Prouinciali fuerit conceſſum: ſicut fuit declaratum Bononiæ 1302. Poſſunt enim Magiſter Ordinis, & Priores Prouinciales facultatem diſpenſandi, ſeu relaxandi, vel commutandi pœnitentiam pro fractione ſilentij in menſa taxatam, alijs concedere; auctoritatem autem dandi licentiam loquendi in menſa, non poſſunt alijs delegare.

g Poſt ſignum, quod fit poſt Completorium.) Declaramus, quòd cùm Ordo noſter refugiat tanquam irreligioſum loqui poſt Completorium, debent Fratres poſt ſignũ,

quod

quod fit poſt Completorium, tenere ſilentium vſque poſt Primam: quod etiam fuit in Capitulo Pariſiis 1611. ſtrictiſſimè commendatum. Quando autem Fratres cœnant poſt Completorium, ſicut in Dominicis diebus in hyeme, non eſt opus quod tale ſignum poſt Completorium pulſetur: ſed poterit differri vſque poſt ſecundam menſam completam; & poſtea tenebuntur Fratres prædictum ſilentium ſeruare.

b Fratres in Capitulo, de ſilentio ſe accuſent.) Declaramus, quod non ſolum Fratres in Capitulo, de ſilentio ſe debent accuſare, ſed etiam de alijs culpis, & tranſgreſſionibus quarumcumque Conſtitutionum & inſtitutionum Ordinis: ſicut habetur in Capitulis de leui & graui culpa, ac de Capitulo quotidiano, & debent arbitrio Prælati puniri.

i Si quis tamen inter duo Capitula &c.) Declaramus, quod ſedentes in terra pro factione ſilentij, non tenentur abſtinere in pane & aqua: ſed ſolum in terra ſedere, & comedere, quod alij comedunt. Et debent in prandio, & non in cœna hanc pœnitentiam facere: ſicut Magiſter Ordinis, & Diffinitores coram toto Capitulo declarauerunt, quandò iſta Conſtitutio fuit confirmata, & hoc declaratum fuit Toloſæ 1258. admonit. 15.

CAP. XIII.

De Recipiendis.

I.

a IN quolibet Conuentu tres idonei Fratres eligantur de communi conſilio Capituli: qui recipiendos in moribus & ſcientia *b* diligenter examinent, & examinationem Priori, & Capitulo referant, eorum iudicio an recipi debeant, relinquentes. Qui dum adducti fuerint in Capitulũ, proſternant ſe in medio. Interrogati vero à Prælato, quid quærant; reſpondeant: Miſericordiam Dei, & veſtram. Quibus ad iuſſum Prælati erectis, exponat eis auſteritates Ordinis, voluntatem eorum requirens. Qui ſi reſpondeant, ſe velle cuncta ſeruare, dicat poſt cætera: Dominus qui incepit, ipſe perficiat, & Conuentus re-

ſpondeat. Amen. Tunc depoſitis ſecularibus veſtibus, & religioſis induti; in noſtram ſocietatem in Capitulo recipiantur.

a In quolibet Conuentu tres idonei Fratres eligantur de communi conſilio Capituli &c.) Declaramus, quod iſti tres Fratres eligendi, debent eſſe prudentes & diſcreti, ac de conſilio Patrum. In quolibet enim Conuentu noſtri Ordinis debent eſſe deputati aliqui Patres à conſilijs, viri prudentia præditi, ſine quibus non liceat Prioribus grauiora Conuentus negotia tractare: nec poſſunt Priores ad libitum hos Patres inſtituere, vel deſtituere, vt fuit ordinatum Romæ 1569. Vocandi autem ſunt ad conſilium, in primis Magiſtri in ſuis Prouincijs acceptati, & qui fuerunt in aliqua Prouincia Prouinciales. Item Inquiſitores. Venetijs 1592. & Valliſoleti 1605. Et qui fuerunt Priores: in ipſis tamen Conuentibus, in quibus habetur conſilium. Romæ 1553. & 1558. & Valliſoleti 1605. Item qui actualiter ſunt Suppriores; deindè Baccalaurei, ſeu Præſentati, Lectores primi, & Prædicatores Generales. Venetijs 1592. Et qui per decennium integra Quadrageſima munus prædicationis gratioſe exercuerunt, in illis dumtaxat Conuentibus, in quibus fuerunt aſſignati. Barcinonæ 1574. & Romæ 1589. Magiſtri etiam Nouitiorum, vt ibidem, necnon Pariſijs 1611. confirmatum fuit. Vicarij nationum, vel qui per Magiſtrum Ordinis, vel per Priorem Prouincialem, Patres à conſilijs inſtituti fuerint. Cæſarauguſtæ 1391. & Papiæ 1423. Cæterùm hìc numerus Patrum à conſilijs, in nullo Conuentu (excepto Pariſienſi, ob multitudinē graduatorum) duodenarium numerum excedat: & ad quem nullus minor quadraginta annis, his exceptis, qui Patres de jure ſunt, admittatur. Romæ 1553. & 1558. In Capitulo enim Romæ 1589. Prioribus ſub pœna abſolutionis ab officijs, ipſo facto incurrenda mandatum fuit, ne aliquem vltra prædictum numerum ad conſilium vocent, aut admittant. Et ſi ſecus fecerint, totum ſit irritum & inane: & quæ in ipſis conſilijs decreta ab hujuſmodi Patribus fuerint, nullius ſunt roboris, vel momenti.

Quod verò ad locum eorundem Patrum attinet in præſcripto duodenario numero, poſt Priorem, Magiſtri in Prouincijs acceptati primo loco computari debent: deindè qui fuerint illius, vel alterius Prouinciæ Pro-

Provinciales etiam non Magiſtri, Inquiſitores, poſtea Supprior: deinde Baccalaurei,deinde Lector primus: & ad extremum ſucceſſiue cæteri, prout iuris ratio poſtulaverit. Neapoli 1600. Cæteri vero locum ſuæ profeſſionis, etiam inter alios Fratres retineant, ſiue ſint Patres de jure, ſiue ex gratia. Salmanticæ 1551. Quæ autem in conſiliis tractabuntur, poſtquam voce publica conſultiva (ſi voluerint aliquid dicere) fuerint diſcuſſa; ſubſequenter per vota ſecreta approbentur. Neapoli 1600. & in libro ad hæc deputato, vel per aliquem ex Patribus, vel per alium Sacerdotem ex aſſignatis in Conuentu ad officiumSecretarii per vota ſecreta electum, deſcribantur: Qui Secretarius conſilij, ſi non erit ex numero Patrum à conſilijs, non habebit vocem deciſiuam, ſed tantummodo conſultiuam: & nihilominus ad ſecretum, ſicut & alij tenebitur,ut in eodem Capitulo Neapoli 1600. dicitur. Qui autem ex Patribus ſecreta conſilij in præiudicium iuſtitiæ,vel correctionis,vel etiam perſonæ cujuſcumque quomodocumque reuelauerit, privatus ſit Paternitate à conſilijs:neque unquam inter Patres à conſilijs cooptari poſſit, niſi à Magiſtro Ordinis, vel Generali Capitulo cum eo idſpenſetur.Barcinonæ 1574.& Romæ 1580.

Potiſſimè autem hæc in Patrum conſilio pertractāda ſunt: Inſtitutio Supprioris, quando fit à Priore, cap. de elect. Prioris. Ædificia notabilia in Conuentibus. Romæ 1589. Abſolutio Supprioris inſtituti, ſive à Priore, ſiue à Provinciali. Valentiæ 1596. Inſtitutio & abſolutio Magiſtri Nouitiorū quando extra CapitulumProuinciale de hoc diſceptatur. Electio Nouitiorum ab Ordine ante profeſſionem. Venetijs 1592. Extractio librorum à communi Bibliotheca. Neapoli 1600.Romæ 1601. & Valliſoleti 1605. Alienatio, ſive commutatio bonorum immobilium, etiam habita licentia Provincialis. Valliſoleti 1605. Electio Depoſitariorum Conventus, ibidem, & Romæ 1608. Licentia itinerandi extra fines ſuiConventus. Romæ 1589. Conceſſio litterarum teſtimonialium de doctrina & moribus, Fratribus mittendis ex Conuentu, in quo vixerunt, ad Collegia, ſeu ſtudia generalia. Romæ 1589. Deſtinatio Prædicatoris ad inſtituendam ſocietatem ſanctiſſimi Roſarij. Venetiis 1592. Examen, & approbatio Fratrum ad audiendas confeſſiones ſiue Fratrum, ſiue ſecularium: & inſuper ea omnia, quæ a toto Capitulo Fratrum definienda ſunt, prius in Conſilio Patrum proponenda,tractanda, & per vota ſe-

ſecreta concludenda erunt. Quę omnia, vt tantò ampliùs obſeruentur, in memoriam reuocamus Leonis X. Pontificis Maximi Conſtitutionem Salmant. 1551. à Patribus acceptatam, cuius ea eſt particula: *Nihilominus mandamus vobis, ut illa, quæ per ſuffragia abſque canonica electione circa determinatas perſonas per vos concludenda ſunt collatione prius facta, & auditis omnibus volentibus aliquid in negotio, de quo agitur dicere; cum ad vota pervenitur, per fabas, vel aliud ſimile, vota nonniſi ſecrete dentur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.*

b Diligenter examinent.) Declaramus, quòd recenter in Capitulo Bononien. 1615. fuit ordinatum, ut recipiendorum ad habitum clericalem, tum ad probationis annum, tùm ad profeſſionem, à deſignatis iuxtà Conſtitutiones noſtras Examinatoribus coram Patrum conſilio examen fiat: utque ſimiliter coram Patribus prævio examine Fratres Conuerſi ad profeſſionem recipiantur; & non admittantur, niſi fuerint in fide Chriſtiana, & Officio pro eorum debita ſufficientia inſtructi. In quo Præſidentium, & Examinatorum: ac reliquorum Patrum conſcientias aggrauamus.

Debent autem prædicti Examinatores, vrbanè, leniter, & in primis de impedimentis in Conſtitutionibus expreſſis inquirere: & omnium, quę inuenerint, fideliter Conuentui relationem facere. Summopere autem cauendum eſt, ne recipiantur ignari, aut inepti ad litteras, vel qui habent quædam vitia quaſi inſeparabilia, & naturalia, ſicut eſt innata iracundia, ebrietas, debilitas naturæ ex vitioſa conſuetudine, & diſpoſitio ad furorem; & hujuſmodi, de quorum correctione vix ſpes poteſt haberi.

Item debent inquirere, quo ſpiritu, qua mente & voluntate, id regularis vitæ genus elegerint; quem ſibi finem propoſuerint: num zelo perfectioris vitæ, & vt Deo liberius famulari poſſint, vel levitate, vel humano affectu, aut inordinato animi motu ducantur. Clemens VIII. in Conſtitut. Apoſtolica.

Prætereà declaramus, quod fel. recor. Sixtus Papa V. edidit Conſtitutionem de non recipiendis ad Ordinem criminoſis, ære ingenti alieno oppreſſis, ratiociniis obligatis, homicidis, & reliquis facinoroſis: & ſi fuerint tales recepti, receptionem & profeſſionem eorum annullavit. Gregorius etiam XIV. declaravit, aliquam informationē reci-

recipi debere ante habitus ſuſceptionem, dummodò ante profeſſionem plena, atque eo modo, quo Sixtus V. diſponebat informatio caperetur: ſimulque declarauit ſufficere, vt Superiores Conuentuum, cum tribus aut quatuor de Capitulo per vota ſecreta captas informationes approbent. Tandem fel. recor. Clemens VIII. caſus in quibus profeſſio à Sixto V. nulla declarabatur, reduxit ad terminos iuris: ſaluas tamen omnino voluit eſſe pœnas contra Superiores, non ſeruantes in reliquis formam prædictarum Conſtitutionum, de criminoſis & alijs ſupra nominatis non recipiendis ad Ordinem, decretas. Item declaramus in Capitulo Romæ 1589. ordinatum fuiſſe, & authoritate Apoſtolica confirmatum; vt nullus ad habitum Clericalem in Ordine noſtro recipiatur, niſi qui calleat linguam latinam, & ſciat diſtinctè & clarè legere, benèque intelligat ac declaret ea quæ legit. Porrò per callere linguam latinam intelligitur, quod ſit in Grammaticalibus ſufficiēter inſtructus: prout Venetijs 1592. eadem Apoſtolica authoritate fuit declaratum. Clemens etiám VIII. ità ſtatuit: *Tantam vero litterarum ſufficientiam calleat recipiendus in Clericum, vt illius addiſcendæ ſpem indubitatam præſeferat; quod minores & ſuo tempore maiores Ordines, iuxta Decreta Concilij Tridentini ſuſcipere valeat.* Sed ſi quis annum vigeſimum quintum excedens, ad habitum regularem admitti poſtulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit; in Conuerſorum tantum numerum, quibus litterarum ſufficientia neceſſaria non eſt, referatur.

I I.

VErumtamen antequã ſtabilitatem & communem vitam promittant, & obedientiam Prælato, & ſucceſſoribus ſuis faciant. *c* tempus probationis eis aſſignetur: *d* vt ipſi auſteritates Ordinis, & Fratres mores eorum experiantur. Nullus recipiatur, niſi ſit requiſitus an ſit coniugatus, *e* an ſeruus, *f* an ratiocinijs obligatus, *g* an alterius profeſſionis, vel occultam habeant infirmitatem.

c Tempus probationis eis aſſignetur.) Declaramus, quòd tempus probationis eſt vnus annus completus, qui non poteſt incipere ante annum quintumdecimum completum. Et ita nullus Clericus poteſt profiteri, niſi completo ſexto-

decimo anno : iuxta Conſtitutionem Concilij Trident.ſeſſ.25. cap. 15. Si quis autem infra annum probationis , vel infra ætatem à iure taxatam aliquem ad profeſſionem receperit, aut tali receptioni vna cum effectu conſenſerit : ſuſpenſus eſt à receptione cuiuſcumque Nouitij : donec à Magiſtro Ordinis, vel Diffinitoribus Capituli Generalis, vel Prouincialis fuerit reſtitutus. Et præter hæc peccat mortaliter faciens contra præceptum Eccleſiæ , debet puniri pœna grauioris culpæ , vt habetur in cap. *Non ſolum*, & cap. *Conſtitutionum* de Regularib. lib. 6. & in Capitulo Carcaſſonæ 1312. ordin. 7.

d Vt & ipſi auſteritates Ordinis &c.) Declaramus, quòd cùm auſteritas Ordinis præcipue in continuatione conſiſtat, debet annus probationis integer eſſe, & continua . Et ideo ſi quis ſtetiſſet in Religione noſtra per ſex menſes, & poſtmodum egrederetur; & tranſacto aliquo tempore reuerteretur ad Ordinem : non poſſet poſt ſex menſes recipi ad profeſſionem, ſed oporteret , vt annum integrum continuaret : quia non poſſet verè dici ,quòd eſſet expertus auſteritates Religionis, quæ pro maxima ſui parte in continuatione conſiſtunt. Nam aliquis poſſet faciliter ieiunare, & à carnibus abſtinere, & caſtitatem ſeruare per vnum , vel duos menſes, qui non poſſet prædicta continuare . Et ideò ad veram probationem auſteritatum requiritur continuatio vnius anni integri: quę iuxtà deciſionem Romanæ Rotæ interrumpitur etiam per ſpatium vnius noctis, vel vnius diei; ac proindè talis non poteſt recipi ad profeſſionem Religionis . Nec obſtat textus Conſtitutionis de Nouitijs cap. 14. qui aliàs obſeruabatur ante Concilium Tridentinum.

e An ſeruus.) Declaramus , quod ſeruus non debet recipi in Religionem, niſi de licentia ſui Domini , vel niſi omnino factus ſit liber: & ſi receptus, fecerit profeſſionem, & Monaſterium fuerit in culpa; puta , quia ſciebat ipſum eſſe ſeruum, vel fuit negligens ad hoc inueſtigandum : facta profeſſio tenet , tenebitur tamen Conuentus ſatisfacere Domino ſuo.

f An ratiocinijs obligatus.) Declaramus, quòd ſi quis eſt obligatus ad ratiocinia Reipublicæ , non poteſt recipi in Religione, niſi prius de ratiocinijs ſe expediat; imò nec qui ad ratiocinia priuatorum hominum obligatus eſt; quia,

vt docet S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. argumentum, ille qui eſt obligatus ad aliquid certum, non poteſt illud licitè prætermittere, facultate exiſtente. Et ideò ſi aliquis ſit obligatus, vt alicui rationem ponat, vel vt certum debitum reddat: non poteſt hoc licitè prætermittere, vt Religionem ingrediatur. Præ oculis quoque habenda eſt Conſtitutio Clementis VIII. de receptione Nouitiorum, quæ ſic habet: *Quod attinet ad recipiendorum Nouitiorum formam, vltrà diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de naturalibus vniuſcuiuſque corporis valetudine, moribus, & anteacta vita: & præcipue eorum, qui annum ſextum decimum exceſſerint; an criminoſi, aut ære alieno grauati, vel reddendæ rationi obnoxii ſint: iuxta formam Conſtit. Sixti V.* &c. *illud etiam Superiores perquirant, vt nullus admittatur, qui ex honeſtis parentibus natus non ſit* &c. Et infra: *Et ne eorum parentes, ope & ſubſidio ipſorum indigentes deſerant.*

De criminoſis porrò illud habetur in Capit. Romano 1583. Facinoroſi & homicidæ non recipiantur ad habitum, niſi maximam ſuorum errorum pœnitentiam oſtenderint: aut feruentiſſimo ſpiritu ducti, ad Religionem venerint. Idque non ſine licentia Magiſtri Ordinis ſpeciali.

g An alterius profeſſionis.) Statuimus, vt nullus in alia Religione Profeſſus, vel ab ea eiectus, ad habitum Religionis noſtræ à quoquam recipiatur. Quod ſi receptus fuerit, præterquam quod recipientes grauiter puniantur, receptio, ſicut & profeſſio, (ſi tamen poſtmodum fuerit ſubſecuta) pro nulla habeatur; & talis ſtatim ad ſeculum remittatur. Valentiæ 1596. Romæ 1601. Valliſoleti 1605.

I I I.

h NVllus recipiatur in Fratrem Clericum ad probationem, vel profeſſionem, niſi à Priore Prouinciali, vel ab eo, cui ſuper hoc dederit licentiam ſpecialem; vel à Priore Conuentuali cum aſſenſu totius, vel maioris partis Capituli. Conuerſum autem non recipiat Prior Prouincialis, nec aliquis de eius licentia, niſi de conſenſu Prioris; & duarum partium Fratrum, qui ſunt de Conuentu, *i* pro quo fuerit induendus. Nec Conuentus aliquis re-

cipiat Conuerſum, ſine licentia Prioris Prouincialis.

b Nullus recipiatur.) Declaramus, quod Supprior, vel Vicarius Prioris in eius abſentia non poſſunt recipere Fratrem ad Ordinem, niſi ex commiſſione ſpeciali, & expreſsè ſibi facta per Priorem Prouincialem, vel Magiſtrum Ordinis. Apud Verdunum 1356. & Inſulis 1293. Itaque in Capitulo Vallisoleti 1605. interdictum eſt omnibus Prioribus, in poſterum ne ſuis Supprioribus, vel Vicarijs licentiam committant recipiendi quemquam ad habitum, vel profeſſionem, ſine licentia Prouincialis: & qui contra fecerint, in pęnam ab officiis abſoluantur. Mortuo tamen, vel amoto Priore, cùm Supprior vices Prioris in omnibus plenarie gerat ex noſtris Conſtitutionibus; poterit Fratres ad Ordinem, vel ad profeſſionem recipere.

i Pro quo fuerit induendus.) Declaramus quòd Nouitij ad illos Conuentus perpetuo pertinent, pro quibus fuerunt recepti. Lugduni 1348. Nec debent in alienis Conuentibus ad profeſſionem recipi, niſi de voluntate illorum Conuentuum, pro quibus ſunt recepti ad Ordinem. Maſſiliæ 1300. Declarantes etiam, quod Priores Prouinciales non poſſunt determinare aliquem Fratrem pertinere ad alium Conuentum, quàm ad illum, pro quo eſt profeſſus, niſi per ſimplicem aſſignationem in Ordine noſtro conſuetam. Victoriæ 1331.

I V.

k NVllus Conuverſus recipiatur infra decem & octo annos, *l* nec receptus fiat Clericus, niſi de licentia Magiſtri Ordinis ſpeciali. Nullus Religioſus profeſſus *m* cuiuſcumque Ordinis Mendicantium, recipiatur ad Ordinem noſtrum, ſine licentia Magiſtri Ordinis, vel Capituli Generalis. *n* Nec quicumque illegitimè natus, niſi de Prioris Prouincialis licentia ſpeciali. Si autem talis illegitimè natus ad Ordinem receptus fuerit, & diſpenſatum fuerit cum eodem, quòd poſſit fieri Prior; non propter hoc Diffinitor fiat Capituli Generalis, aut Prouincia-

cialis, nec Prædicator Generalis: nec Elector Magiſtri Ordinis, abſque Magiſtri Ordinis licentia ſpeciali.

k Nullus Conuerſus recipiatur infra decem & octo annos.) Declaramus, quod Fratres Conuerſi vocantur ad opera corporalia in Conuentibus exercenda, vt in ſudore vultus ſui veſcantur pane ſuo. Et quamuis iuxta Conſtitutionem, decimo octauo ætatis ſuæ anno recipi poſſint; tamen Clemens VIII. decreuit non eſſe recipiendos ante annum vigeſimum, & niſi doctrinæ Chriſtianæ capita præcipua ſciant. Tempore verò probationis elapſo, qui religioſæ perfectionis capaces ſunt, & ad laborem corporalem apti; dummodò ætatis ſuæ annum vigeſimum primum exceſſerint profeſſionem emittant. Bononiæ quoque 1615. iſtud pro recipiendis Conuerſis ordinatum fuit. Vbi eſt conſuetudo recipiendorum Tertiariorum, ſtatuimus, ut nullus ad habitum Conuerſorum recipiatur, niſi prius per annos duos in habitu Tertiarij Conuentui inſeruierit: vt ſic ſpiritus, atque vires, quibus præcipue in Fratribus Conuerſis Ordo noſter opus habet, probentur. Vbi verò conſuetudo non eſt recipiendi Tertiarios, ordinamus, vt recepti ad habitum Conuerſorum, primò duobus annis integris habitum Conuerſorum deferant: quo biennio eorum vires, & obſequia videantur, & probentur; an idonei ſint ad labores. Deindè vero poſt biennium, annus tertius in eodem habitu pro probatione illis aſſignetur; ita quod ſi benè, vt par eſt, ſe geſſerint, ad profeſſionem poſt tertium annum recipiatur.

l Nec receptus fiat Clericus, niſi de licentia Magiſtri Ordinis.) Declaramus, quod Priores Prouinciales non poſſunt dare licentiam, quod aliquis Conuerſus tranſferatur ad ſtatum Clericorum, ſed ſolus Magiſter Ordinis. Nullus etiam Conuerſum habitu albo in Ordine noſtro, excepto Magiſtro Ordinis, induere poteſt. Quod ſi ſecus fecerit, totum ſit irritum & inane: & Prælatus contraueniens; in pęnam ab officio abſoluatur, necnon voce paſſiua priuetur. Bononiæ 1564. Barcinonæ 1574. & Romæ 1580. atque idem de Tertiariis obſeruetur. Quicumque autem Conuerſus, Oblatus, vel Tertiarius inuentus fuerit ſine Magiſtri Ordinis licentia Clericalem habitum aſſumpſiſſe; ipſo omninò exuatur. Conuerſus per ſex menſes etiam

ſca-

ſcapulari nigro priuetur, & in Conuentui pro carcere uno anno detineatur, & ad priſtinum ſtatum redire cogatur. Romæ 1580. & Bononiæ 1615. Si quis autem Conuerſus ſeipſum tali habitu induere auſus fuerit, & quod peius eſt Ordines ſacros fraudulenter ſuſceperit: vltrà Conſtitutiones Apoſtolicas de malè promotis, iuxta leges noſtras ſeuere puniatur, & ipſo etiam habitu Conuerſorum exuatur, atque ſolo habitu Tertiarij indutus, toto tempore ſuæ vitæ ab executione dictorum Ordinum ſit ſuſpenſus, perpetuòque inhabilis. Neque ab aliquo ad ſuum habitum reſtituatur, niſi à Capitulo Generali, Neapoli 1600. Romæ etiam 1608. ordinatum fuit, ut Conuerſi, qui habitum Clericalem, vel iam ſuſceperunt, vel in poſterum cum licentia Magiſtri Ordinis ſuſceperint; nullo pacto ſine licentia Magiſtri Ordinis, ſacris Ordinibus initientur. Quod ſi Magiſter Ordinis cum aliquo diſpenſauerit, non poterit habere vocem in quacumque electione canonica: nec ad eligendum eos, qui ſunt mittendi ad Capitulum Generale, vel Prouinciale, ante ſex annos completos, a die receptionis habitus Clericorum computandos: & niſi etiam fuerit Sacerdos, vt infra diſtinct. 2. cap. 2. de electione Prioris clarius explicatur. Et quoad vocem, & quoad locum vbique eſſe debet poſt Fratres Clericos, qui eum in ſtatu Clericorum præceſſerunt. B.ſuntij 1303. & Burgis 1369.

Prætere a denunciamus Clementem VIII. ſtatuiſſe, vt qui ad Conuerſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum, etiam durante probationis anno tranſire non poſſint. Et cum profeſſionem emiſerint, quemadmodum & Clerici in libro deſignato, profeſſionem ſuam ſubſcribant. Qui autem literarum ignari ſunt, ſignum Crucis in eodem libro profeſſioni ſuæ aliena manu deſcriptæ apponant, & teſtes aſſiſtentes ſubſcribant.

m Cuiuſcumque Ordinis Mendicantium.) Declaramus, quod per Religioſos Mendicantes, intelligit Conſtitutio non ſolum illos Religioſos, qui poſſeſſiones non habent, nec in communi, nec in particulari: ſed etiam illos, qui de iure, vel ex indulto Apoſtolico ſunt Mendicantes. Valentiæ 1337.

Ad Ordinem noſtrum.) Declaramus, quòd quamuis de iure antiquo communiter poterant Fratres quorumcumque Ordinum, ſiue Mendicantium, ſiue

ſiue non Mendicantium ad Ordinem noſtrum propter ſui præſtantiam cum licentia Magiſtri Ordinis tranſire: tamen poſtea propter Conſtitutionem Bonifacij Papæ IX. nullus ex alio Ordine Mendicantium poteſt ad Ordinem noſtrum, neque ex noſtro ad alium, niſi de licentia Sedis Apoſtolicæ tranſire. Martinus quoque V. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibuit, ne vllus Religioſus quorumcumque Ordinum Mendicantium, cuiuſcumque ſtatus, conditionis &c. virtute quarumcumque facultatum conceſſarum etiam auctoritate Apoſtolica &c. admitti, vel recipi poſſit per quoſcumque Superiores Monaſticos in Monachum cuiuſcumque Ordinis Monaſtici, (Carthuſienſi dumtaxat excepto,) ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ: quam incurrunt ipſo facto receptores, & recepti, à qua abſolui, non poſſunt extra articulum mortis, niſi à Romano Pontifice.

n Nec quicumque illegitimè natus.) Declaramus, quòd nullatenus illegitimè natus poteſt recipi ad Ordinem ſine licentia Prouincialis, vel Magiſtri Ordinis, & ſi fuerit receptus non poterit eſſe Supprior, nec Vicarius Prioris in aliquo Conuentu, etiam Priore illius Conuentus mortuo, vel amoto: niſi cum eo fuerit diſpenſatum. Apud Podium 1344. declaratum fuit, quod illegitimè natus non poteſt fieri Prior, nec Supprior, nec Viſitator ſine diſpenſatione. Et ſi diſpenſatum fuerit, quod poſſit eſſe Prior: non poterit tamen propter hoc eſſe Vicarius Prouincialis, aut Prouinciæ: nec Diffinitor Capituli Generalis, niſi in diſpenſatione de prædictis facta fuerit expreſſa mentio.

Item denunciamus Sixtum V. olim prohibuiſſe, ne illegitimi quicumque ad Religionem recipiantur. Clemens tamen VIII. eiuſdem Sixti Conſtitutionem ad terminos iuris reduxit: poſſeque illegitimos recipi indulſit; cum hac tamen clauſula; vt hi, ad quos ſpectat huiuſmodi receptio, præter alia, quæ inquirere debent, diligenter vitam, & mores examinent, & illos recipiant: ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen præſeferant, vt merita ſuppleant natalium defectum, & illorum receptio Ordini profutura eſſe videatur. Dummodò tamen in eadem Religione filius, in qua pater profeſſus fuerit, viuente patre non admittatur. Voluit etiam idem Summus Pontifex licere Generali, aut Prouinciali, ad quos ſpectat dicta diſpenſatio, iuxta priuilegia illis conceſſa diſpenſare poſſe cum illegiti-

gitimis : ſuffragantibus meritis ad gradus, honores, & dignitates obtinendas.

V.

PRohibemus autem ne aliquis de cætero *o* aliquam mulierem tondeat, vel induat, vel ad profeſſionem recipiat. Pueri intra quartumdecimum annum, aut non recipiantur, aut ſi in aliquibus Conuentibus oporteat eos communiter recipere, recipiantur de conſenſu Capituli Conuentus, à Priore, & non alias. Nec retineri poſſint in aliquo Conuentu, *p* vbi uon eſt Nouitiorum ſimilium congregatio cum proprio dormitorio & Magiſtro: ita quod alibi non recipiantur, niſi ſtatim mittantur ad huiuſmodi Conuentus, in quibus profitebuntur : pro Conuentibus tamen, in quibus receperunt habitum, & à quibus Conuentibus de veſtimentis prouideri eis debet.

o Aliquam mulierem tondeat, vel induat,) Declaramus Salmanticæ 1551. ita ordinatum fuiſſe. Strictiſſimè inhibemus Prælatis, & Conuentuum Præſidentibus, ne de cætero aliquam mulierem ad habitum Tertij Ordinis recipiant, quæ ſit minoris ætatis quam annorum quadraginta, & quæ non habeat vnde de victu, & veſtitu ſibi ſufficienter valeat prouidere : quod intelligimus de his, quæ in proprijs domibus habitant, & non de his, quæ ſunt in Monaſterijs collegiatis.

p Vbi non eſt Nouitiorum ſimilium cõgregatio.) Declaramus, quod huiuſmodi Congregatio debet eſſe ad minus in numero ſenario. Salmanticæ 1551. & Romæ 1553. & 1558. & Auenione 1561. addita ſunt hæc verba; Quæ ordinatio cùm iam habeat tria, & quatuor Capitula, & admodùm neceſſaria ſit, præcipimus, vt inuiolabiliter obſeruetur ab omnibus Prælatis. Declaramus etiam, quod Romæ 1589. Sixtus V. dato viuæ Vocis oraculo fel. record. Cardinali Alexandrino Ordinis noſtri (ex quo fuit aſſumptus) Protectori, decreuit, & perpetuis temporibus obſeruandum in vniuerſo noſtro Prædicatorum Ordine

dine præcepit, vt de cætero Nouitii, qui in minoribus Conuentibus habitum Religionis aſſumpſerint; ad Conuentus majores & religioſos tranſmittantur, vbi in Dormitorio communi eorum, cum debita clauſura, & ſaltem in numerò ſenario educari poſſint ſub diſcreto & religioſo Magiſtro. Quod ſi quis Prælatus in poſterum profeſſionem alicujus Nouitij recipere præſumpſerit, qui iuxta tenorem huius Decreti non fuerit inſtructus, ac educatus, vel intra menſem ſcienter Nouitium non tranſmiſerit adConuentum (vt dictum eſt) in quo religioſe, vt ſupra inſtruatur: ipſo facto ſit excommunicatus & gradu atque officio Ordinis indiſpenſabiliter priuatus. Vt autem hæc ordinatio debitè obſervetur, eadem Apoſtolica authoritate in virtute Spiritus Sancti, & ſub ſanctæ obedientiæ formali præcepto Prouincialibus: ſeu Vicariis præcepit: vt in ſuis Prouincijs, vel Congregationibus intra ſpatium duorum menſium à notitia præſentium, Conuentus aliquos religioſos deſignent; ad quos tranſmittantur, qui in minoribus non aptis ad eorum inſtructionem ſunt veſtiti: Vbi annum probationis peragant, & ſuo tempore profeſſionem faciant: pro illis tamen Conuentibus, pro quibus habitum Ordinis ſuſceperunt; & ſic profeſſi ab illa religioſa, & conſimili ſocietate, & à cura Magiſtri Nouitiorum ad minus poſt biennium integrum ab emiſſa profeſſione non amoveantur. Non tamen prohibuit idem Sixtus V. quominus longiori tempore ſub cura Magiſtri Novitiorum remaneāt: quemadmodum poſtea Romæ 1608. & Pariſijs 1611. ordinatum fuit iſtis verbis: Ordinamus, vt Nouitij in poſterum poſt emiſſam profeſſionem maneant in domo Nouitiorum, & ſub cura ſui Magiſtri vſque ad Sacerdotium: nec ante id tempus, vel extra domum Nouitiorum, vel à cura ſui Magiſtri ſubduci poſſint. Cæterum Venetiis 1592. eadem Apoſtolica authoritate declaratum fuit, prædictum ſenarium numerum, vt in pluribus requiri: Prouincijs autem deſolatis, ſufficere dumtaxat quaternarium. Item declaramus inCapitulo Salmanticen. 1551. acceptatam fuiſſe Conſtitutionem Leonis X. in qua ſtatutum eſt, vt in iuuenum ſuſceptione ad habitum & profeſſionem, ſuffragia per vota ſecreta, ſeu per fabas in Capitulo ab omnibus ferantur: quod idem inCapitulo Valentiæ 1596. ordinatum fuit. Neque etiam in cellis, aut locis privatis, ſed in Capitulo ad habitum & profeſſionem Nouitii recipiantur: non obſtantibus in contrarium qui-

ſub pœna abſolutionis ab officio ipſo facto incurrenda fuit inhibitum, ne Prior Prouincialis ſeu Conuentualis poſſit ad nutum inſtituere Magiſtrum Nouitiorum, vel iam inſtitutum ab officio amouere: niſi ex conſenſu Diffinitorum, ſi de hoc tractatur in Prouinciali Capitulo; vel ex conſenſu maioris partis Patrum à conſilijs illius Conventus, in quo Magiſter Nouitiorum eſt inſtituendus vel amouendus, quando de tali re tractatur extra Capitulum. Ne autem Patres à tam neceſſaria cura iuuenum refugiant, Romæ *1608.* ord. *13.* fuit ordinatum: vt recuſantes officium Magiſtri Nouitiorum ſibi à Prouincialibus vel à Capitulo Prouinciali, vel Prioribus de conſilio Patrum impoſitum; non poſſint eligi per vnum annum in Priores. Magiſtris in Theologia, Patribus Prouinciæ, & Lectoribus actu legentibus dumtaxat exceptis.

Vt autem iſtud officium tanto libentiùs ſuſcipiant, in eodem Capitulo ordinatum, & Pariſiis 1611. confirmatum fuit: vt Magiſtri Nouitiorum ſimplicium ſint Patres à conſilijs, & ab onere hebdomadariæ exempti.

I I.

b FRequenter pure & diſcretè, *c* doceat eos confiteri, *d* ſine proprio viuere, propriam voluntatem deſerere, pro ſui voluntate, Prælati *e* obedientiam in omnibus voluntariam obſeruare: quomodo vbicumque & in omnibus ſe habere debeāt, ipſos debet inſtruere; & quod locum vbi poſiti fuerint, vbique teneant. Quomodo ſibi danti aliquid vel auferenti, malè, vel benè dicenti inclinare debeant: quomodo ſe ad cameras contineant, vt oculos ſublimes non habeant; quomodo & quid orent, & quàm ſilenter, vt alijs rugitum non faciant. Quomodo in Capitulo venia, vel vbicumque reprehenſi fuerint à Prælato, ſit facienda; & quod ſi quis Fratrem ſuum aliquo modo ſcandalizauerit; tamdiu ante pedes eius proſtratus iaceat, quouſque placatus erigat eum.

In-

III.

INſtruendi ſunt etiam Nouitij, vt cum nemine contendere præſumant, & in omnibus Magiſtro ſuo obediant. In Proceſſione ſocium ſibi collateralem attendant, nec loquantur locis & temporibus interdictis: neminem penitùs iudicent; ſed ſi aliqua ab vllo fieri videāt, licet mala videantur, bona ſuſpicentur, vel bona intentione facta: ſæpè enim humanum fallitur iudiciū: & quod non loquantur de abſente, niſi quæ bona ſunt. Diſciplinas frequenter ſuſcipiant, cum duabus manibus bibant, & ſedendo: diligenter libros, & veſtes, & res alias Monaſterij cuſtodiant. Et quod ſi quid petitum fuerit ab vno Priore, non petatur ab alio, niſi cauſa expoſita: ſed nec ſi à maiore petierint, vadant ad minorem.

b Frequenter, purè, & diſcretè doceat eos confiteri.) Declaramus, quod Magiſter Nouitiorum debet eſſe vir prudens, diſcretus, zelator Religionis, & cæremoniarum valdè peritus: qui Nouitios de his inſtruat, quæ profeſſi facere tenentur; præter ea, quæ hic in Conſtitutione expreſſe habentur, & doceat eos ſeruare illa, quæ ſunt ſubſtantialia Religionis: vt paupertatem, caſtitatem, & obedientiam: & quod habitum Religionis, dum in publico apparent, vbique deferant. Similiter debet eos docere de ieiunijs certis temporibus ſervandis, de abſtinentia ab eſu carnium: de lineis non portandis ad carnem, de culcitris non tenendis; de dormiendo cum tunicella, cingulo, & caligis, de ſilentio certis locis & temporibus ſeruando. Qualiter in Oratorio ſe debent habere maturè: & præſertim iuxtà Altare reuerenter, iuxta Reliquias timorate, in menſa & in Capitulo compoſite. In comeſtione religioſe: & quod ſuper eſcam ſe non effundant, munde comedant, ne abominationem alijs faciant, & quod non ſint verboſi, ſed linguam reſtringant; oculos ſublimes non habeant, neque circumuoluant. In dormitorio quiete ſe habeant, & nec otioſè diſcurrant: & vbicumque fuerint, non otioſa, ſed vtilia dicant. Debet etiam eos docere de cæremo-

monijs, maximè circa miniſterium Altaris: videlicet de inclinationibus & proſtrationibus faciendis, & de alijs ad Religionem pertinentibus: vt ſimul mores diſcant & ſcientiam. Et quia ex ſancta ac probata Nouitiorum educatione, magni fructus in Religione proueniunt, & regularis diſciplina mirificè propagatur: multa in Capitulis Generalibus circa eorum eruditionem ordinata ſunt, videlicet: inſtruendi ſunt in cantu, & in Diuino Officio, & quod niſi prius ſciant Diuinum Officium recitare, ad profeſſionem non recipiantur. Carcaſſonæ 1312. Item vt in loco ab alijs ſeparato educentur. Venetijs 1592. Et præter Magiſtrum, & Pædagogum, nemo nec etiam ipſi Lectores habeant clauem domus Nouitiorum, quocumque vſu, vel potius corruptela in contrarium non obſtante. Romæ 1608. Et Lectores Nouitiorum, nullo pacto eorum negotijs, aut gubernationibus ſe immiſceant, aut ipſos contra ſuos Magiſtros defendant, aut pœnitentias illis impoſitas impedire conentur: neque vllo pretextu, nec alia quacumque cauſa, vel occaſione etiam repetendi lectiones, aut dubia explicandi, domos Nouitiorum ingrediantur; nec cum eis extra ſcholam, etiam de rebus ad ſtudium pertinentibus, ſine licentia Magiſtri Nouitiorum loquantur. Qui autem contra fecerint, & officio Lectoratus, & voce actiua paſſiuaque priuentur. Valliſoleti 1605. In anno autem probationis, Nouitij in ſtudijs Artium (præterquam linguarum) non occupentur, ſed tantùm in ſpirituali profectu, in humilitate ſpiritus & mortificatione carnis: & in ſumma in his, quæ ad ſummam perfectionis (præſertim ex lectione vitarum Sanctorum noſtri Ordinis, & opuſculis ſpiritualibus, quales ſunt Diui Bernardi, S. Vincentij Ferrerij, Magiſtri Humberti ſuper Regulam, & Ludouici Granaten.) pertinere cognouerint, inſtruãtur. Poſt emiſſam autem profeſſionem, ad litterarum ſtudia poterunt admitti. Romæ 1608. & Pariſijs 1611. Item Romæ 1601. ordinatum, & Valliſoleti 1695. confirmatum, atque vtrobique præceptum fuit: vt Prælati omnem adhibeant curam, ſub pœna abſolutionis ab officio, ne vlla de cauſa Nouitios, aut profeſſos, per domum Nouitiorum, vel per Monaſterium vagari permittant, præterquam in euidenti vrgentique neceſſitate.

Item Nouitij vſque ad Sacerdotium indiſpenſabiliter ſint ſub cura Magiſtri Nouitiorum: ſub pœna abſolutionis ab officijs

cijs, Prælatis quibuſcumque in contrarium agentibus, vel permittentibus. Barcinonæ 1574. Quod Romæ 1608. declaratum fuit, id eſſe obſeruandum in vniuerſo Ordine noſtro, nulla excepta Provincia: ita tamen, vt Nouitij qui annum probationis nondum expleuerunt, in Nouitiorum domo, ſeu loco à ſocietate & conſuetudine Profeſſorum ſeparato, detineantur. Ad Eccleſiam, Oratorium, Chorum, & Refectorium, & alia publica loca, cùm opus fuerit, tum puri Nouitij, tum Profeſſi ſimul incedant, & conueniant. Porrò Nouitijs ad remotiores Conuentus mittendis, aliquis Pater bonæ atque integræ famæ, comes itineris adjungatur. Barcinonæ 1574. Nullus autem purus Nouitius ante Profeſſionem à Prouinciali, vel Priore Conuentuali, vel Magiſtro Nouitiorum ſine conſilio Patrum, cauſa mature diſcuſſa, habitu Ordinis exuatur. Romæ 1589. & Venetijs 1592.

e Doceat eos confiteri.) Declaramus, quod Fratres noſtri non poſſunt ſua peccata, vlli Sacerdoti etiam Fratri Ordinis noſtri, abſque ſuorum Prælatorum licentia confiteri: vt ſupra in Prologo, præſertim ex Apoſtolica Conſtitutione Clementis VIII. dictum eſt. Quilibet tamen Prior in ſuo Conuentu, cum habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poteſt quemcumque Fratrem Ordinis noſtri, etiam hoſpitem ad ſuum Conuentum venientem, à quocumque peccato, & ab omni ſententia iuris, & iudicis generaliter, & non in particulari prolata abſoluere: niſi fortè talis eſſet exceſſus, vt meritò Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda. Poteſt etiam Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis Fratribus ad ſuum Conuentum venientibus miniſtrare; ſicut dictum eſt in Prologo; atque declaratum Perpiniani 1327. Toloſæ 1328. & Valencenis 1337. Poteſt autem prædicta omnia Prior fácere per priuilegium, quod dicitur *Mare magnum*. Nec poteſt quoad hoc Priorum authoritas a Priore Prouinciali diminui, atque arctari: quia quod a Superiore conceditur, reuocari ab inferiore non poteſt. Præterea Prior Fratri ſuo ſubdito concedere poteſt, vt confiteatur Priori, vel Fratri alterius Conuentus (alias legitimè ad Confeſſiones audiendas expoſito) ſed non Sacerdoti alterius Religionis. Toloſæ 1328. Cùm vero Magiſter Ordinis curam animarum omnium Fratrum noſtri Ordinis plenè, & liberè habeat, ipſoſque Fratres authoritate propria ligare, & ab-

& abſoluere poteſt, vt patet per Priuilegia; omnes Fratres Ordinis ab omnibus exceſſibus, & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis poteſt abſoluere: niſi eſſent hæretici relapſi, vel ſchiſmatici, aut litteras Apoſtolicas falſificantes, vel ad infideles prohibita attuliſſent. Poteſt etiam ex legitima cauſa Fratribus licentiam dare, vt confiteantur Sacerdoti ſeculari, vel Regulari (alias legitimè expoſito) alterius Ordinis, quando copiam Confeſſoris Ordinis noſtri habere non poſſunt. Ex priuilegio autem Innocentij VII. quod in compendio Priuilegiorum noſtrorum continetur, poteſt Frater in itinere poſitus, aut quomodolibet ex Prælati obedientia extra Conuentum miſſus, ſua peccata ſeculari Sacerdoti, vel etiam Confeſſori alterius Ordinis confiteri. Quod quidem vſus ipſe confirmat, & conceſſum inſuper eſt a Leone X. *Vt in Compendio Priuilegiorum Mendicantium* impreſſo Neapoli 1595. declaratur. Quæ ſanè conceſſio facta eſt ſpecialiter Fratribus Ordinis noſtri: hac tamen conditione; vt talis confeſſio ſine fraude fiat, & Prælato ſignificetur.

Item declaramus Salmanticæ 1551. ſic haberi: Denunciamus omnibus Fratribus, renunciaſſe non priuilegijs omnibus, præſertim Ordinis Minimorum, quoad illud, quod ſpectat ad Fratrum confeſſiones audiendas. Romæ quoque 1601. Conſtitutio Clementis VIII. in materia de Confeſſionibus acceptata fuit, cuius eſt diſpoſitio iſtis verbis concepta: Conceſſionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quãtum ad prædictum articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, cum Fratribus, & Sororibus Ordinis prædicti (ſcilicet Carmelitarum) ac aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum cuiuſuis Inſtituti Mendicantium, & non Mendicantium, tam Prouinciæ Hiſpaniæ, quam extra eam vbilibet, locum minime habere, neque cenſeri: ſed noſtræ intentionis exiſtere; quod ijdem Fratres & Moniales, quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint, Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuo declaramus. Declaramus præterea, quod & Nouitij, & alij Fratres debent frequenter confiteri: ac præcipuè non Sacerdotes, ſaltem ſemel in Hebdomada, etiam ſi ſacramentalis Communio de quindena in quindenam debeat ab eis fieri, vt ſupra dictum eſt. Sacerdotes vero tenentur

confiteri, quando celebrare debent, & qui in hoc fuerint negligẽtes a Superioribus acriter puniantur. Bononiæ 1252. & 1426. Cæterum propter reuerentiam pœnitentiæ Sacramenti, Fratres dum ſua confitentur peccata, debent ante Confeſſorem genua flectere. Auenione 1561. & Romæ 1569. vbi ordinatum fuit, vt Sacerdotes celebraturi antequam ſacras veſtes induant, confiteantur.

d Sine proprio vivere.) Declaramus: quod tam Nouitij, quam alij Fratres debent ſine proprio viuere, ſicut mandatur in Regula, vbi dicitur: *Nec dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.* Proprium autem dicitur quicquid celatur Prælato ſuo, vel tenetur contra eius voluntatem: & ideo Religioſus aliquod recipiens mobile, vel immobile, ſine conſenſu ſui Superioris, aut illud quod ex licentia Prælati recepit, ſi non eſt paratus totum ponere in manibus eius ad placitum, & requiſitionem ipſius Prælati; aut aliquid abſcondit ne videatur, aut accipiatur a Prælato, proprietarius eſt, & peccat mortaliter: niſi tanta ſit paruitas materiæ, vt merito a mortali valeat excuſari. Et propterea in diuerſis Capitulis fuit ſub præceptis, cenſuris, & pœnis prohibitum omnibus & ſingulis Fratribus, ne aliqua bona temporalia, niſi ad vſum tantum, & de licentia ſuorum Prælatorum teneant: nec ea vendere, donare, pignorare, commutare, vel quouis modo alienare; aut pecunias, vel alia bona apud mercatores, aut campſores, ſeu apud quamcumque perſonam extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutam tenere, ſeu mutare, ſine licentia Superiorum: aut quod grauius eſt, negotiationes, ſeu mercaturas, aut artem Alchimiæ exercere præſumant. Fuit etiam demandatum, vt Fratres ſemel quotannis teneantur omnia bona ipſis ad vſum conceſſa, ad pedes ſui Prælati re ipſa exponere, vel ſaltem omnia integraliter & fideliter, nihil occultando in ſcripta redigere, & ſuis Præſidentibus, quaſi ſeipſos omnium rerum proprietatem abdicantes, præſentare. Papiæ 1423. & in omnibus alijs ſequentibus vſque ad Capitulum Romæ celebratum 1508. incluſiue: & iterum Romæ 1518. Et tandem propter Concilium Tridentinum in Capitulo Bononien. 1564. in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, omnibus Conuentuum Præſidentibus fuit præceptum: vt infra vnum menſem privatas omnium (nullo excepto) cellas viſitarent; & ſi quid

ſi quid ſtatui paupertatis minus conueniens inueniſſent, auferrent atque communi vtilitati applicarent: omnes verò Fratres quotannis ſua omnia Prælatis fideliter exponerent.

Item declaramus, quòd Religioſus de rebus ſibi conceſſis per Prælatum, ita habet, vſum, quod non habeat vſum fructum: ac ideo Religioſus, cum non debeat eſſe proprietarius, nec alicuius rei habeat dominium; nihil donare, neque etiam eleemoſynam facere poteſt ex rebus ad vſum ei conceſſis, vel per induſtriam a ſe acquiſitis, vel quacumque ratione ei datis: quia omnia prædicta ſunt Monaſterij quantum ad dominium. Et ideò Prælati tenentur laborare quantum eis poſſibile eſt, vt Fratres in ſuo Conuentu in communi viuant, & proprietarij non ſint: & ſubditi non debent in hoc ſuis Prælatis reſiſtere. Si verò reſiſtentiam faciant, quia de ſuis rebus ſecundum libitum propriæ voluntatis volunt diſponere; videntur eſſe in malo ſtatu.

e Obedientiam in omnibus voluntariã &c.) Declaramus, tranſgreſſionem obedientiæ peccatum eſſe mortâle: vt habetur 1. Reg. c. 15. vbi dicitur; *Quaſi ſcelus idolatriæ eſt nolle obedire*. Sed non omnis tranſgreſſio ordinationis in Regula, vel in Conſtitutione poſitæ, vel à Prælato factæ eſt proprie inobedientia. Nec eſt aliqua Religio, in qua quis voueat ſe ſeruaturum omnia poſita & ordinata in Regula, vel in Conſtitutionibus, ſed aliqua ex ipſis, plus vel minus ſecundum formam profeſſionis, in qua ſit votũ ſolemne. Quatuor autem modis agit quis contra votum obedientiæ, ac proindè peccat mortaliter tranſgrediendo ordinationes Regulæ, vel Prælatorum. Primo per contemptum: quia quantumcumque illud, quod eſt ordinatum à Regula, vel à Conſtitutione: vel à Prælato, de ſe ſit paruum; ſi per contemptum tranſgrediatur, committit peccatum mortale, ſicut in Prologo dictum eſt. Secundo agit quis contra votum obedientiæ, ac proindè mortaliter peccat, quando facit contra præceptum ſui Prælati: factum ſub præſcripta in Prologo verborum forma, de his, quæ ad Regulam pertinent, vel ad Conſtitutiones; dummodo intendat Prælatus præceptum facere, & ſubditum obligare. Vt cum dicit. Præcipio tibi in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ: vel, Præcipio ſub pœna excommunicationis. Tertio modo agit quis contra votum obedientiæ, ac præcepta con-

tenta in Regula, vel in Conſtitutionibus, vbi eſt aliquid ſub præcepto mandatum in virtute ſanctæ obedientiæ, vel ſub pœna excommunicationis. Quarto modo Religioſus agit contra votum obedientiæ, quando tranſgreditur eſſentialia, & ſubſtantialia Religionis, ex quibus Religio integratur: ſicut eſt paupertas voluntaria, obſeruantia caſtitatis, forma & color habitus, quem quilibet Religioſus tenetur patenter deferre quando procedit in publicum. Et ideò Religioſus proprietarius, aut incontinenter viuens, aut habitum ſuæ Religionis cum procedit in publicum non deferens, vel abſque legitima cauſa occultans, agit contra votum obedientiæ, & mortaliter peccat. Tranſgreſſiones verò aliarum ordinationum, vel admonitionum, quæ ponuntur in Regula, vel in Conſtitutionibus, vel quæ à Prælato fiunt: ſiue ſtatuta illa, & ordinationes ponantur affirmatiuè, ſiue ſimpliciter, & negatiuè; non obligant de ſe ad peccatum, cum ſint tantummodò puræ Conſtitutiones, nec alias Diuina, vel humana lege prohibita; ad pœnam ſolùm, & non ad culpam obligant tranſgreſſores. Niſi fortè ſit cum eis præceptum coniunctum, vel fiat tranſgreſſio ex contemptu, ſicut ſupra dictum eſt: nam ex his duobus capitibus, tranſgreſſio erit peccatum mortale, & ſi ex negligentia, fiet veniale.

I V.

Item confeſſiones Nouitiorum ante profeſſionem recipiantur, & diligenter de modo confeſſionis, & de alijs inſtruantur. Item Nouitij ante profeſſionem, de debitis ſe expediant, & *f* omnia ad pedes Prioris ponant, vt ſe ex toto abſoluant. Similiter omnes Fratres ſingulis annis ſemel *g* omnia ſibi commiſſa Prioribus ſuis exponant, pariter & exhibeant, *h* eorum diſpoſitioni relinquendo.

f Omnia ad pedes Prioris ponant, vt ſe ex toto abſoluant.) Declaramus, quòd nullus Religioſus profeſſus debet in particulari aliquid proprium poſſidere, ſed omnia in communi ponere, vt in Regula dicitur. Quamobrem Vrbanus Pontifex Can. 12. qu. 1. cap. *Scimus*, ſic dicit: *Quicumque veſtrum vitam communem ſuſceptam habet, & vouit*

ſe

ſe nihil proprium habere: videat ne pollicitationem ſuam irritam faciat, ſed fideliter cuſtodiat; ne damnationem, ſed præmium ſibi acquirat. Et extrau. *de ſtatu Monach.* cap. *Cum ad Monaſterium*, dicitur: *Probibemus diſtricte in virtute obedientiæ, ſub obteſtatione Diuini iudicij: ne quis Monachorun proprium aliquo modo poſſideat*. Et cap. *Monachi* eodem titulo, dicitur: *Præcipimus vniuerſis Religioſis, ne peculium, ſeu proprium habeant*. Et dicitur proprium, quaſi a communicate ſeparatum: & importat dominium rei iuſtis modis acquiſitum. Quare Prælatus cum Religioſo diſpenſare non poteſt, vt proprium habeat: ſcilicet: vt habeat aliquid ſimpliciter in ſuo dominio, ac de eo facere poſſit propria authoritate, quidquid velit ſine ſcitu, & voluntate Superioris, quod ſi Prælatus permittat, vel quod peius eſt, conſentiat vt Frater aliquid proprium habeat, & quæ habuerit, ad placitum diſtrahat, diſſipet, atque etiam in Monaſterij detrimentum perdat: non excuſatur a gravi peccato, cum ovem ſuam morti exponat. Si vero Religioſus, ea quæ ſunt ipſi ad vſum conceſſa, ſine voluntate, & conſenſu ſui Prioris, quaſi dominus rerum donat, vel vendit; mortaliter peccat; niſi fortè in ratihabitatione ſui Prælati ſpem poneret. Quaprópter ne Fratres diſſipent res ſibi ad vſum conceſſas: Mediolani 1270. ſic decernitur. Volumus, & diſtricte iniungimus, vt quilibet Prior Conventualis, ſingulis annis, & ſpecialiter initio ſui regiminis, à quolibet Fratre diligenter inquirat, qui habeat, quid debeat, quid etiam ſibi debeatur: atque hæc omnino redigatur in ſcripta. Deindè cum de rebus Fratris ſcrutinum fecerint, ſi quid auctum, vel diminutum fuerit, inquirant, & faciant; vt Fratres, qui pecuniam ad aliquos vſus habent, illam expendant; & longo tempore non reſervent. Quam ſi Fratres infra tempus eis aſſignatum non expenderint, Prælati ab ipſis eam auferant, & dent Conventui. Et Pariſijs 1276. ſtatuitur; Ordinamus, & diſtricte iniungimus, vt nullus Frater pecuniam recipiat ſine ſui Prælati ſpeciali licentia: & ſi caſu aliquo contingente ſine licentia pecuniam receperit, teneatur ſtatim ſuo Prælato eam repræſentare. Quod ſi facere neglexerit, ex vi præſentis Ordinationis, ipſa pecunia ſit privatus, & ad Conventum de quo fuerit devolvatur: nec talis pecunia poſſit ei reſtitui a Priore, vel a quocumque Vicario. Volentes, quod Conſti-

ſtitutionem de rebus Fratrum ſuis Prioribus quotannis exponendis, & de ratione reddenda pecuniarum, atque aliarum rerum, quæ diſpenſantur per Fratres, teneantur Priores, & Vicarij obſeruare diligenter, atque vt obſeruentur à Fratribus pariter efficere: & qui facere neglexerint, grauius puniantur. Et in Capitulo Romano 1601. ſic habetur: Confirmamus, quod in duobus præcedentibus Capitulis Romæ & Valentiæ, alijſque ſæpius ſanctè ſtatutum fuit: vt qui pecunias vndecumque habuerint; teneantur eas ſub pœnis proprietarijs debitis, infra terminum viginti quatuor horarum ſuo Prælato præſentare, atque ex eius licentia in communi depoſito ponere. Quod quidem in modica pecuniarum quantitate, ad breue tempus, & ad certum vſum, attenta tamen perſonarum, & occaſionum qualitate, permitti poterit: Prælatique grauius puniantur, ſi permiſerint pecunias à Fratribus aliter expendi, quam eorum religioſa neceſſitas, vel commoditas poſtulauerit. Si quis autem Frater (quod Deus auertat) in proprietatis crimine mortuus eſſe repertus fuerit, talis beneficio Eccleſiaſticæ ſepulturæ omnino priuetur, atque in ſterquilinio ſepeliatur: iuxta quod in quendam Monachum ſe feciſſe narrat Beatus Gregorius Magnus in lib. Dialogorum, & vt habetur *de ſtatu Monach.* cap. *Monachi* &c. & cap. *Cum ad Monaſterium*.

Item ordinamus, & diſtrictè iniungimus, ne Fratres pecuniam teneant, nec habeant in depoſito, niſi ad certos vſus ex ſuorum Prælatorum licentia deputatam: quam in alios vſus eis non liceat commutare, eamque infra breue tempus, ipſis à ſuis Prioribus, vel eorum Vicarijs aſſignandum, in prædictos vſus expendere teneantur. Alioquin ex vi præſentis ordinationis, ipſa pecunia in omnibus commemoratis caſibus ſint priuati, & ad eorum Conuentum ſine recuperandi ſpe, deuoluatur. Volentes vt Priores, & eorum Vicarij exequi prædicta ſtudeant diligenter, & ſi negligentes fuerint acrius puniantur. Priores etiam, & quicumque Vicarij ad eandem ordinationem ſeruandam de pecunijs eis datis ſimiliter obligentur. Quæ ordinatio, vt a Prioribus, & Vicarijs diligentiſſimè obſeruetur, Priores Prouinciales diligenter curent. Mediolani 1278. Et Carcaſſonæ 1312. etiam iſtud additur. Cum in quocumque Ordine proprietatis vitium execrabile ſit, ac ſummo ſtudio euitandum: ordinamus; vt quicumque Fratres

tres pecuniam aliquam, vel quæcumque iocalia in auro, & argento, ſeu lapidibus pretioſis, vel quaſcumque res alias habentes extra cuſtodiam Ordinis apud quamcumque perſonam depoſita, teneantur infra vnum menſem a notitia præſentis ordinationis, illa ad Ordinem reducere, quod ſi hoc facere neglexerint, ex nunc eos priuamus prædictis rebus omnibus, atque Conuentibus, ad quos dicti Fratres pertinent applicamus. Sub eadem etiam pœna prohibemus, ne aliquis in futurum quæcumque talia, niſi in communi Fratrum depoſito, atque ex ſuorum Prælatorum ſpeciali, & expreſſa licentia teneat. Fratres etiam, requirentibus Prioribus Prouiancialibus, vel Conuentualibus, iuxta tenorem noſtrarum Conſtitutionum, omnium receptarum, atque expenſarum rerum, ac diſpenſationum, & executionis teſtamentorum, rationem reddere teneantur. Quaſcumque autem gratias, ſeu exceptiones, quibuſcumque à quocumque quo ad hoc datas, præſenti ordinatione penitus reuocamus. Lugduni 1318. cum hac additione: Et nihilominus volumus, quod Fratres qui de hoc conuicti fuerint, tanquam proprietarij puniantur: in quam pœnam ſimiliter volumus incurrere omnes, qui huiuſmodi depoſita apud ſeculares habuerint in futurum. Idem ſtatutum eſt Toloſæ 1372. Narbonæ 1394. Papiæ 1423. & Bononiæ 1262. vbi additum eſt pro diuturniore pecuniarum in depoſito conſeruatione: Ordinamus vt nulli Fratri licentia concedatur de conſeruanda pro ſe pecunia niſi pro libris, ſeu ſcriptis: neque ſic recepta, & depoſitata poſſit in alios vſus expendi. Item in Capitulo apud Montem Peſulanum 1265. ſtatutum eſt: volumus, & ordinamus, vt Fratres, qui ex Magiſtri Ordinis, vel Prioris Prouincialis licentia pecuniam receperint, teneantur ſuis Prioribus quantum, & a quibus perſonis receperint, quantocyus exponere. Item in Capitulo apud Peſtum 1273. habetur: Volumus, & mandamus, ut nullus Frater habeat veſtes Eccleſiaſticas, vel ornamenta, ſeu paramenta aliqua: nec cruces aureas, vel argenteas, vel cum lapidibus pretioſis: nec anulos; vel lapides pretioſos præter Magiſterij inſigna. Qui autem habuerint, teneantur infra tres menſes de prædictis ſe expedire: quod ſi non fecerint; eos prędictis rebus priuamus, & ſuis Conuentibus eas applicamus. Item in Capitulo apud Toloſam 1258. volumus, & ordinamus, vt Fratres non emant ſibi pannum

pro veſtibus, ſed per manus veſtiarij omnibus ematur: ſive dentur veſtes de commni proviſione, ſive etiam de Prælati licentia dentur alicui pecuniæ, pro veſtibus ſpecialiter.

g Omnia ſibi commiſſa Prioribus ſuis exponant.) Declaramus, quod Fratres, qui habent adminiſtrationem bonorum Conventuum, vt Procuratores, Librarij, Veſtiarij, & Sacriſtæ, debent prædicta cum vtilitate, & non cum detrimento Conventus adminiſtrare: & res ſibi commiſſas, ſolerter, & diligenter ſervare, & neceſſaria vnicuique ſecundùm quod facultas permiſerit diſcretè diſtribuere, & miniſtrare: & fideliter ad bonum commune omnia ſibi commiſſa tractare. Nec debent pro huiuſmodi Officijs mercedem quærere, cùm omnia ſua opera, etiam voluntates ſint in poteſtate Prælatorum: nec poſſunt prædicta vendere, donare, aut quovis modo diſtrahere. Et ſi quis Religioſus habeat ad ſuperfluitatem aliquas res, ex conſenſu, & licentia ſui Prælati, & ſit ſemper paratus totum quod habet reſignare in manibus eius, quamvis talis non poſſit dici proprietarius, eſt tamen peccatum: tum in diſpenſante, tum etiam in diſpenſato. In diſpenſante quidem peccatum eſt infidelitatis: quia abutitur poteſtate ſibi tradita, quæ cùm ſit ei data in ædificationem, ipſe ea vtitur in deſtructionem. In recipiente autem, huiuſmodi diſpenſatio, peccatum eſt ſuperfluitatis: quia illa retinet ad redundantiam, & contra ſtatum paupertatis, & ſine rationabili cauſa. Item Bononiæ ſtatutum fuit 1252. Cùm ſecundùm Conſtitutiones Fratres non debeant eſſe diſpenſatores alienarum pecuniarum, nec executores teſtamentorum: caveant ne hoc faciant ſine licentia ſuorum Superiorum, nec vllo modo huiuſmodi executiones ſupra ſe recipiant, & de prædictis rationem ſuis Prælatis reddant. Item Budæ 1254. ordinatum fuit: vt quicumque Frater, ſiue Prior, ſive alius pecuniam in aliquo caſu diſpenſaverit, ſive illa pecunia ſit Ordinis, ſive extraneorum, teneatur reddere rationem. In Capitulo etiam Pariſienſi 1279. decretum eſt, vt nullus Frater pecuniam mutuò det vel accipiat, ſine ſui Prioris licentia ſpeciali. Priores autem ſeu eorum Vicarij non ſint faciles ad huiuſmodi licentias concedendas, niſi illas petentes prius ſignificent, & declarent eis, quomodo habere poterùnt vnde ſolvant. Ordinatum etiam Valentiæ 1596. &

Ro-

Romæ 1601. ac poſtea Valliſoleti 1605. confirmatum fuit, quod ſi aliqui Fratres reperti fuerint, qui alicui extra Ordinem ſummam pecuniarum per notabile tempus debeant, vel de quibus debitores conquerantur: actiua paſſiuaque voce per ſuperiores priuari debebunt, & nihilominus carceri mancipari iudicio Prælatorum, habita ratione debitorum. In Capitulo etiam apud Inſulas 1293. ſtatutum fuit, vt ille qui debitum contraxiſſet, teneretur in pane & aqua ſingulis diebus quouſque ſatisfaceret creditori ieiunare. Item Cæſarauguſ. 1391. iſtud fuit ordinatum. Volumus, & ordinamus, quòd Priores, vel Vicarij, ſeu ſocij Priorum ad Capitulum Generale, ſeu Prouinciale, quamuis tamquam Procuratores negotia ſuorum Conuentuum, gerere videantur; non poſſint, nec liceat eis ex rebus Conuentus facere donationes, vel alienationes: ſiue in Ordine, ſiue extra Ordinem, ſiue conſenſu maioris partis Conuentus. In Capitulo etiam apud Inſulas 1293. fuit decretum: ne aliquis procurare præſumat, vt alius Frater poſt mortem ſibi in libris, vel alijs rebus ſuccedat: nec huiuſmodi gratiæ à Prælatis Ordinis vllo modo Fratribus concedantur.

h Eorum diſpoſitioni relinquendo.) Declaramus, quod ſicut in Concil. Trident. decretum eſt, nemini Regularium tam virorum, quam mulierum licet bona immobilia, vel mobilia cuiuſcumque qualitatis fuerint etiam quouis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſidere, vel tenere; ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere: etiã ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, vel commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conuentuum, ad ſolos Officiales eorumdem ad nutum ſuperiorum amouibiles pertineat. Mobilium verò vſum ita Superiores permittant, vt eorum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt conueniat: nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam quod ſit neceſſarium eis denegetur. Quod ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua, & paſſiua voce priuatus ſit: atque etiam iuxta ſuæ Regulæ, & Ordinis Conſtitutiones puniatur. Quapropter in Capitulo Romano 1589. admonetur Fratres Ordinis noſtri, qualiter Ge-

Gener. Capitulum celebratum Bononiæ 1564. innixum Decretis Sacri Concilij Tridentini, incorporauit atque applicauit, ſiue potius incorporata declarauit bona immobilia omnia, & quoſcumque annuos reditus, vel prouentus quorumcumque Fratrum, & vndequaque illis aduenientes illis Conuentibus Ordinis noſtri, quibus debentur ſecundum iura, ac noſtras Conſtitutiones. Quod ſi in hoc negotio dubium acciderit, cuinam Conuentui debeant applicari, Magiſter Generalis, vel Superior Prælatus illius Prouinciæ: aut Congregationis, quid in hac re faciendum ſit de maturo conſilio diſcretorum decernat, quam citius. Et inſuper idem Gen. Cap. Romanum præcipit, huiuſmodi bona, atque annuos redditus debere a Conuentuum Procuratoribus, ſeu Syndicis, & non à Fratribus particularibus exigi: Prælati autem pro cuiuſcumque indigentia ac neceſſitate in ipſorum Fratrum Religioſus vſus in toto, vel in parte eoſdem redditus poterunt conuertere. Similiter in eodem Capitulo Romano fuit ſtrictiſſimè præceptum, vt qui apud ſe habent, vel apud quoſcumque quomodolibet retinent, vel quempiam habere, aut retinere ſciunt liuellaria inſtrumenta, ſeu contractus, aut pecuniarum (vt fertur) inueſtituras, ſiue nomine proprio, aut in propria perſona, ſiue nomine alicuius Conuentus quouis modo factas: infra ſpatium viginti quatuor horarum reuelare teneantur, ſiue reſpectiue conſignare, & effectualiter tradere Priori, vel Præſidenti Conuentus. Ipſi verò Priores, vel Præſidentes, teneantur huiuſmodi ſcripturas eis traditas in Archiuio Conuentus fideliter collocare. Quamobrem in Capitulo Bononienſi 1564. omnes generales licentiæ ſuſcipiendi, aut expediendi pecunias, ſiue quæcumque alia abſque proprij Prioris requiſito conſenſu: vel retinendi, aut conſeruandi pecunias extra commune depoſitum, etiamſi à Reuerendiſſimo Generali Magiſtro ſint obtentæ; abrogatæ decernuntur, atque declarantur, neque in poſterum huiuſmodi generales licentiæ abſque rationabili cauſa alicui concedantur. Qui vero à ſuis Conuentibus abſunt, quamprimum ad eos reuerſi fuerint, proprijs Prælatis, dati atque accepti rationem reddere teneantur. Quod in Capitulo Romano 1508. aliàs declaratum fuit videlicet Fratres omnes Ordinis noſtri, ac Moniales, niſi habeant animum in veritate paratum ad ponendum omnia, quæ habent ad pedes ſui Prelati, & ſimiliter omnes

qui mutuant, aut quouis modo dominium, vel vſum pecuniarum, aut rerum pro ſua voluntate tamquam domini illarum rerum transferunt, abſque debita licentia; eſſe in ſtatu damnationis æternæ: & nihilominus contrafacientes priuandos fore per Prælatos rebus ipſis, vel pecunijs, Conuentibus proprijs, iuxta Conſtitutiones applicandis. Et in eodem Capitulo ordinatum fuit, vt in Conventibus vitæ regularis, vbi in communi neceſſaria, & ſanis, & infirmis exibentur, nullus præter Inquiſitores, etiamſi Prior Conuentualis ſit, teneat pecunias: niſi in communi depoſito, atque de ſui Superioris licentia. Nouiſſimè etiam in Capitulo Venetijs 1592. ordinatum fuit, quatenus Frater debeant fideliter ſub pœna proprietarijs debita, Superioribus ſuis ſemper præſentare quamcumque pecuniarum ſummam ad eorum manus vndecumque venientem: ſiue prætextu Prædicationum, Lectionum, Confeſſionum, ſiue miſſarum, ſiue quolibet alio, etiam propriæ perſonæ intuitu, a conſanguineis, vel quibuslibet alijs, quod etiam de qualibet alia re faciendam eſſe, mandat *S. Pater Auguſtinus* in Regula, *ne quis furti iudicio condemnetur.* Eorumdem porrò Superiorum officium erit, ne diſſipatores potius, quam diſpenſatores fideles inueniantur, ita de præfatis bonis pro vniuſcuiuſque ſibi ſubditi neceſſitate miniſtrare; vt alius non egeat, dum alius abundat.

V.

i QVicumque verò Frater pecuniam, vel alia quæcumque receperit, vel habuerit, vel expenderit, vel diſpenſauerit, vel diſpenſari fecerit: *k* reddat ſingulis annis, ſuis maioribus rationem; ſemel, vel pluries ſi fuerit requiſitus. Videlicet Magiſter Ordinis Diffinitoribus Capituli Generalis: Prior Prouincialis Deffinitoribus Capituli Prouincialis, Prior Conuentualis Priori Prouinciali, vel Viſitatori; cæteri Fratres, Priori Conuentuali.

i Quicumque vero Frater pecuniam, vel alia quæcumque, receperit, vel habuerit.) Declaramus quod habere aliquid proprium in particulari, repugnat Religio-

gioni, ſicut ſuperiùs dictum eſt: habere autem aliquid in communi, non minuit perfectionem Religionis, ſicut probatur 1. 2. qu.1. cap. *Illi autem*, vbi Proſper ſic dicit: Satis oſtenditur, & propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis poſſe bona communia poſſideri. In Religione vero Illa, quæ eſt ordinata ad tradendum alijs, contemplata per doctrinam & prædicationem, congruit quam maximè illa paupertas, quæ habet aliquid in communi: moderatè tamen vt poſſit ſufficere ad victum, & veſtitum congruo tempore procurandum, ſicut docet Sanctus Thomas 2. 2. qu.188. art.7. Et hoc neque perfectioni Religionis, neque perfectioni paupertatis derogat. Vndè in Capitulo apud Toloſam 1304. ſic dicitur: Diſtrictè iniungimus Prioribus, & eorum Vicarijs, vt cuilibet Fratri indigenti iuxta eius neceſſitatem provideant: quòd ſi non fecerint, per Provinciales in pœnam a ſuis officijs abſolvantur; & Viſitatores anni illius, quos inuenerint in hoc delinquentes, ſtudeant Prouinciali Capitulo denunciare. Et idem ponitur in Capit. Ianuenſi 1305. ac mandatur præterea Prioribus, eorumque Vicarijs, ut provideant infirmis de ſeruitoribus, & de medicinis, & de alijs neceſſarijs ſecundùm ſuarum infirmitatum exigentiam: & qui inuenti fuerint in hoc negligentes, abſoluantur in pœnam à ſuis officijs, & pro illo anno ſint ineligibiles.

k Reddat ſingulis annis rationem.) Declaramus, quod Inquiſitores hæreticæ pravitatis ſunt ſuis Præſidentibus ſubiecti ſimpliciter: & Priori ſuo Conuentuali, necnon Prioribus Provincialibus; ſingulis annis omnium receptorum, expenſarumque omnium perſonalium, veras & certas ſub præcepto tenentur reddere rationes. Narbonæ 1354. & apud Montem Peſulanum 1294. & Florentiæ 1321. At vero de pertinentibus ad officium Inquiſitionis, ſeruetur Conſtitutio Pauli III. in ijs omnibus, quæ ſancita ſunt. Prior autem Prouincialis tenetur reddere rationem ſuis Diffinitoribus rerum omnium, quæ pertinent nedùm ad officium, ſed etiam ad perſonam. Florentiæ 1321. Additum fuit Romæ 1608. vt Prouinciales DeffinitoribusCapituli Prouincialis reddant rationem, omnium datorum, & acceptorum, ſeu expenſarum, & receptorum in officio: & ea, quæ ſupererunt, vt in communi Provinciæ depoſito reponantur. Et in hunc vſum, &

ad

ad alias pecunias in vnaquaque Prouincia aliquod commune depoſitum, ad neceſſarios ſumptus, & expenſas illius Prouinciæ conſtituatur.

V I.

NVllus Fratrum, etiã Prior, recipiat depoſitum cuiuſcumque, niſi in communi depoſito Conuentus. Contrarium autem faciens, incurrat pœnam grauioris culpæ. *l* Item Nouitij intra tempus probationis, Pſalmodiæ, & Officio Diuino ſtudeant diligenter. Item infra annum ad longinquas partes, niſi ob cauſam neceſſariam Nouitij non mittantur, nec in aliquo officio occupentur: nec veſtes eorum ante profeſſionem alienentur, nec ipſi ante profeſſionem ordinentur.

V I I.

ITem Nouitij non interſint Capitulo, nec in Dormitorio cum alijs Fratribus iaceant, vbi hoc commodè poterit obſeruari: ſed Magiſter eorum extra Capitulum culpas eorum audiat, & ipſos diligenter quantum poteſt in moribus inſtruat; & charitatiuè corripiat.

l Nouitij intra tempus probationis.) Declaramus, quod intra hoc tempus probationis libera eſt Religio in expellendo Novitio ex Ordine noſtro: & ipſe quoque liber eſt in deſerendo eundem Ordinem. Completo autem anno probationis, ſi nulla ei facta ſit proteſtatio, nec ipſe egredi ex Religione, nec Religio eum expellere poteſt. Denunciamus, quod poſt fel. record. Sixti V. de domibus Novitiorum, deque eorum ſeparata educatione, in Capitulo Romano 1589. acceptatam Conſtitutionem: Clemens VIII. hæc obſeruanda circa loci qualitatem ſtatuit. Locus huiuſmodi, propria clauſura ab ea parte Conuentus, in qua degunt profeſſi, ſegregatus ſit: habeatq; tot cellas, quot erunt numero Nouitij; vel dormitorium ita capax, vt pro ſingulis, ſinguli lectuli commodè ſterni poſſint: in quo etiam ſi certus locus pro Magiſtro, & eius Socio.

cio. In eo etiam præter alias communes commoditates, aptus locus adſit ad ſpirituales collationes faciendas, ac lectiones, inſtructiones Magiſtri audiendas: & in quem hyemis tempore ad calefaciendum ſe igne communi ſe recipiant. Oratorium inſuper ſiue Capella, ſi commodè fieri poterit, adſit, ad Novitios in ſpiritualibus cæremonijs, & Eccleſiaſticis functionibus exercendos. Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem benè concluſus illis aſſignetur: ſin minus hortum cæteris Fratribus communem ingrediantur. Quibus in eum commeantibus, nullus alius illuc ingrediatur. Ad huiuſmodi Novitiorum domum, nemini Regularium etiam Conventus Officiali, vllo vnquam tempore ſub quovis prætextu aditus pateat: niſi Magiſtro, & Socio, ac etiam Conventus Superiori; quando ſibi neceſſarium putaverit: quo caſu aliquem ex ſenioribus Socium aſſumat. Huius loci clauſuræ clavis, apud Magiſtrum ſemper aſſervetur: illique ſoli liceat alicui ingreſſum permittere. Et ſi quis quempiam Novitiorum alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter loquatur. *Et infra*: Curam diligentem adhibeant Magiſtri Novitiorum, vt ipſi in Regulari diſciplina exerceantur: agnoſcant Diuinę vocationis qua digni facti ſunt præſtantiam, quæ vera ſit votorum ſolemnium, & ſuarum Conſtitutionum obſervantia. Addiſcant modum in oratione tum vocali, tum mentali perſiſtendi, illicitas paſſiones per ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem compeſcendi: auſteritates, ieiunia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem; Sacramentorum, præcipuè confeſſionis frequentiam, exercitium humilitatis circa opera vilia, modeſtiam in omnibus actionibus, & diuturnum ſilentium.

Declaramus inſuper reſiduum huius Capitis infra ponendum, ſub Reverendiſſimo Magiſtro Thoma Caietan. Ianuæ 1513. fuiſſe inchoatum: Neap. 1515. probatum; & tandem Romæ 1518. ſub Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis Garſia fuiſſe confirmatum, atque in Conſtitutionem redactum.

VIII.

Mandamus vniuerſis Fratribus, quatenus Nouitios volentes redire ad ſeculum, liberè permittant ire: *m* redditis ſibi omnibus, quæ ſecum detulerant. Nec ſint eis

mo-

moleſti propter hoc: exemplo illius, qui diſcipulis aliquibus recedentibus, alijs remanentibus dixit: Nunquid & vos vultis abire.

Item nullus recipiatur ad profeſſionem vt Clericus; niſi ſciat plenè & expeditè dicere & legere Diuinum Officium, Nocturnum pariter & Diurnum ſolus: *n* & ſciat, vel ſit *habilis* in proxima diſpoſitione, vt ſciat Grammaticam. Et per duos menſes ante finem probationis. Examinatores teneantur eum examinare de his & referre Priori & Capitulo: & ſi inuentus fuerit multum deficiens in prædictis; vocetur in Capitulum Nouitius, & ibidem ei aſſignentur certum tempus prolixius probationis. Vel declaretur ei, quòd nunquam veniet probationis terminus, niſi poſtquam iterum in Capitulum vocato, & pro ſufficienti approbato, octo adhuc dies ad minus relinquantur.

m Redditis ſibi omnibus.) Declaramus, & denunciamus, in Concilio Trident. ſeſſ. 25. tit. *de Regularibus* cap. 16. decretum eſſe, quòd abeuntibus ante profeſſionem Nouitijs, non ſolùm omnia, quæ ſua erant, reſtituantur; verùm etiam quod nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuſcumque piæ cauſæ valeat: niſi cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, & non alias effectum intelligatur ſuum ſortiri, niſi ſequuta profeſſione. Aliter vero facta, etiamſi cum huius favoris expreſſa renunciatione, etiam iurata; ſic irrita, & nullius effectus. Et propterea in Capitulo Bononienſis 1564. ſtatutum fuit, vt in recipiendorum, ſive Novitiorum donationibus, ſive renunciationibus omnia iſta ſollicitè ſerventur; & ad quoſcumque huius generis contractus faciendos, Ordinarij primum licentia requiratur, & ſolùm intra duos menſes ante profeſſionem fiant. Et ante profeſſionem nullum ius acquiſitum intelligatur, prætextu cuiuſvis donationis, aut renunciationis: cum præcepto ſub pœna ana-

thematis ne quidpiam etiam ſpontè oblatum à Parentibus, vel Curatoribus Novitiorum; præter eorum victum, & veſtitum Fratres noſtri recipiant. Quod ſi ætatis provectæ Novitij ad Monaſterium aliqua detulerint, præcipimus noſtrorum Conventuum Prælatis, vt ea omnia in communi depoſito ſervanda reponant: & in libro ad hoc deputato conſcribi faciant; addita ſubſcriptione ipſius Novitij, & aliorum duorum Fratrum. Neque etiam de eius licentia ante profeſſionem expendi poſſint, aut alienari.

n Et ſciat, vel ſit habilis in proxima diſpoſitione, vt ſciat Grammaticam.) Declaramus, poſt hanc editam Conſtitutionem, Apoſtolica authoritate mandatum fuiſſe: Clericum ad habitum, ac profeſſionem recipiendum, debere eſſe in Grammatica ſufficienter eruditum, vt ſuperius in capit. *de Recipiendis* relatum eſt.

I X.

VLtrà hoc autem, ne puerili recepti ad habitum inueniant ſe potius natos ſub iugo Religionis, quàm illud elegiſſe, euitenturque inconuenientia multa: ſtatuimus, vt ei, cui ante quintumdecimum annum Religionis habitus datus eſt, nunquam elabatur annus probationis: (quantocumque decurrente temporis ſpatio) niſi vocatus *o* poſt annum decimumſextum expletum, à Prælato in Capitulo coram Conuentu, terminus ad minus trium menſium acceperit ad deliberandum an profiteri velit: ita quòd annus probationis cum taxato illo termino terminetur; ac per hoc ex tunc incurratur profeſſio tacita.

X:

ET vt hoc inuiolabiliter obſeruetur, præſenti ſtatuto, cuilibet ante decimumquintum annum (pro tempore) recepto ad habitum aſſignamus annum probationis modo dicto. Mandamus au-

autem ſub pœna abſolutionis ab officio, & grauioris culpæ Prælato: vt quando vocatus fuerit Nouitius ad terminum profeſſionis ſuſcipiendum, expreſſe proteſtetur eidem, quod profeſſio ſua eundem obligabit ad tria vota; paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ: ſecundùm Regulam Beati Auguſtini, & Inſtitutiones *Fratrum* Ordinis Prædicatorum; & non ſecundùm quod hodie hic, vel ibi ſeruatur. Et quod ſtatim elapſo termino ſibi taxato, (niſi contradictum ab ipſo, vel à Religione fuerit) incurret profeſſionem, etiam ſi aliter non profiteatur.

X I.

NOuitios quoque recedentes ſine licentia cum habitu à Conuentu, niſi infra octo dies ad eundem redierint, pro refutatis ab Ordine habemus: & ſi ad alium Conuentum declinauerint, & fuerint in illo acceptati pro Nouitijs; volumus annum probationis inchoari ab illo die, quo in ipſo alio Conuentu fuerint acceptati. Quod ſi nullibi acceptati pro Nouitijs fuerint, poſt exitum ſine licentia: pro refutatis, & non Nouitijs tales haberi volumus; quanto tempore ſit permanſerint.

o Poſt annum decimumſextum.) Declaramus in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. tit. *de Regul.* cap. 15. ſic haberi: *In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum, profeſſio non fiat ante decimumſextum annum expletum: nec qui minori tempore, quam per annum continuum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem antea facta ſit nulla: nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcumque effectus.* Quamobrem Bononiæ 1564. Fratribus denunciatum fuit, profeſſionem ante annum decimumſextum expletum, deinceps fieri non poſſe, & ſi ſecus

 fiat,

fiat: irritam eſſe. Et Conuentuum Præſidentibus mandatum fuit, quantùm fieri poteſt, ne ad habitum recipiant pueros ante decimumquintum annum inchoatum. Et cuicumque Novitio, cùm recipitur ad habitum, explicetur coram omnibus, profeſſionem nonniſi prædicto tempore eſſe faciendam. Quod ſi pueri ante decimumquartum annum expletum fuerint aliquando recepti, adhuc noſtra Conſtitutio obſervetur: vt vltrà decimumſextum annum tres alij menſes ſuperaddantur, quibus de aſſumendo ſtatu Religionis, commodius poſſint deliberare. Denunciamus autem ſanctæ mem. Pium Papam V. declaraſſe, profeſſionem alicuius ad profitendum inepti, ad ſextum tantummodo menſem poſſe differri: ſi tamen ſpes aliqua haberi poſſit, quod talis infra illud tempus ſex menſium, habilem ſe reddat ad profitendum. Quo tempore elapſo, ſi eum inhabilem Prælatl repererint, ex Monaſterio eijciant: iuxta Decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 16.

Denunciamus etiam in Capitulo Romæ 1558. pro recipiendis ad profeſſionem ordinatum fuiſſe: quod inſtante profeſſione cuiuſcumque Novitij, aliquot ante diebus Priot coram tribus (ad minus) proteſtetur eidem, quod liber eſt, & liberè dicat; an timore, coactione, aut violentia parentum, aut conſanguineorum, ingreſſus eſt Ordinem: & ſi voluntariè in eo perſeverat, & vult profiteri. Et de his omnibus, & eius confeſſione fiat annotatio vel in libro conſiliorum, vel alio ad hæc ordinato: cui annotationi tam Nouitius, quam dicti Patres ſubſcribant. Et hoc ad tollenda ſubterfugia: ne aliqui cupientes ſe ab Ordinis diſciplina ſubducere, prætextu, quodvi, vel metu fecerunt profeſſionem, ſe non teneri ad Religionem præſumant. Propter eandem cauſam ſub pœna abſolutionis ab officijs omnibus Prælatis præcipimus: vt interrogatoria de impedimentis in cap. ſuperiori expreſſis circa recipiendos ad habitum, & profeſſionem, eodem modo faciant: & in eodem libro, reſponſiones recipiendorum ad profeſſionem ſcribant: quę a teſtibus ſubſcribatur, cum proteſtatione iuridica de nullitate profeſſionis, quotieſcumque aliquid in poſterum compertum fuerit in contrarium.

CAP-

CAP. XV.

De Profeſſione,

I.

a MOdus faciendi profeſſionem talis eſt. *b* Ego Frater N. facio profeſſionem: *c* & promitto obedientiam Deo, *d* & Beatæ Mariæ, *e* & B. Dominico: *f* & tibi N. Magiſtro Ordinis Fratrum Prædicatorum, & ſucceſſoribus tuis: *g* ſecundùm Regulam B. Auguſtini, *h* & Inſtitutiones *i* Fratrum Prædicatorum; *k* quod ero obediens tibi, tuiſque ſucceſſoribus vſque ad mortem. Cùm autem ſit alij Priori cuicumque, ſic facienda eſt. Ego N. facio profeſſionem: & promitto obedientiã Deo, & Beatæ Mariæ, & Beato Dominico, & tibi noſtro Priori talis loci, vice N. Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum, & ſucceſſorum eius: ſecundùm Regulam Beati Auguſtini, & Inſtitutiones Fratrum Prædicatorum; quod ero obediens tibi, tuiſque ſucceſſoribus vſque ad mortem.

a Modus faciendi profeſſionem.) Declaramus, quod profeſſio eſt votum ſolemne, quod facit aliquem eſſe Religioſum, & ponit eum in ſtatu perfectionis: ad quem adipiſcendum, requiritur quædam obligatio abſolute facta ad modum homagij: ſicut & in cæteris, quæ inter homines obtinent perpetuam firmitatem, quædam ſolemnitas adhibetur. Et dicitur proprie aliquis eſſe in ſtatu perfectionis, non ex hoc, quod habet actum dilectionis perfectæ, ſed ex hoc, quod obliget ſe perpetuo cum aliqua ſolemnitate ad ea, quæ ſunt perfectionis: & iſto modo ſunt in ſtatu perfectionis Epiſcopi, & Religioſi, quia ad ea, quæ pertinent ad perfectionem, ſunt obligati perpetuo, & cum ſolemnitate conſecrationis, & profeſſionis. Aſſumunt autem homines ſtatum perfectionis, non quaſi profitentes ſe eſſe perfectos: ſed quaſi profitentes ſe ad perfectionem tendere. Vnde Religioſi non committunt mendacium, vel ſimulationem, ſi ſtatum perfe-

ctionis per profeſſionem aſſumentes, non ſint perfecti: mentirentur autem ſi ab intentione perfectionis animum revocarent. Quamdiu enim manet intentio tendendi ad perfectionem, etiam verè dici poteſt eſſe in ſtatu perfectionis, quamvis non ſit perfectus. Talis autem profeſſio, quæ facit aliquem eſſe Religioſum, ſubditur ordinationi Eccleſiæ, propter ſolemnitatem, quam habet annexam. Et quamvis per iura antiquiora, ad profeſſionem faciendam tempus pubertatis ſtatutum fuerit 2. 2. qu.1. cap.1. tamen poſt Sacrum Concilium Tridentinum fieri non poteſt, niſi anno decimoſexto expleto. Nec oportet, quod addatur vna dies; quia hoc nuſquam legitur. Quare probationis annus debet incipere à decimoquinto expleto. Si quis autem aliquem receperit infra annum probationis ad profeſſionem, præterquam quod profeſſio eſt nulla, vt ſupra dictum eſt, ipſe recipiens peccat mortaliter; & ſuſpenſus eſt à receptione cuiuſcumque alterius, & puniri debet pœna gravioris culpæ. Quamobrem apud Carcaſſonam 1312. ſtatutum fuit: quod ſi fortè aliqui de cætero aliquem infra ætatem à Conſtitutionibus, & à iure taxatam receperint, aut tali receptioni conſenſerint cum effectu; ſint ipſo facto voce privati in receptione Novitiorum: quouſque per Magiſtrum Ordinis, vel Priorem ſuum Provincialem, vel Diffinitores Capituli Provincialis fuerint reſtituti. Ille autem, qui ſic receptus eſt, neque illi, neque alteri Religioni per talem profeſſionem manet obligatus; vt Tridentinum Concilium loco ſuperiùs citato diſpoſuit.

b Ego frater N. facio profeſſionem.) Declaramus, quod quando quis profitetur, nomen profitentis, & eius cui profitetur: & dies menſis, & annus debent in aliquo libro ſpeciali conſcribi. Pariſijs 1246. Et Clemens VIII. authoritate Apoſtolica ita conſtituit: vt Superior cuiuſcumque Conventus, in quo novitiatus fuerit inſtitutus, librum habeat: in quo uniuſcuiuſque Novitij profeſſio regiſtretur, illamque Novitius profeſſus manu propria, ac duo teſtes qui præſentes fuerint ſubſcribant. Converſus vero litterarum ignarus, propria manu ſignum Crucis apponat. Et hic liber cum alijs Monaſterij ſcripturis aſſervetur. Idem etiam in Novitiorum profeſſione ſervandum eſſe cenſuit, Sacra Regularium Congregatio: addendo præterea; debere profitentem ſua manu in eo

libro

libro ætatem ſuam ſcribere, & ſponte ſe eſſe profeſſum. Quod ſane antea in Capitulo Romano 1558. ordinatum fuit.

Item declaramus, quod Novitij recepti in aliquo Conventu, non debent pro alienis Conventibus ad profeſſionem recipi: niſi de voluntate illorum Conventuum pro quibus ad Ordinem ſunt recepti. Maſſiliæ 1300. Item Argentinæ 1358. fuit declaratum, quod Novitij ad illos Conventus pertinent, pro quibus ſunt recepti. Si tamen ad aliquem alium Conventum mitterentur, poſſunt de licentia Superioris pro illo Conventu profiteri accedente conſenſu Prioris, & maioris partis Vocalium vtriuſque Conventus. Nec Priores Provinciales poſſunt aliquem Fratrem profeſſum determinare, pertinere ad alium Conventum: quam ad illum pro quo eſt ad profeſſionem receptus, niſi per ſimplicem aſſignationem in noſtro Ordine conſuetam.

Item declaramus, quod duplex eſt profeſſio; videlicet expreſſa, quæ fit verbis ad modum homagij cum quadam ſolemnitate, de qua ſuperiùs dictum eſt, alia vero eſt profeſſio tacita, quæ fit in Ordine noſtro, quando quis poſt annum quintumdecimum completum, portaverit habitum Novitiorum per vnum annum integrum, & continuum. Et hoc idem evenit in quacumque Religione, vbi non eſt diſtinctus habitus Novitiorum ab habitu profeſſorum, diſtinctione patenti: videlicet in ſciſſura, vel colore; quamvis eſſet diſtinctus diſtinctione occulta, & talis profeſſio tacita obligat profitentem illi Religioni in ſpecie & determinate, cuius habitum per annum continuum nulla facta proteſtatione portavit: ſicuti habetur in Clement. *Eos de Regular.*

c Et promitto obedientiam Deo.) Declaramus; quod inter tria vota principalius & eſſentialius Religionis eſt obedientia: tum quia per eam maius bonum Deo offertur, quam per alia, (offertur enim per obedientiam Deo propria voluntas, & bona animæ: quæ præferuntur bonis corporalibus, & exterioribus quæ per alia vota Deo offeruntur) tum ſecundo, quia votum obedientiæ continet in ſe alia vota & non è converſo, (qui enim permittit obedientiam, promittit caſte, & ſine proprio viuere) tum tertio, quia votum obedientiæ proprie ſe extendit ad actus proprios propinquos fini Religionis, qui eſt perfectio charitatis & di-

dilectionis Dei. Quanto autem aliquid eſt propinquius fini, tanto melius eſt, & propterea in profeſſione noſtra exprimimus ſolum votum obedientiæ, ſub quo continetur obſervatio caſtitatis, & voluntariæ paupertatis, & præceptorum, quæ in Regula, & Conſtitutionibus continentur vel quæ à Prælato fiunt: & promiſſio deferendi habitum patenter, dum in publicum proceditur.

Item declaramus, quod profeſſio expreſſa per quam aliquis perfecte, & propriè Religioſus efficitur, in diverſis Religionibus diverſis modis exprimitur: & ſecundum hoc arctius, vel levius profitentes obligantur. Nam in aliqua Religione, promittit profitens in ſua profeſſione ſe ſervare Regulam, vt in Ordine Minorum. In alia vero Religione cautius profitetur, quia promittit profitens viuere ſecundùm Regulam: quod intelligitur iuxta S. Thom. 2. 2. qu. 86. ar. 9. ad 4. & quodlibet 1. qu. 9. ar. 4. quod intendat profitens ad hoc, quod mores ſuos informet ſecundùm quoddam exemplar; & hoc tollitur per contemptum. In alia autem Religione adhuc cautius quis profitetur: quia promittit profitens obedire ſecundum Regulam, ita quod profeſſioni non contrariatur, niſi id quod eſt contra præceptum Regulæ. In alijs autem quæ non habent præceptum annexum, transgreſſio, vel omiſſio obligat ſolum ad veniale. In Religione tamen Fratrum Prædicatorum, talis tranſgreſſio, vel omiſſio, ex ſuo genere non obligat ad aliquam culpam, ſed ad pœnam: quia per hunc modum ad talia obſervanda obligantur ex ſua profeſſione. Qui tamen poſſent peccare venialiter, ſi ex negligentia vel libidine: vel etiam mortaliter, ſi ex contemptu illa tranſgrederetur.

Item declaramus, quod profeſſio expreſſa cum mala intentione, vel cum expreſſione alicuius illiciti facta, aliquando tenet, & aliquando non. Si enim profitendo quis intendit eſſe Religioſus, & ſe obligare ad vota Religionis: ſed cum hoc intendit caſtitatem, paupertatem & obedientiam non ſeruare: immò intendit oppoſitum, vel ideò profitetur, & intendit eſſe Religioſus, vt poſſit fieri Epiſcopus, vel vt aliquod malum poſſit agere; talis profeſſio tenet, quia ex quo intendit eſſe Religioſus, & ſe obligare ad vota, licet intendat non ſolvere quod promittit, tamen conſentit promittendo. Solùm autem obligatio ad vota, non autem impletio votorum, eſt de eſſentia

Re-

Religionis. Si verò non ſolum non intendit caſtè, & ſine proprio, & ſub obedientia viuere, ſed nec etiam intendit ſe ad prædicta obligare: tunc non eſſet profeſſus; quia hæc intentio repugnat eſſentiæ Religionis. Similiter ſi profitendo exprimat aliquid Religioni repugnans, puta ſi dicat; non pretendo ſervare caſtitatem promiſſam, quantumcumque illam promittam, non tenet profeſſio: hæc enim expreſſa nocent, non expreſſa non nocent. Sicut enim in matrimonio carnali, Eccleſia iudicat ſecundum actus exteriores, & non ſecundùm actus interiores, qui ſibi non poſſunt innoteſcere: & ob hoc quantumcumque non intendat quis contrahere matrimonium, ſi tamen exprimat verba contractus matrimonij quæ indicant conſenſum, iudicabit Eccleſia illud eſſe matrimonium, & coget cum illa habitare, ita & in profeſſione, quantumcumque quis non intendat ſe obligare ad vota Religionis, ex quo tamen ſponte profitetur, & non proteſtatur aliquod in contrarium; Eccleſia coget illum ſervare profeſſionem, quia præſumitur ſolemniter vouiſſe. Vnde ſicut excommunicat eum, qui eſt tacite profeſſus, ad hoc vt remaneat in Clauſtro, ita & hunc excommunicabit; vt ſervet, quod per poſſeſſionem promiſit. Si vero in ipſa profeſſione exprimeret aliquid contrarium, vt puta, quod non intendit ſe obligare ad caſtitatem, & ad alia vota, vel quod non intendit ſeruare caſtitatem quam promittit: tunc profeſſio non teneret, & Eccleſia talem profeſſionem non valere iudicaret. Si vero in ipſa profeſſione exprimatur conditio contra particularem auſteritatem, vt quod liceat ei comedere carnes, vel vti lineis; ſi ſcit hæc contineri in Regula vel in Conſtitutionibus quas profitetur, tenetur illa ſervare.

d Et Beatæ Mariæ.) Declaramus, quod Ordo Prædicatorum inter alios profitetur Beatæ Virgini Mariæ: quia multoties, ac multipliciter compertum eſt, quod ipſa ſpecialiter Ordinem noſtrum protegit & defendit. Ipſa enim impetravit à filio ſuo irato contra mundum, vt Ordinem noſtrum inſtitueret: qui homines à peccatis & ab erroribus ſuis revocaret; & ad Dei cognitionem, & dilectionem reduceret. Ipſa etiam Beatum Reginaldum corporaliter viſitans, ad ingreſſum Ordinis monuit, & induxit, & habitum, quem nunc deferimus induendum oſtendit dicens; ***En iſte habitus Ordinis tui***: ipſumque ha-

habitum B. Reginaldus à B. Dominico Patre noſtro primus tam feliciter, quam perſeveranter accepit, & ex nunc tam Beatus Pater Dominicus, quam cæteri Fratres, illo habitu à Beatiſſima Virgine cælitus oſtenſo, videlicet tunica, & ſcapulari albo & cappa nigra vſi ſunt. Eſt etiam Regina cœli Beatiſſima Virgo ſingularis noſtri Ordinis advocata, & pijſſima parens, & patrona: ſemper pro nobis apud Deum exoratrix, quæ ipſum pluries à diverſis tribulationibus, & anguſtijs protexit & liberavit; ſicut patet in libro de Vitis Fratrum.

e Et Beato Dominico.) Declaramus, quod ideò profitemur Beato Dominico Patri noſtro, quia ipſe fuit primus Magiſter, inſtitutor, ac Fundator Ordinis Prædicatorum: quem Beatiſſima Virgo tamquam fidelem, & ducem ſtrenuum ad impugnandos errores, & vitia extirpanda, filio ſuo præſentavit: quem Apoſtoli Petrus, & Paulus ad Prædicationis officium à Domino Deo eſſe prædeſtinatum, ſignis evidentiſſimis, oſtenderunt. Cum enim ipſe in Eccleſia Sancti Petri Romæ attentius oraret, apparuerunt ei prædicti Apoſtoli: & Paulus dedit ei librum, Petrus vero baculum, addentes: *Vade & prædica, quia à Domino ad iſtud officium electus es.* Quem etiam glorioſi Confeſſores Auguſtinus, & Benedictus, regularibus diſciplinis inſtruxerunt, & ad prædicationis officium magis idoneum reddiderunt. Sicut enim fuit Canonicus profeſſione, ita fuit & monachus converſatione: in ieiunijs, abſtinentijs, in veſtitu, in diſciplina ſilentij, atque in cæteris obſervantijs contentis in Regula Beati Benedicti; quas ferè omnes, & alias etiam ſpeciales obſervavit, & Filijs ſuis cum Regula Beati Auguſtini in ſuis Conſtitutionibus obſervandas tradidit. Fuit etiam Apoſtolicus officio prædicationis: quem Innocentius III. Divina revelatione edoctus, quod ipſe, & fratres ſui illuminare debebant, ac defendere Eccleſiam, in ſancto propoſito de Ordine ad prædicationis officium inſtituendo, confirmavit, eique locum ſancti Xiſti in Vrbe tradidit, ac piam eius intentionem de zelo ſalutis animarum laudavit, commendavit, & approbavit. Quem etiam Honorius III. Innocentii ſucceſſor benignè ſuſcepit, & Ordinem ſuum liberaliter confirmavit: & facultatem libertatemque prædicandi, & confeſſiones audiendi, dato Apoſtolico Diplomate, ſibi & Fratribus ſuis authori-

ritate Apoſtolica conceſſit; ac ſingulos labores, quos in diſcurrendo ad prædicandum ſubirent, eis in remiſſionem omnium ſuorum peccatorum iniunxit. Quem etiam venerabilis Abbas Ioachim Florenſis Ordinis inſtitutor. (Qui B. Dominicum multo tempore præceſſit) in habitu, quem non primo Canonicus tulit, ſed quem à Beatiſſima Virgine Fratrem Reginaldum inungente recepit, Fratribus ſuis oſtendit: & in Florenſi Monaſterio ſui Ordinis in Calabria in tali habitu depinxit, dicens eis; *Cito ſurrecturus eſt in Eccleſia Dei Ordo nouus docentium, & prędicantium cum tali habitu, cui praeerit vnus maior: & cum eo; àc ſub eo erunt duodecim Ordinem prædictum regentes. Quia ſicut Patriarcha Iacob cum duodecim filijs ingreſſus eſt Ægiptum, ſic & ipſe cum illis duodecim ingredietur, & illuminabit vniuerſum mundum. Cum igitur Fratres prædicti Ordinis ad vos venerint, cum omni honore, ac reuerentia illos recipite.* Quod vt filij obedientes fecerunt: nam quando primo Fratres Ordinis noſtri ad illos venerunt, cognoſcentes ex habitu eos eſſe, quos Pater eorum prædixerat; exierunt eis obviam cum crucibus, & canticis ſpiritualibus, & omnibus locis ſuis, ſicut Fratres proprios benigniſſimè receperunt, atque humaniſſimè pertractaverunt.

At vero Pater iſte Sanctus Dominicus fuit Iacob prædicando, & Iſrael contemplando: vt nec Lia actionis, neque Rachel contemplationis in hac vita ſibi defuerint. Multiplicavit autem Dominus meritis Beati Dominici Patris noſtri Ordinem noſtrum, & dedit ei viros excelſos in verbo gloriæ: quorum alij fuerunt Doctores illuſtres; qui profunda fluviorum, & abdita diuerſarum ſcientiarum ſcrutantes, obſcura produxerunt in lucem, & diverſos libros, & commentarios ad corroborationem fidei, & ædificationem Eccleſiæ, & ad Sacræ Scripturæ explanationem, diverſis locis, & temporibus ediderunt. Alij verò fuerunt inſignes Summi Pontifices, Cardinales, & Epiſcopi. Alij fortes ſumma conſtantia vſque ad ſanguinem pro fide decertantes, & pro ea ſtrenuè martyrium ſuſtinentes. Alij Prædicatores celebres, qui ad iuſtitiam erudientes multos, illuxerunt in firmamento Eccleſiæ, & diverſas mundi partes verbis atque exemplis illuſtraverunt. Diſpergente namque Beato Dominico Patre Noſtro fratres ſuos tanquã quoſdam radios, immò tamquam quædam luminaria: vbique terrarum cœperunt homi-

mines ſubmittere corda, & corpora ſuaviſſimo iugo Chriſti, indueruntque habitum Ordinis noſtri Prælati, Decani, Præpoſiti, Archidiaconi, Abbates, Priores Monachi, Canonici regulares, diverſorumque facultatum Doctores; & alij viri illuſtres ac Principes, vita & ſcientia eminentes: qui veluti filij Iſrael germinantes creverunt, & multiplicati ſunt ac roborati nimis, & intra breve temporis ſpatium per totum mundum diffuſi Provincias omnes citra, & vltrà mare fratribus Ordinis impleverunt, ac Vrbes, Civitates, Oppida, Eccleſijs, Collegijs, & Conventibus ornauerunt. Hunc etiam Sanctiſſimum virum Gregorius IX. Sanctorum catalogo adſcripſit qui teſtimonium de eius ſanctitate perhibens, coram Cardinalium Collegio dixiſſe fertur: *Tantum de huius viri ſanctitate dubito, quantum de ſanctitate Apoſtolorum Petri, & Pauli.* Ideo in litteris Canonizationis illius ſic dicit: *Ætate creſcente creuit & gratia in hoc Sanctiſſimo viro Dominico; quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum, ad Dei eloquia dedit animam; & per Euangelium Chriſti multos generans, in conuerſatione tam ſtrenuæ multitudinis, Euangelicæ dignitatis officium, & Prædicatoris nomen, & opus in terra meruit habere maiorum; Paſtor & Dux in populo Dei factus, nouum Prædicatorum Ordinem inſtituit, meritis & exemplis ornauit, nec confirmare deſijt miraculis euidentibus & approbatis.* Hæc ille.

f Et tibi N. Magiſtro Ordinis.) Declaramus, quod vt habetur in Capitulo apud Caſtras 1352. quod in ipſa profeſſionis forma, quæ noſtris Conſtitutionibus eſt inſerta, ſi tempore quo quis profitetur, Ordo Magiſtrum habuerit, tunc nomen proprium Magiſtri exprimatur in ipſa forma profeſſionis. Si verò illo tempore Ordo Magiſtrum non habuerit, talis profitens obedientiam Præſidenti promittat vice Magiſtri Ordinis: abſque expreſſione nominis cuiuſcumque, videlicet dicendo; Et tibi N. Priori talis Conuentus, vice Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum: Item declaramus, quod ideò ſoli Magiſtro Ordinis, vel alteri nomine eius fit profeſſio, & promittitur obedientia; vt vnitas Ordinis, & profeſſionis ſeruetur, quæ ab vnitate vnius capitis, cui omnes tenemur obedire dependet: qui eſt proprius & immediatus Prælatus omnium Fratrum, & Conventuum totius Ordinis. Et poteſt

poteſt omnes Prælatos, & Officiales eiuſdem Ordinis inſtituere, & deſtituere: & eorum officia, & authoritates limitare. Qui ſtatim poſtquam eſt electus, curam omnium animarum Fratrum ipſius Ordinis plenè habet, & libere gerit, ipſoſque Fratres authoritate propria ligare poteſt, & abſolvere: ijdemque Fratres ſibi tenentur devotè, & humiliter obedire, ſicut patet in privilegio, quod dicitur *Mare magnum* Alexandri IV. Clementis IV. Bonifacij VIII. Benedicti XI. Gregorij XV. Martini V. Eugenij IV. & Sixti IV. vbi omnia prædicta expreſſe continentur.

g Secundum Regulam Beati Auguſtini.) Declaramus, quòd inter multas & varias Regulas, ſub quibus diverſi Religioſi militant Deo in Eccleſia occidentali: Regula Beati Auguſtini multum videtur excellere. Primò, ratione ſui exemplaris vnde fuit aſſumpta, quæ fuit Regula Apoſtolica. Vnde Eccleſia de ipſo cantat: *Cœpit viuere ſecundum Regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam*. Et ipſe in quodam ſermone dicit: *Apoſtolica vita optamus vivere*. Secundo, ratione antiquitatis, quia non ſolum modernas Regulas, ſed etiam multo tempore Regulam Beati Benedicti præceſſit. Nam Sanctus Auguſtinus obijt anno Domini 425, Beatus Benedictus obijt anno Domini 509. & ſic patet, quòd Beatus Auguſtinus præceſſit Beatum Benedictum annis 84. Tertio, ratione conditionis ſui Authoris: qui fuit authoritate Epiſcopus, vita ſanctiſſimus, ſcientia doctiſſimus. Quarto ratione moderationis, & diſcretionis. Nam Sanctus Auguſtinus in ſua Regula ſic ſervat mediocritatem, quod nec multitudine, nec paucitate, nec obſcuritate, nec gravitate mandatorum cadit in extremum. Quinto, apparet laus Regulæ iſtius a materia eius; quia maxime verſatur circa ſpirituales actiones: ſicut eſt dilectio Dei & proximi, vnitas cordium, conformitas morum, caſtitas corporum, communitas rerum, ſtudium Scripturarum, correctio vitiorum, obedientia Prælatorum, & ſimilia, vt patet per totam Regulam. Sexto, ratione authoritatis, & antiquitatis, & multitudinis Ordinum, & locorum, in quibus prædicta Regula obſervatur. Sub hac enim Regula Sancti Auguſtini militant Deo, Eccleſiæ Cathedrales, Religioneſque diverſæ. Nam præter illas, quæ communiter Canonicorum appellantur, ſub ea militant quamplurimi Sacri Ordines

dines

dines tam Regulares, quam Militares ab Eccleſia approbati.

b Et inſtitutiones Fratrum Prædicatorum.) Declaramus, quod Conſtitutiones noſtræ continent ſtatuta diſcreta, & valde conformia fini Religionis, quæ quidem tenentur Fratres ſervare eo modo, quo in eis continentur: hoc eſt præcepta, & ſtatuta ſimplicia, vt ſtatuta; dato quod Prælatus ſuus non mandet, nec dicat eis, quod ea ſervent, quia quilibet tenetur ſervare ea, quæ pertinent ad ſtatum ſuum. Et licet in profeſſione non permittant principaliter ſervare Conſtitutiones, ſed tantùm obedire ſecundum eas, tamen eo ipſo; quod aliquis profitetur Ordinem Fratrum Prædicatorum, promittit ex conſequenti, & implicitè ſervare ſpectantia ad ipſum Ordinem; licet in tali profeſſione hoc non promittat expreſſe. Nam ex ſua profeſſione, vt dicit Sanctus Thomas, tenetur quilibet Frater Ordinis noſtri principaliter, directe, & abſolute ſervare ſubſtantialia Religionis, & præcepta in Regula, vel Conſtitutionibus poſita, aut a Prælato facta: ad obſervandum vero alia ſtatuta non obligatur ex ſua profeſſione abſolute, ſed ſub tali conditione, quod ſi omitteret, vel tranſgrederetur illa, non incurreret culpam, ſed tantùm pœnam. Et ideo tranſgreſſio illorum, quæ in ſua profeſſione Religioſus abſolute vovit, & promiſit, obligat eum ad peccatum mortale. Tranſgreſſio verò illorum ſtatutorum, quæ non abſolutè, ſed ſub illa conditione in ſua profeſſione ſervare promiſit, non obligat ad culpam, ſed ad pœnam. Prædictæ autem Conſtitutiones, quia non continent niſi ſtatuta honeſta, & rationabilia, ſunt per Sedem Apoſtolicam confirmatæ: ſicut patet in privilegio, quod dicitur *Mare magnum* Alexandri IV. Clementis IV. Nicolai IV. Bonifacij VIII. Benedicti XI. Ioannis XXII. Gregorij XI. Martini V. Eugenij IV. & Sixti IV.

i Fratrum Prædicatorum.) Declaramus, quòd hoc nomen PRÆDICATORUM fuit impoſitum Ordini noſtro ab Innocentio III. qui dum ſcriberet Beato Dominico, & Fratribus ſuis, impoſuiſſetque Scriptori, vt ſcriberet hoc modo: Fratri Dominico, & Socijs: ſtatim revocavit, & dixit: Scribe hoc modo: Fratri Dominico, & cum eo prædicantibus. Statimque aliquantulum plus conſiderans: Noli, inquit, ſic dicere; ſed ſcribe hoc modo: Magiſtro Dominico, & Fratribus Præ-

Prædicatoribus. Et ex tunc ipſe Beatus Dominicus Pater noſter, & Filij eius cœperunt ſe Fratres Prædicatores vocare, cœperuntque in Curia, & vbique ab omnibus ſic vocari, iuxta illud Iſaiæ: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit*. Fuit etiam hoc nomen ab Honorio III. approbatum, & poſtea à Gregorio IX. in Bulla Canonizationis Beati Dominici confirmatum, & ab eodem Sancto Patre Dominico longè ante ardentiſſimis deſiderijs, orationibus, lacrymis, & multiplicibus meritis feliciter obtentum. Et vere hic Ordo re, & nomine dicitur PRÆDICATORUM, quia principaliter ad prædicationem, & ſalutem animarum eſt inſtitutus. Eſt autem hic Ordo arctior, quam appareat, & eius auſteritates magis in exiſtentia, quam in apparentia conſiſtunt. Præterea hic Ordo ratione inſtitutionis antiquioris, & approbationis, alios Mendicantium Ordines antecedit. Nam præcedit Ordinem Minorum, vt expreſſe ponit Gloſſa in cap. *Quorumdam* in verbo *Prædicatorum* de electión. lib.6· & gloſſ. 21. cap. tit. *de pace & tregua*: & Ioan. Andr. in cap. *Ioannes de Teſtamentis*, dicens: quod Ordo Prædicatorum excedit Ordinem Minorum ratione antiquioris inſtitutionis, ſicut litteræ in prædictis iuribus dicunt. Et hoc notat Petrus de Angar. aſſignans tempus inſtitutionis prædictorum Ordinum. Nam Ordo Prædicatorum, quantum ad ſui exordium, cępit ſub Beato Dominico in partibus Toloſanis anno Domini 1203. vbi Toloſam adveniens, hoſpitem ſuum hæreticum convertit ad Fidem. Poſtea fuit confirmatus ab Honorio, anno Domini 1216. xi. kalendas Ianuarij apud Sanctam Sabinam, Pontificatus ſui anno primo. Obijt autem Beatus Pater Dominicus Boloniæ anno Domini 1221. 8. Idus Auguſti. Fuit autem Canonizatus Reatæ per Gregorium IX. anno Domini 1234. 8. Idus Iulij. Ordo autem Minorum, quantum ad ſui exordium cępit ſub Beato Franciſco in partibus Thuſciæ anno Domini 1207. & poſtea confirmatus fuit ab Honorio III. anno Domini 1223. Pontificatus ſui anno octavo. Quæ tempora ponit etiam Io. Andr. in cap. *Quorumdam*; & ſequitur eum ibi Dominicus, dicens, quod per illam gloſſam haberi poteſt, qualiter Religioſi debeant ordinari in proceſſionibus, & in alijs actibus, quibus interſunt. Secundo, Ordo Prædicatorum inter cæteras Religiones præſtantiſſimus eſt, propter perfectionem finis; quemad-

admodum ſupra dictum eſt.

Præterea Ordo Prædicatorum præſtat inter alios Ordines, ratione maioris arctitudinis, & aſperitatis. Eſt enim arctior omnibus Religionibus mendicantium, propter parcitatem cibi, & longiora ieiunia. Non enim comedunt carnes, & ieiunant a quartadecima die Septembris vſque ad feſtum Paſchæ Reſurrectionis, & alia plura in Conſtitutionibus præſcripta ieiunia obſervant. Quapropter Clemens V. interrogatus a quodam Milite, vt ſibi conſuleret, quem Ordinem deberet intare, an Prædicatorum, an Minorum, ſic reſpondit: Sciſcitaris quem tibi ex Fratrum Prædicatorum, vel Minorum Ordinibus præeligendum eſſe declaremus; id præcipue conſcientiæ tuæ relinquimus. Magis enim tu ſcire poteris vtriuſque Ordinis obſervantias, quæ non ſunt pares in omnibus, & in diverſis articulis excedentes ſunt, & exceduntur. Alterius quidem illorum Ordinum lectus eſt durior, nuditas gravior, & vt nonnulli iudicant paupertas profundior. Et alterius cibus eſt parcior, longiora ieiunia, & vt nonnulli autumant, ſanctior diſciplina. Neutrum ergo alteri preferimus, ſed in vna & arctiſſima paupertate fundatos ad vnum tendere finem credimus, ſalutem videlicet animarum. Et ideo ſive hunc, ſive illum elegeris, arctam viam ingredieris, & per portam intrabis anguſtam ad terram mellifluam, & pre cæteris ſpecioſam. Sic ergo vni iſtorum adhæreas, vt amore ab altero non diſcedas: Frater enim Prædicator reprobatus eſt, qui Minores non diligit; & Frater Minor eſt execrabilis, qui Ordinem Predicatorum odit, vel contemnit. Hæc ille. Ex predictis omnibus patet dignitas, & excellentia Ordinis Predicatorum.

k Quod ero obediens tibi, tuiſque ſucceſſoribus.) Declaramus, quod ex voto noſtræ profeſſionis, tenemur & obligamur caſte, & ſine proprio vivere, & Regulam, ac Conſtitutiones non contemnere, & præcepto in Regula, vel in Conſtitutionibus contento, vel à Prælato facto, in his quæ ſunt ſecundum Regulam, & Conſtitutionem, vſque ad mortem incluſive obedire.

Item declaramus, quod Religioſus non tenetur in omnibus obedire Prælato ſuo, videlicet in his, quæ ſunt contra præcepta Dei, & Eccleſiæ, vel contra Regulam, vel quæ diſpenſationem Prælati non admittunt: in dubijs autem tenentur omnes obedire, vt habetur 33. qu. 1. cap. *Quid culpatur.*

Item

Item declaramus, quod *Religio*, vt dicit Sanctus Bernardus, *Profeſſores ſuos ſimiles Angelis facit, diſſimiles hominibus immo imaginem Dei in homine ad inſtar Baptiſmi reformat*. Pro conſtanti enim habetur, quod per profeſſionem tamquam per Crucis aſſumptionem, conſequitur quis remiſſionem omniũ peccatorum, vt Sanctus Thomas docet 2. 2. q. vlt. art. 3. ad 3. iſtis verbis: Si aliquibus eleemoſynis factis homo poteſt ſtatim ſatisfacere pro peccatis ſuis, ſecundum illud Danieli 4. *Peccata tua eleemoſynis redime*, multo magis in ſatisfactione pro omnibus peccatis, ſufficit quod aliquis ſe totaliter Divinis obſequijs mancipet per Religionis ingreſſum: quæ excedit omne genus ſatisfactionis etiam publicæ pœnitentiæ, vt habetur in decretis 33. q. 2. cap. *Admonere.* Sicut etiam holocauſtum excedit ſacrificium, vt Gregorius dicit *ſuper Ezechielem*. Vnde dicitur in vitis Patrum, quod eandem gratiam conſequuntur Religionem intrantes, quam conſequuntur baptizati. Igitur cum per profeſſionem det homo omnia bona exteriora quæ habet, & habere poſſet, vovendo paupertatem; & omnia bona corporis, vovendo caſtitatem: & libertatem voluntatis cum omnibus bonis animæ vovendo obedientiam, quæ excedunt quaſcumque eleemoſynas: per eandem conſequitur remiſſionem omnium peccatorum ſuorum. Item profeſſio liberat profitentem ab omni voto ſimplici, ſive ſit reale, ſive perſonale, ſive mixtum: qui etiam ſi voviſſet arctiorem Religionem, profitendo latiorem liberatur, vt habetur cap. penult. *de Regularibus* lib. 6. licet male fecerit omittendo perfectam adimpletionem voti ſimplicis, quod ſubditur in eodem Capitulo. Pro voto tamen non completo, erit eidem pœnitentia imponenda. Non tamen profeſſio liberat quempiam ab omni debito humano pecuniario, ex delicto, vel quaſi ex contractu, vel etiam quocumque modo facto: quia, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 189. art. 6. ad 3. argumentum: ille, qui eſt obligatus ad aliquid certum, non poteſt illud licite prætermittere facultate exiſtente; & ideo ſiquis ſit obligatus, vt alicui rationem ponat, vel vt certum debitum reddat, non poteſt hoc licite prætermittere, vt vota Religionis profiteatur: quemadmodum ſuperius cap. *de Recipiendis* num. 2. fuſius dictum eſt.

I I.

l NOuitiorum veſtes hoc modo benedicantur in profeſſione. ℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis. ℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte, qui tegimen noſtrę mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſæ largitatis tuæ abundantiam, vt hoc genus veſtimentorum, quod ſancti Patres ad innocentiæ, & humilitatis indicium ferre ſanxerunt, ita benedicere digneris; vt qui hoc vſus fuerit, te induere mereatur Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Poſtmodum aſpergantur aqua benedicta.

In quolibet Conuentu habeatur liber particularis, in quo ſcribantur omnes, qui faciunt profeſſionem: ibi notando annum, menſem, & diem, & nomen Prælati recipientis ad profeſſionem; & ſub quo Magiſtro Ordinis.

l Nouitiorum veſtes in eorum profeſſione benedicantur.) Declaramus, quod hæc benedictio veſtium ſumpta eſt ex cap. *Statuimus*, Extrav. *de Regular* vbi ſic dicitur: Statuimns, quod in Religionibus, vbi non eſt diſtinctus patenter habitus Novitiorum ab habitu Profeſſorum, in profeſſione veſtes eorum, ſcilicet ſcapulare, & huiuſmodi debeant benedici: vt ſic ſit diſtinctus habitus Profeſſorum ab habitu Novitiorum per hoc, quod ille eſt benedictus, habitus vero Novitiorum non eſt benedictus. Et ideo in Ordine Prædicatorum videtur, quod hoc deberet ſervari, quod Novitijs quando recipiuntur ad habitum, non detur, ſi commode fieri poteſt, ſcapulare benedictum. Profeſſi autem quando de novo ſibi faciunt ſcapularia: debent à Prælatis ſuis ea facere benedici; quia ſcapulare benedictum eſt habitus Profeſſorum in Ordine Prædicatorum.

CAP-

CAP. XVI.

De Leui Culpa.

I.

a LEuis culpa eſt, ſi quis mox vt ſignum factum fuerit, non relictis omnibus, cum matura feſtinatione differat ſe præparare: vt ad Eccleſiam ordinatè, & compoſite quando debuerit veniat; ſi quis ad Gloria primi Pſalmi non adfuerit; ſi quis in Choro malè legendo, vel cantando offendens, non ſtatim ſe coram omnibus humiliaverit; ſi quis Diuino non intentus officio, vagis oculis, *b* & moto irreligioſo, leuitatem mentis oſtenderit; ſi quis in Eccleſia, vel in Dormitorio, vel in Cellis aliquid inquietudinis fecerit; ſi quis in Choro riſerit, vel alios ridere fecerit; ſi quis lectionem ſtatuto tempore non præuiderit; ſi quis aliud cantare, vel legere præſumpſerit, quam quod communis probat vſus.

a Leuis culpa eſt.) Declaramus, quod Capitula de levi, gravi, graviori, & graviſſima culpa fuerunt edita ante primum Capitulum Generaliſſimum, & in ipſo, quod fuit celebratum Pariſijs 1228. fuerunt confirmata, & ordinata. Et tunc temporis non erat adhuc edita illa Conſtitutio, quæ declarat, Conſtitutiones noſtras non obligare nos ad culpam, ſed ad Pœnam: ſed poſtmodum ad conſulendum paci totius Ordinis, & removendum ſcrupulum a conſcientijs Fratrum, qui timebant ne tranſgreſſio Conſtitutionum obligaret nos ad culpam; fuit poſtea in ſecundo Capitulo Generaliſſimo celebrato Pariſijs anno Domini 1236. facta illa Conſtitutio, & in proęmio poſita. Et ſic ante præfatam Conſtitutionem, tranſgreſſio Conſtitutionum, quo ad ea, quæ non ſunt eſſentialia, nec habent annexum præceptum, vel contemptum, obligat ad peccatum veniale: ſive talis tranſgreſſio eſſet facta ex negligentia, inadvertentia, oblivione, levitate, fragilitate, vel ex aliqua alia conſimili cauſa. Et propter hoc fuit poſitum Capi-

tulum de levi, & gravi culpa; quia pro illo tempore faciens, vel omittens aliquid eorum, quæ continentur in prædictis Capitulis, incurrebant culpam levem, vel gravem. Poſt vero illam Conſtitutionem editam, tranſgrediens prædictas Conſtitutiones, licet ex vi Conſtitutionum nullam incurrat culpam, poteſt tamen alias illam incurrere: vt ex Divo Thoma 2. 2. quæſt. 186. art. 9. ad 1. ſupra dictum eſt. Ad quod reſpiciens Conſtitutio diſtinxit Capitula de levi, gravi, graviori, & graviſſima culpa: & eadem de cauſa, Capitulum quotidianum, in quo Fratres de huiuſmodi tranſgreſſionibus ſe accuſant, dicitur Capitulum de culpis.

b Et motu irreligioſo leuitatem mentis oſtenderit.) Declaramus, quod quamvis motus irreligioſus levitatem mentis oſtendens, & riſus diſſolutus, & vagus, ac vanus oculorum aſpectus, & otioſus ſermo, & vaniloquus, & alia huiuſmodi, ſint peccata venialia: non tamen ideo peccata ſunt, quia per Conſtitutiones noſtras ſunt prohibita, ſed quia de ſe ſunt mala. Et ideo ex tranſgreſſoribus prædictorum, non ſolum obligamur ad pœnam taxatam, vel taxandam, ſed etiam ad venialem culpam.

II.

ITem leuis culpa eſt, ſi quis ad prædicationem vadens otioſa locutus fuerit, vel egerit. Si quis diſſolutè riſerit, cachinnis vel ludis, dictis vel factis alios ad ridendum concitauerit. Si quis oculos vagos per plateas vel villas eundo, ad vanitates frequenter direxerit. Si in vigilia Annunciationis, & Natiuitatis Domini in principio Capituli per negligentiam non adfuerit: vt pronunciatis redemptionis noſtræ exordijs *c* corde & corpore gratias agat Redemptori. Si quis de via veniens eadem hora (ſi fieri poteſt) benedictionem accipere neglexerit, vel abſque ea plus vna nocte moraturus exierit. Si quis ad lectiones dormierit. Si quis temporibus ſtatutis, cum alijs lectionem auditurus non adfuerit. *d* Si quis libros interdictos legerit.

Cor-

c Corde & corpore gratias agat.) Declaramus, quod in Vigilia Annunciationis, quando à Lectore pronunciatur *Annunciatio Dominica;* & in vigilia Natiuitatis Domini, quando dicitur *Ieſus Chriſtus &c.* debent Fratres humiliter toto corpore ſe proſternere, eo modo, quo in Capitulo de Inclinationibus dictum eſt.

d Si quis libros interdictos legerit.) Declaramus, libros interdictos, de quibus hæc loquitur Conſtitutio, non eſſe illos, quorum lectio ab Indice, & à Canone omnibus Chriſtifidelibus prohibetur: tales enim libros legere grauiſſima culpa eſt, quandoque ſub anathematis pœna ab Eccleſia interdicta; ſed eſſe alios libros, qui continent inutiles, ac friuolas, ſiue narrationes, ſiue fabulas, ſiue inuentiones, aut vanitates. Horum enim quoque lectio dedecet Religioſum ſpiritualibus rebus omninò addictum.

III.

ITem leuis culpa eſt, ſi quis Eccleſiæ, vel Altaris ornamenta negligenter tractauerit. Si quis veſtes ſuas, aut libros in loco ſtatuto honeſtè non depoſuerit, vel negligenter tractauerit. *e* Si indumenta, vel alia Fratri data, vel conceſſa, ſine ipſius licentia, per ſe alius acceperit. Si quis aliquid vtenſilium fregerit, vel perdiderit: Si quis cibi, vel potus aliquid effuderit. Si liber, in quo legendum eſt, cuiuſcumque neglectu defuerit. Si quis aliquid dixerit; vel egerit, vnde offendantur Fratres.

e Si indumenta, vel alia Fratri data &c.) Declaramus, quod licet nobis ſint omnia communia, vt habetur in Regula, non eſt tamen in poteſtate cuiuſque accipere, id quod alteri ad vſum conceſſum eſt. Immò hæc acceptio furtiva in materia gravi, abſque licentia Prælati, propria authoritate, eſſet peccatum mortale: Nec de hac loquitur Conſtitutio, ſed de acceptione quarumdam rerum manualium, quibus promiſcue ſolent vti Religioſi: etiam abſque ſpeciali licentia Prælati, & ſolùm interveniente licentia eius, qui habet rem ad vſum. Sicut in eadem materia graui non poteſt Frater, qui

qui habet rem ad vſum, concedere alteri Fratri talem rem abſque licentia Prælati.

I. VI.

ITem leuis culpa eſt, ſi quis cibum, vel potum abſque benedictione ſumpſerit. Si quis in Conuentum hora qua debet venire diſtulerit. Si quis ad Capitulum, vel collationem non venerit, vel communi refectioni non interfuerit. *f* Si quis commune mandatum dimiſerit. Si quis clamans in clamatione ſua iurgium fecerit. Si quis eum, à quo proclamatus fuerit, eodem die *g* quaſi ſe vindicando, clamare præſumpſerit.

f Si quis commune mandatum dimiſerit.) Declaramus, quod commune mandatum dicitur illud, quod nec habet præceptum, vel excommunicationem annexam; nec materiam grauem; ſed in communi iniungitur à Prælato, attentis ijs, quæ communiter accidunt. Hoc ergo mandatum dimittere, eſt levis culpa, ſecus autem in alijs mandatis.

g Quaſi ſe vindicando clamare præſumpſerit.) Declaramus non fieri ſermonem in præſenti Conſtitutione de vera vindicta, hæc enim plus quam leuis culpa eſt: ſed de quaſi vindicta; quæ ſcilicet præſefert aliquam apparentiam vindictæ, & excuſatur à mortali, vel ex obreptione, vel ex paruitate materiæ.

V.

h ITem leuis culpa eſt ſi quis cum iuramento (vt loquendo fieri ſolet) aliquid negauerit, vel affirmauerit. *i* Si quis turpem ſermonem, vel vaniloquium dixerit, vel (quod grauius eſt) in vſu habuerit. Si quis eorum, qui officijs deputati ſunt, in aliquo negligens repertus fuerit: vt ſunt Priores in Conuentu cuſtodiendo, Doctores in docendo, Studentes in ſtudendo, Scriptores in ſcribendo, Cantores in officijs ſuis, Procuratores in exterioribus procurandis,

dis, veſtiarij in veſtibus prouidendis, cuſtodiendis & reficiendis: infirmorum Cuſtos in infirmis cuſtodiendis, procurandis, & reficiendis; & mortuis neceſſarijs miniſtrandis: & cæteri in officijs ſuis, vt iniunctum eſt eis. Clamatis, vel proclamantibus ſe de ſupradictis, detur pœnitentia, ſecundùm quod Prælato videbitur expedire.

b Si quis cum iuramento (vt loquendo fieri ſolet &c.) Declaramus, quòd conſulto hic interponitur parentheſis, ſcilicet, vt loquendo fieri ſolet: vt denotetur iuramentum, quod eſt veniale.

i Si quis turpem ſermonem &c.) Declaramus id quoque intelligendum eſſe de turpiloquio, quando non eſt peccatum mortale: & vniuerſaliter de omnibus alijs ſuperius in hoc Capitulo poſitis, idem intelligendum eſt; quod ſunt levis culpa tunc, quando non accedunt ad rationem peccati mortalis: tunc enim deberent puniri, pœna grauioris culpæ, vt in cap. *de grauiori culpa* dicetur.

CAP. XVII.

De Graui Culpa.

I.

a GRauis culpa eſt, ſi quis inhoneſte in audientia ſecularium, cum aliquo contenderit. Si Frater cum Fratre intus vel extra lites habuerit. Si quis alicui Fratri opprobrium dixerit. Si quis mendacium de induſtria dixiſſe deprehenſus fuerit. *b* Si quis ſilentium non tenere in conſuetudinem duxerit. Si quis culpam ſuam, vel alterius defenderit. Si quis in illum, à quo proclamatus eſt, vel in quemlibet alium maledicta, ſeu verba inordinata, & irreligioſa malitioſe inuexiſſe deprehenſus fuerit. Si quis Fratri præteritam culpam, pro qua ſatisfecit, improperauerit.

a Grauis culpa eſt.) Declaramus, quod quamuis in hoc

hoc Capitulo multa contineantur, quæ de ſe culpa ſunt, ſicut dicere opprobrium Fratri, vel mendacium de induſtria dicere, vel maledicta, & verba inordinata, & irreligioſa malitioſe proferre: mala de Patribus, & Fratribus euomere, ieiunia ab Eccleſia inſtituta ſine cauſa, & licentia frangere, & alia huiuſmodi; non tamen ideò culpa ſunt, quia à Conſtitutionibus ſunt prohibita, ſed quia de ſe mala ſunt; vel à iure Diuino, aut Eccleſiaſtico prohibita. Vnde tranſgreſſor in talibus duplicem incurrit pœnam: vnam ſcilicet Sacramentalem, ex eo quod culpam committit, quæ non poteſt deleri, niſi per contritionem, & confeſſionem, quando culpa eſt mortalis; aliam vero pœnam incurrit, ex eo, quod tranſgreditur Conſtitutionem.

b Si quis ſilentium non tenere in conſuetudinem duxerit.) Declaramus, omnem Fratrem aſſuetum ad quoſcumque defectus in iſto Capitulo dumtaxt, & præcedenti enumeratos, debere puniri pœna gravis culpæ, ſicut vult Conſtitutio de aſſuetis ad ſilentij fractionem, ſicut fuit declaratum Venetijs 1357. Nam grauius punitur, qui ex conſuetudine, quam qui ex ſimplici tranſgreſſione offendit.

I I.

e ITem grauis culpa eſt, ſi quis mala de Patribus, aut Fratribus, vel domibus ſuis, vel Sororibus malitiosè euomuerit: quæ teſtimonio Fratrum ſuorum probare nequiuerit. *d* Si quis abſque licentia, & magna neceſſitate equitauerit, *e* vel carnes comederit, vel etiam in via pecuniam portauerit, vel portari procurauerit. Si quis procedens vbi fœminæ ſunt, oculum fixerit (ſi tamen hoc in vſu habuerit) vel cum fœmina ſolus non de confeſſionibus, vel honeſtis locutus fuerit. Si quis ieiunia ab Eccleſia inſtituta fregerit ſine cauſa, & licentia. *f* Si quis litteras alicui miſerit, vel ſibi miſſas legerit, quas primitus ſuo Præſidenti non oſtenderit; Magiſtris in Theologia, & Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, & Prædicatoribus Generali-

bus

bus dumtaxat exceptis.

c Si quis mala de Patribus, aut Fratribus &c.) Declaramus, quod euomere mala de Patribus, aut Fratribus, ex genere ſuo eſt graue delictum: & longè grauius, ſi talia mala teſtimonio Fratrum probari non poſſint. Neque clauſula illa poſita in Conſtitutione, ſcilicet, quæ teſtimonio Fratrum ſuorum probare nequiuerit, habet exceptionis rationem, firmantis regulam in contrarium: quaſi ſenſus ſit; tunc non eſſe gravem culpam, quando illa mala, teſtimonio Fratrum probare poſſunt; ſed ponitur ad declarandam maiorem gravitatem culpæ.

d Si quis abſque licentia, & magna neceſſitate equitauerit.) Declaramus, quod cum equitare maximè repugnet ſtatui Mendicantium, qui ex eleemoſynis vivunt: nullus Frater Ordinis noſtri ſine neceſſitate, & licentia (quando habet Prælatum in promptu) vel ſine magna neceſſitate debet equitare, ſed pedes vadat. Et ſi ſecus factum fuerit, graviter puniantur tranſgreſſores, ſicut fuit ordinatum in Capitulo Pariſijs 1264. Et in Capitulo apud Ferrariam 1290. ordinatum fuit, quod Conſtitutio de non equitando ſtrictiſſimè obſervari debeat, & maximè per territoria, vbi Conventus habemus; & quod tranſgreſſores, per Priores Provinciales, & per Viſitatores acriter; & graviter puniri debeant. Et idem fuit ordinatum Romæ *1569.* & innovatum Venetijs 1592. Vbi præſertim fuit ordinatum, ne Converſi equitarent, niſi ex magna neceſſitate. Quod vero dicitur, de pecunijs in via non portandis, id intelligendum eſt, ſi quis ſine licentia Superiorum ſuorum eas portaverit.

e Vel carnes comederit.) Declaramus, quod prælati poſſunt cum Fratribus ſuis etiam extra caſum infirmitatis ex cauſa rationabili, quantum ad eſum carnium, diſpenſare. Subditi autem non debent ſine licentia, vel magna neceſſitate carnes comedere, ſicut in *Capitulo de Ieiunijs* dictum eſt.

f Si quis litteras alicui miſerit.) Declaramus, quod in Capitulo Pariſijs celebrato 1234. ſic fuit ordinatum: Volumus, & ordinamus, quod nullus Prior in hoc deferat alicui, quin litteras accipiendas, & mittendas legat. Et in alio Capitulo 1243. ibidem celebrato fuit ordinatum, quod Fratres non mittant litteras, etiam non ſigillatas, nec recipiant

piant ſine licentia ſui Prælati. Et in alio Capitulo ibidem celebrato 1264. ſic dicitur: Fratres qui miſerunt, vel in poſterum miſerint litteras, vel memorialia non oſtenſa Prælato ſuo; vel ſibi miſſas legerint, niſi habita prius licentia; gravius puniantur. Et in Capitulo Treveris 1289. ſic dicitur: Inhibemus diſtrictè, ne fratres litteras, vel cedulas, vel alia quæcunque memorialia legant, vel tranſmittant, vel ſibi tranſmiſſa aperiant: ſine eorum Superiorum inſpectione, vel licentia ſpeciali. Et hoc idem fuit in diverſis alijs Capitulis ordinatum, præſertim Venetijs 1592. in hunc modum: Nullus Frater noſtri Ordinis, præter exceptos in Conſtitutionibus noſtris, audeat litteras aliquas ad aliquem, præterquam ad Superiores mittere: niſi prius à proprio Prælato viſæ, & ſubſcriptæ fuerint; nec ad ipſum miſſas legere, vel aperire, niſi prius eaſdem Superiori ſuo legendas præſentaverit, ſub pœna carceris per menſem, & alijs, Superioribus arbitrarijs.

I I I.

g PRo huiuſmodi culpis, & his ſimilibus veniam petentibus, & non proclamatis, tres correctiones in Capitulæ dentur: & tres dies in pane, & aqua ieiunent. Clamatis verò vna dies, & vna correctio ſuperaddatur. Præter hæc autem, Pſalmi, & veniæ ſecundùm quod diſcretioni Superioris viſum fuerit, pro qualitate culparum iniungantur. Eadem pœna digni ſunt, qui poſtquam miſſi fuerint, ſine licentia reuerti præſumpſerint, *h* vel vltrà terminum ſibi aſſignatum moram fecerint ſine rationabili cauſa: vel ſi quis pro victu & veſtitu, vel qualibet alia re murmurauerit. Caueat autem quilibet frater *i* ne proclamet aliquem in Capitulo de crimine, (etiam de auditu) niſi ipſum crimen poſſit probare. Quod ſi accuſatus negauerit, & accuſans in probatione defecerit, pœna accuſato debita puniatur. *k* Ne autem vitia occultentur, Prælato ſuo denunciet,

quod

quod viderit, vel audiuerit.

g Pro huiuſmodi culpis, & his ſimilibus veniam petentibus, &c.) Declaramus, quod fratres de his quæ continentur in illo, & in Capitulo de Levi culpa, tenentur ſe in Capitulo de culpis accuſare, & pœnitentiam ſibi iniunctam facere: ſicut ſupra in cap. de ſilentio dictum eſt; quod fratres debent ſe de ſilentio, ſicut & de alijs culpis in Capitulo accuſare. Et de Capitulo quotidiano dicitur, quod fratres qui ſe reos intellexerint, humiliter culpas ſuas confiteantur. Hoc tamen intelligendum eſt, quando perpetratio culparum gravium, eſt talis naturæ propter ſuam notorietatem, quod poſſit in iudicium deferri. Si vero talis perpetratio ſit occulta, non obligat Conſtitutio perpetrantem vt ſe prodat.

h Vltra terminum ſibi aſſignatũ moram fecerint.) Declaramus, quod Fratres exeuntes à Conventu ſine licentia, vel cum ſocio non ſibi à Prælato deputato: debent puniri eadem pœna, qua puniuntur in Conſtitutionibus ij qui vltrà terminum ſibi aſſignatum, moram fecerint; vel ſine licentia reverti præſumpſerint, prout exprimitur in hoc Capitulo: ſicut declaratum fuit Romæ 1558. Immò quia gravius eſt egredi domo ſine licentia, quam vltra terminum aſſignatum extra domum moram facere: illud ſeverius puniendum eſt, quam iſtud. Declaramus etiam pro huiuſmodi Conſtitutionis obſervantia, iſtud quoque ſæpius ordinatum, Romæ 1608. confirmatum eſſe: vt cuique fratri è domo exeunti, nominatim ſocius aſſignetur à Prælato, nec vlli detur licentia exeundi, niſi ei ſimul ſocius deſignetur. Fratres vero cum in domum redierint, quamprimum ſe ſiſtere debent Præſidenti Conventus, vt accepta ab eo benedictione, ipſe ſciat quid de eis actum ſit. Id verò toties quoties exierint, & redierint, facere debent, Romæ 1601.

i Ne proclamet aliquem in Capitulo de crimine.) Declaramus, quod huiuſmodi proclamationes, quæ in Capitulis Religioſorum fieri ſolent, ſunt de quibuſdam levibus quæ famæ non derogant: & ideò potiùs ſunt quædam commemorationes oblitarum culparum, quam accuſationes, vel denunciationes: ac propterea fieri poſſunt, nulla, etiam ſecreta admonitione ſive

ve correctione fratrum, præmiſſa. Si tamen talia eſſent, vt ob illa frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, qui hoc modo peccatum fratris non præmiſſa correctione fraterna publicaret: vt docet S. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. ad 4. Quapropter dictæ proclamationes regulariter loquendo, locum habent in ijs quæ continentur in *Cap. de Leui culpa*, non tamen in aliquibus culpis contentis in hoc capitulo, niſi correctione fraterna præmiſſa. Et multo minus tenetur ſeipſum quis accuſare publice de eiſdem culpis, niſi in caſu ſuprapoſito notorietatis facti.

k Ne autem vitia occultentur; Prælato ſuo denunciet.) Declaramus, hoc quod hic præcepit Conſtitutio, prudenter eſſe intelligendum, ſalvo ſcilicet ordine correctionis fraternæ, quam Dominus præcepit Matth. 18. verbis iſtis: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum*. Et hunc eundem ordinem hæc noſtra Conſtitutio ſervandum eſſe ſupponit, tum hic, tum in capite ſequenti num. 9. initio ipſius numeri, vbi hoc negotium clarius explicatur. Vnde ſi frater qui commiſit crimen, non indiget correctione fraterna, quia iam eſt emendatus: quantumcunque adveniat præceptum Prælati, quod ſolet in viſitationibus communiter poni, non poteſt quis ipſum denunciare. Secus autem ſi inquiſitio fieret contra aliquem laborantem infamia, etiamſi iam ſit emendatus, quia in hoc caſu prouidetur bono communi. In duplici tamen caſu, non tenemur præceptum privatæ, & ſecretæ correctionis ſervare, vt docet S. Thom. loco nuper citato in corpore articuli: quando videlicet peccatum eſt publicum, vel quando eſt occultum quidem, ſed eſt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale: Nam in his caſibus, qui ſic peccat, non ſolum in ſe peccat, ſed etiam in alios, Et ideò omiſſa privata correctione, oportet ſtatim procedere ad denunciationem, vt huiuſmodi nocumentum impediatur, niſi fortè aliquis firmiter æſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi mala impedire. Si autem peccatum eſt publicum, non eſt tantum adhibendum remedium ei qui peccavit, vt melior fiat; ſed etiam alijs, in quorum notitiam devenit, vt non ſcandalizentur. Et ideo talia peccata ſunt publice arguenda, ſecundùm illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 5. *Peccantes coram omni-*

omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Quod ſicut dicit Auguſt. lib. de verbis Domini cap 16. *de peccatis publicis intelligitur.*

CAP. XVIII.

De grauiori Culpa.

I.

a GRrauior culpa eſt, ſi quis per contumaciam, *b* vel manifeſtam rebellionem inobediens Prælato ſuo extiterit; vel cum eo intus, vel foris *c* proterue contendere auſus fuerit. *d* Si quis percuſſor fuerit. *e* Si quis crimen capitale, id eſt, pœna mortis in ſeculo puniendum commiſerit. *f* Si quis procurauerit, quod ipſe, vel alius, eximatur via non iuridica a poteſtate ſui Prælati. Si quis rem ſibi collatam receperit, de his quæ prohibentur recipi. Si quis rem ſibi collatam celauerit, quem B. Auguſtinus furti iudicio dicit eſſe condemnandum. *g* Si proclamatus conuictus fuerit, ſponte ſurgat, & veniam petens, ſceleris ſui immanitatem lamentabiliter proferat, & denudatus (vt dignam recipiat ſuis meritis ſententiam) vapulet, quantum placuerit Prælato; & ſit omnium nouiſſimus in Conuentu. Vt qui culpam perpetrando non erubuit membrum Diaboli fieri, ad tempus (vt reſpiciat) ſequeſtretur à conſortio ouium Chriſti.

a Grauior culpa eſt, ſi quis per contumaciam.) Declaramus, quod trangreſſoribus ſcienter præceptorum, & obedientiæ Superiorum poteſt, & debet imponi pro huiuſmodi tranſgreſſione per Præſidentem pęna grauioris culpæ: ſicut fuit ordinatum apud Caſtras 1352. hoc tamen intelligendum eſt ſi adſit contumacia atque rebellio. Nam ex vi huius Conſtitutionis non ſufficit ad hoc vt quis incurrat pęnam grauioris culpæ, quod ſit tranſgreſſor præcepti poſiti à Prælato, & multo minus ſimplicis obedientiæ: ſed requiritur.

tur, quod interveniat contumacia, vel manifeſta rebellio, vt dicitur in textu.

b Vel manifeſtam rebellionem.) Declaramus, quod manifeſta rebellio eſt, quando ſubditus pertinaciter verba ſui Prælati contemnit: puta, cum Prælatus iuxta præſcriptum Conſtitutionis, dicit; Volo omninò quod faciat hoc, & ſubditus dicit: Nolo facere. Et ſic obedientiam ſui Prælati tranſgrediens, debet pœna gravioris culpæ puniri, ſicut declaratum fuit Coloniæ 1428. Vnde S. Thom. 2. 2. qu. 39. art. 1. ad 2. dicit quod tunc aliquis dicitur cum rebellione Prælato ſuo non obedire, quando pertinaciter eius mandata contemnit, & iudicium ſui Superioris ſubire recuſat.

c Proterue contendere auſus fuerit.) Declaramus, quod proterva contentio, eſt improba & perverſa, ſeu ſuperba diſceptatio, vel impugnatio verborum cum tumultu. Vnde proterve contendere cum Prælato, nihil aliud eſt, quam verba ipſius verbis tumultuoſis, vel clamoſis improbè, & perverſe ſeu ſuperbè impugnare: & talis debet puniri pœna gravioris culpæ. Item declaramus, quod nullus ſub pęna gravioris culpæ præſumere debet aſſerere Priorem, ſui Conventus non eſſe Priorem, neque ab eius obedientia ſe ſubtrahere, donec per Superiores, ſi quid acciderit dubij fuerit declaratum, ſicut in Capitulo apud Valentiam 1364. declaratum fuit.

d Si quis percurſor fuerit.) Declaramus, quod ſi quis aliquem quocumque inſtrumento enormiter percuſſerit, ſuper eius abſolutione Prior Provincialis conſulatur, & ipſe percuſſor interim ab alijs ſequeſtretur. Poſtquam autem fuerit abſolutus, pęna gravioris culpæ puniatur: quam ſaltem per duos menſes perfectè, & complete perſolvere teneantur, ſicut fuit ordinatum in Capitulo Londonis 1314.

e Si quis crimen capitale, id eſt, pœna mortis in ſeculo puniendum commiſerit.) Declaramus in Capitulo Romano 1518. explicatum fuiſſe, & in Conſtitutionem redactum, quod propter crimen pęna mortis in ſeculo puniendum præter prædictam pęnam gravioris culpæ debet qui illud committit carceri mancipari: ſicut etiam propter lapſum carnis. Propter quodcunque autem aliud crimen quod ſit peccatum mortale, & committenti adferat infamiam:

miam: ſicut eſt falſum teſtimonium, ebrietas aſſidua, & horum ſimilia, ille qui peccat, pęna, gravioris culpæ puniri debet.

f Si quis procurauerit quod ipſe, vel alius eximatur via non iuridica a poteſtate ſui Prælati.) Declaramus, quod quicunque procuraverit correctionem(ſcilicet, de delictis in hoc capitulo contentis) de ſe vel de alio factam, vel aſſignationem quamcumque per perſonas extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutas impedire, pęna gravioris culpæ puniatur: & omnibus gratijs Ordinis ſit privatus, nec ad ipſas reſtitui poſſit; niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale. Et eandem pœnam volumus incurrere eos, qui per perſonas extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutas procuraverint, quod frater aliqua de Provincia, vel de Conventu aliquo expellatur: ſicut fuit ordinatum in capitulo apud Cadurcium 1319. & apud Rothomagum 1320.

Item denunciamus, non tantum acceptatam eſſe ab Ordine noſtro in Capitulo Romæ 1589. Gregorij XIII. Conſtitutionem, qua prohibetur fratribus, ne per perſonas extra obedientiam Ordinis conſtitutas, audeant ſibi aliquid in Ordine, ſub pęna inhabilitatis ad hæc & ſimilia, (niſi per ſedem Apoſtolicam diſpenſati fuerint) obtinenda, procurare: ſed etiam ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ præceptum fuiſſe, ne quiſpiam directè, vel indirectè, per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro alijs eiuſdem Ordinis profeſſoribus, apud perſonas extra noſtrum Ordinem conſtitutas, & de noſtro Ordine non aſſumptas, gratiam aliquam, vel pęnarum remiſſionem à Prælati noſtri Ordinis obtinendam, procuret; aut ad hunc effectum munera aliqua ſecularibus ſpondeat, vel exhibeat. Quæ Conſtitutio, vna cum ordinatione Capituli ſupranominati, atque cenſuris, & pęnis in eo expreſſis, cum poſtea à Clemente VIII. & ſucceſſive a Paulo V. confirmata fuerit, & illa quidem in Capitulo Venetijs 1592. hæc autem Romæ 1608. acceptata fuerit: ideo operæ pretium eſt, vt omnes Fratres meminerint eius, quod Clemens VIII. cum prius per gratias, quas per emendicatos favores nolebat, concedi, quoſcumque gradus, honores, dignitates, officia, adminiſtrationes, functiones, Prælaturaſque Ordinis intelligi debere ſignificaſſet, expreſſe præcepit iſtis verbis.

Et propterea dilectis Magiſtro Generali, Provincialibus, & alij

& alijs Prælatis, ac Superioribus eiuſdem Ordinis, non poſt hac aliquod præmiſſorum cuiquam ad iſtantiam, ſeu requiſitionem, vel contemplationem perſonarum ſuperius expreſſarum quarũcumque quovis modo concedere; Religioſis verò ac Fratribus eiuſdem Ordinis quibuſcumque, non ſolum in præmiſſis omnibus ſecularium favorem minimè procurare; ſed nec atiam ſpontè oblatum, aut ab eis minimè procuratum recipere; & ſimiliter, ne ad hunc effectum munera aliqua ſecularibus impendere, vet exhibere audeant, vel præſumant: authoritate Apoſtolica tenore præſentium in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub eiſdem pœnis in dictis Gregorij litteris contentis præcipimus, & expreſſe interdicimus, & prohibemus. Eadem authoritate ſtatuentes, quod omnes, & ſinguli in præmiſſis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & abſque proceſſu deſuper habendo, ſententias & pœnas præmiſſas irremiſſibiliter eo ipſo incurrant: quodque ad illas ſententias, & pœnas huiuſmodi damnabiliter incurriſſe legitimè probandum, & omnino convincendum; ſolæ præmiſſarum perſonarum inſtantiæ, favores, & preces, etiam oretenus porrectæ, plenam, indubiam, & ſufficientem in iudicio, & extra fidem faciant, ne ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Item declaramus, quod ſi quis Frater ſubditus, vel Prælatus inducat (ſcilicet vi, & metu, vel alio quocumque illicito modo) aliquem Fratrem per ſe, vel per alium ad electionem cuiuſcumque Prælati, aut Officialis noſtri Ordinis: ſi in hoc deprehenſus fuerit, pœna gravioris culpæ puniatur; & ſit per triennium omni voce activa & paſſiva privatus, ſicut fuit ordinatum Pariſijs 1286. & Burdigalæ 1287. & noviſſimè Bononiæ 1615. ad memoriam revocatur illud, quod in Decret, lib. 6. capit. *Sciant cuncti*, habetur iſtis verbis: Sciant cuncti, qui eos, ad quos ſpectat electio, pro eo quod rogati, vel inducti, eum pro quo rogabant, vel inducebant eligere noluerunt; ſpoliant, vel iniuſte proſequuntur; ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrunt.

Item declaramus, Valentiæ 1596. & Romæ 1601. & 1608, ſtrictiſſimè ſub pœnis in Capitulo gravioris culpæ contentis prohibitum fuiſſe: ne quis Religionis negotia, ſive fratrum ſint, ſive Monialium, quoquo modo deferre audeat, directè, vel indirectè per ſe, vel per alios ad Tribunalia extra Ordinem;

nem; vtque id ſcientes, Superiori infra 12. dies denunciare, Superiores vero præmiſſis præmittendis, pęnam tranſgreſſoribus ſupra taxatam infligere teneantur. Ordinantes, vt quicumque Prælati ſui iudicium recuſaverit, ſeveriſſimè puniatur: ſuper quo conſcientiam Prælatorum aggravamus. Qui nec ſe recuſatos iudicent, ſed reos pęnitentiam ſibi iniunctam ſubire cogant, & interim Superiores de omnibus certiores faciant.

g Si proclamatus conuictus fuerit.) Declaramus, quod licet ſecundum iura convictus propriè dicatur, qui per teſtes in iudicio convincitur: tamen convictus etiam dicitur, qui Prælato ſuo peccatum ſuum fatetur, coactus per aliquam excommunicationem, ſive per incluſionem, ſive per diſciplinas, & alias pęnitentias, licet talis propriè ſit confeſſus. Vnde taliter convictus illas eaſdem pęnas Conſtitutionis incurrit, ſicut fuit declaratum apud Toloſam 1328. Accuſatus autem à pluribus non conteſtibus, ab vno de vno actu, à ſecundo de alio eiuſdem ſpeciei: talis non eſt convictus, nec poteſt ſententialiter condemnari; ſed benè poteſt ad quæſtiones poni. Similiter quando contra aliquem Fratrem habentur teſtimonia ſecularium fide dignorum, poteſt arctari ad dicendam veritatem, & ad quæſtiones poni; potiſſimè quando infamia probata contra eum laborat, ſicut fuit declaratum Ferrariæ 1362. Quare ſi infamia præcedente, duo teſtes ſeculares deponunt contra aliquem Fratrem, talis poteſt ab alijs ſeparari, & veritas ab eo extorqueri. Immo infamia, & vnus teſtis, vel infamia, & vna vehemens ſuſpicio, ſufficiunt ad ſeparationem alicuius Fratris puniendi: & talis ſic ſeparatus tenetur Iudici veritatem dicere de eo crimine, de quo infamatus eſt, non ſolum de ſe, ſed & de alio; ſi tamen alius ſimiliter fuerit diffamatus, atque ab eo ſic ſeparato petatur veritas iuxta ordinem iuris, quia mentiri in iudicio, eſt peccatum mortale. Eo autem ipſo, quod propter vnum crimen Iudex in aliquem iuſte inquirit, & contra eum procedit, ex hoc ipſo non poteſt inquirere, & procedere contra ipſum de alijs criminibus occultis: adeout qui de vno crimine infamatus eſt, non tenetur alia crimina, de quibus non eſt infamatus, etiamſi de illis à Iudice interrogatus fuerit, confiteri, ſecundùm Caietan. 2. 2. quæſt. 69. art. 1. & 2. Ideo caveant Prælati ab huiuſmodi inquiſitione occultorum

criminum, quia peccant ipſi præcipiendo, vel inquirendo, & ſubditi non tenentur obedire, non tamen poteſt reus, etiam infamatus per ſententiam, ad pœnam ordinariam condemnari, niſi fuerit per duos teſtes, vel per propriam confeſſionem conuictus.

I I.

POEna autem ſequeſtrationis tunc tantum locum habeat, quando propter peccatum mortale ad pœnam grauioris culpæ quis eſt damnatus. In Refectorio quoque ad communem menſam cum cæteris non ſedebit: ſed in medio Refectorij *b* ſuper nudam terram comedet; & prouidebitur ei ſeorſim panis groſſior, & potus aquæ. Nec reliquiæ prandij ſui cum alijs miſceantur: vt cognoſcat, ſe ita eſſe ſequeſtratum à conſortio aliorum, quod priuetur (niſi per pœnitentiam redeat) conſortijs Angelorum. ad Canonicas Horas, & gratias poſt comeſtionem, ante oſtium Eccleſiæ tranſeuntibus Fratribus proſtratus iaceat, dum intrant & exeunt: nullus autem ſe audeat coniungere illi, vel aliquid mandare.

b Super nudam terram comedet.) Declaramus, quod in Refectorio pro ſedentibus in terra pro graviori culpa, debet haberi aſſer aliquis immediatè iuxta terram, ſuper quem ponantur cibaria, videlicet panis, & aqua: & ipſi debent ſedere ſuper nudam terram. Pro alijs vero, qui ſedent in terra pro fractione ſilentij, vel pro alijs defectibus: debent haberi aſſeres, ſuper quos ſedeant; & aliqua menſa, vel forma lignea, ſuper quam comedant.

I I I.

PRælatus tamen (ne in deſperationem labi poſſit) mittat ad eum, qui eſt in grauiori culpa ſeniores: qui commoneant eum ad pœnitentiam, prouocent ad pœnitentiam, foueant per compaſſionem, hortentur ad ſatisfactionē, adiuuent per ſuam interceſſionem; ſi viderint in eo humilitatem cordis.

Qui-

Quibus etiam ſuffragetur totus Conuentus. *i* Nec renuat Prælatus cum eo facere miſericordiam: & ſi videbitur ei, denuo vapulet ad pedes ſingulorum primo Prælati, deindè vtriuſque lateris ſeſſorum. Talis quandiu erit in hac pœnitentia, non communicet, nec veniat ad oſculum pacis. Si Prædicator eſt, prædicationis officium non exerceat: non notetur ad aliquod officium in Eccleſia, nec vlla ei committatur obedientia: nec vocem habeat (niſi in ſui accuſatione) *k* ante plenariam ſatisfactionem, *l* vel donec per Magiſtrum Ordinis, aut Diffinitores Capituli Generalis, vel Prouincialis fuerit reſtitutus. Si fuerit Sacerdos, vel Diaconus, his Officijs non fungatur, niſi poſtmodum religioſe conuerſatus fuerit.

i Nec renuat cum eo Prælatus facere miſericordiam.) Declaramus, quod quando Frater aliquis de gravi aliquo delicto accuſatur, ac per teſtes convincitur, vel ipſe in loco iudicij confitetur Prælatus non poteſt ei parcere, quoad pęnas privativas, quæ in noſtris Conſtitutionibus continentur. Et ſi dicatur, cum confeſſo eſſe mitius agendum, ac proinde tales ei pœnas remittendas eſſe: reſpondetur, quod in pœnis poſitivis, puta, quod maneat in carcere, quod comedat in terra in pane & aqua cum proſtrationibus tot diebus, quod dicat tot Pſalteria, & accipiat tot diſciplinas, ſi ſponte confitetur, cum eo mitius eſt agendum: & quoad huiuſmodi pęnas poteſt Prælatus ei parcere de conſilio diſcretorum. Sed quoad pęnas privativas, puta, quod ſit privatus voce activa, vel paſſiva, vel gratijs Ordinis, vel Officio prædicationis, & alijs huiuſmodi, quæ in noſtris Conſtitutionibus continentur, & quæ ſunt Canonis latæ ſententiæ non poteſt Prælatus, etiam cum ſponte confeſſo diſpenſare; ſed hoc pertinet ad Magiſtrum Ordinis, vel ad Diffinitores Capituli Generalis, vel Provincialis, ſicut fuit declaratum Toloſæ 1328. & Coloniæ 1301. & Baſileæ 1473. Ad cuius Conſtitutionis obſervationem Valentiæ 1596. declaratum eſt: pę-

nas omnes privativas in noſtris Conſtitutionibus contentas, quando adeſt clauſula (ipſo facto) ſola facti declaratione incurri : itaut non poſſit Iudex ipſas minuere in ſententias ferenda.

k Ante plenariam ſatisfactionem.) Declaramus, quod cum ad plenariam alicuius debiti ſatisfactionem alterum duorum requiratur: videlicet, aut debiti ſolutio ex parte eius, qui ſatisfacere tenetur, quando videlicet ſolvit debitum; vel debiti relaxatio ex parte illius, qui poteſt debitum relaxare, quando videlicet ille, cui ſatisfaciendum eſt, remittit debitum: ita in propoſito, ſi ille, qui eſt in graviori culpa, ſit adiudicatus ad faciendam talem pęnitentiam vſque ad annum, menſem, vel ad alium terminum, & pęnitentiam ſibi iniunctam facit, vel Prælatus qui poteſt, talem pęnitentiam remittit, vel relaxat; dicitur plenè ſatisfeciſſe, ſicut fuit declaratum apud Toloſam 1328.

l Vel donec per Magiſtrum Ordinis &c.) Declaramus circa hæc verba, quod licet antiqua Conſtitutio facta apud Montem Peſulanum 1316. & in duobus Capitulis immediate præcedentibus inchoata, & approbata ſic diſponeret, vt legeretur coniunctive, ſcilicet; (ac donec per Magiſtrum Ordinis) poſtea tamen in Capitulo Romano 1518. nova fuit edita Conſtitutio per tria Capitula immediate continua, iuxta modum inchoationis, & approbationis, ac per eam fuit decretum: vt copulativa mutaretur in diſiunctivam, & dicatur: (vel donec per Magiſtrum &c.) ac propterea ille, qui eſt in graviori culpa, cum primum ſatisfecerit, poteſt illis officijs, quibus privatus fuerat, fungi, & voce activa, vel paſſiva potiri, abſque nova reſtitutione à Magiſtro Ordinis, vel Diffinitoribus expectanda; niſi fortè in ſententia privationis eſſet expreſſum, quod illis non fungatur, donec fuerit reſtitutus. Illi porro, qui de cætero abiuraverint, tanquam de hæreſi vehementer ſuſpecti, non poſſint à quocumque etiam Magiſtro Generali reſtitui, aut promoveri ad aliquod officium, aut dignitatem toto tempore vitæ eorum: ſed permittantur in humilitate deflere peccatum ſuum; irritum decernentes, quidquid in oppoſitum factum fuerit. Romæ 1558. & Avenione 1561. & Bononiæ 1564.

IV.

SI quis autẽ (quod Deus auertat) *m* in peccatũ carnis lapſus fuerit, *n* aut furtum commiſerit, quod ſit notabile iudicio diſcretorum: *o* vel litteras Magiſtri Ordinis, vel Priorum Prouincialium, vel eorum ſigilla falſificauerit, vel falſificatis ſcienter uſus fuerit; aut in Prælatum ſuum manus iniecerit temere violentas, aut quemcumque lethaliter, vel grauiter, & atrociter percuſſerit, aut infra ſepta Monaſterij ſuper ſe arma inuaſiua portare præſumpſerit, aut aliquod prædictorum fieri fecerit: *p* carcerali cuſtodiæ mancipetur.

V.

q SI quis etiam alteri Fratris Ordinis, vel ipſi Ordini crimen falſo impoſuerit, propter quod crimen ſecundùm noſtrarum ſeriem Conſtitutionum Frater aliquis carcerem mereretur: aut crimina quæcumque huiuſmodi Fratrum ſecularibus perſonis, & extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutis reuelauerit, vnde Fratri, vel Ordini infamia, vel damna fuerint ſubſecuta; modo conſimili carcerali cuſtodiæ mancipetur. Et nolumus, quod huiuſmodi Ordinis deſtructores, poſſint (niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Generale Capitulum) liberari. Idem dicimus de Fratribus, qui inuenti fuerint ad taxillos luſiſſe, *r* aut in ſententiam excommunicationis à quocumque Iudice noſtri Ordinis rite latam, ſcienter incidiſſe: quos etiam pœnæ carceris volumus ſubiacere.

m In peccatum carnis.) Declaramus, in Capitulo Salmanticenſi 1551. iſtud editum fuiſſe. Item ordinantes, admonemus omnes Priores tam Conventuales, quam Provinciales, vt in pœnitentijs (præ-

ſertim in Conſtitutionibus taxatis) imponendis ſint ſeueriores: & in his maximè; quæ ad honeſtatem pertinent, vnde ſolet ex paucorum erratis tota Religio infamari, & in alijs, quæ in capit. *de Grauiori culpa* continentur.

n An furtum commiſerit.) Declaramus, in Capitulo Romano 1583. fuiſſe ordinatum: vt qui ſemel reperti fuerint furtum grave feciſſe de rebus Monaſterij, (præter alias pœnas) priventur officio; & inhabiles reddantur ad quamcumque adminiſtrationem rerum temporalium.

o Vel litteras Magiſtri Ordinis, vel Priorum Prouincialium &c.) Declaramus, quod præter pœnas hic contra falſificantes litteras Magiſtri Ordinis, vel Priorum Prouincialium conſtitutas, aliæ ſuperadduntur in Capitulo *de Apoſtatis* prope finem.

p Carcerali cuſtodiæ mancipetur.) Declaramus, quod illi proprie carceri mancipati intelliguntur, qui per diffinitiuam ſententiam ſunt ad carcerem condemnati. Qui verò ad inquirendam veritatem ſunt in cuſtodia detenti, dicuntur ſeparati, vel arreſtati: ſicut fuit declaratum apud Rothomagum 1320. Item declaramus, quod Priores non poſſunt, nec debent proprio iudicio incarcerare Fratres ſine conſilio diſcretorum: qui autem per ſententiam fuerint incarcerati, ſi inuenti fuerint culpabiles, non debent inde extrahi, vel liberari ſine licentia Prouincialis, ſicut fuit declaratum Pariſijs 1326. & apud Toloſam 1328.

Item declaramus, quod Ioannes XXII. ordinauit, quod Frater qui fuerit carceri iudicialiter mancipatus, ſemota omni crudelitate, ſecundùm quantitatem, & qualitatem ſuorum exceſſuum debet in eodem carcere teneri, & etiam alijs diſciplinis, & abſtinentijs puniri: ita quod rigor carceris exterminium non pariat, ſed ad meliora provocet delinquentem: Item declaramus, quod Bonifacius VIII. in Bulla, quæ incipit, *Ad augmentum &c.* ſtatuit, & ordinavit: quod Prælati Ordinis noſtri, ad quos punitiones, & correctiones Fratrum delinquentium ſpectant, poſſint liberè punire, & corrigere Fratres delinquentes, ſecundùm conſuetudines approbatas, & inſtituta ipſius Ordinis generaliter facta, & etiam facienda, rimulis, & apicibus iuris, ac etiam ordine iuris poſtpoſitis: dummodò ſubſtantialia iuris ſeruentur, quæ præcipuè

ſunt quatuor. Primum, vt contra aliquem non procedatur, niſi accuſatum, denunciatum, aut infamatum: iuxta tres modos procedendi à iure ſtatutos; per accuſationem, denunciationem, & inquiſitionem. Secundùm, vt teſtes examinentur per præceptum formale. Tertium, vt abſens vocetur, & per duos ad minùs teſtes vel conteſtes per propriam confeſſionem convincatur. Quartum, vt indefenſus non condemnetur ad pœnam ordinariam, niſi fuerit contumax. Nec licet eiſdem fratribus ab Ordinis punitionibus, & correctionibus aliquatenus appellare, niſi appellatio gradatim fiat: vt Capit. Roman. 1589. ex decreto Sac. Congregationis Regularium denunciato, ſtatutum eſt. Eſt autem decretum huiuſmodi conformiter ad conſtitutionem Bonifacij IX. de qua 2. diſtinct. cap. 18. his verbis pronunciatur. Quoniam nonnulli vagandi ſtudioſi, dum imminentes commiſſorum criminum pœnas ex ſuis Conſtitutionibus, aut alias debitas ſibi metuunt: falſa, & commentitia gravamina cauſati, non immediate ad ſui Ordinis Superiores, ſcilicet à gravamine Prioris ad Provincialem, à Provincialis, ad Generalem, & à Generali ad protectorem, prout cuiuſcunque Religionis Conſtitutionibus diſponitur, ſed ad hanc Romanam Curiam abſque licentia fugiunt potius quam recurrunt, ex quo Ordinum diſciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipſi in dies audaciores evadunt: placuit Sacræ Congregationi ex ordine Sanctiſſimi ſtatuere; vt ſi quis Regularium inpoſterum, temere, levivè ex cauſa hanc almam Vrbem, ſeu Curiam abſque ſui Superioris licentia, & ſupradicta forma prætermiſſa adire præſumpſerit, ad ſuos eoſdem Superiores ſeveriori pœna plectendus remittatur.

Item declaramus in Capitulo Romano 1558. decretum fuiſſe contra facinoroſos hoc modo. Denunciamus in noſtro Diffinitorio fuiſſe concluſum, & decretum: quod Reverendi Provinciales cum ſuo Diffinitorio, vel cum quatuor Patribus Provinciæ, aut qui fuerunt aliquando Diffinitores Provincialis Capituli; delictis maioribus, & facinoroſis hominibus poſſint adhibere pœnas extraordinarias (etiam triremium) in delictis gravioribus apud ſeculares notis. Qui autem ad triremes etiam ad tempus fuerint condemnati iuridice, & ſententia fuerit executioni mandata: ſunt ipſo iure irregulares: & privati perpetuo executione ordinum

ſuorum; cuius privationis mentio inſeratur in ſententia diffinitiva. Quod etiamſi non inſeratur, illi tamen ſunt ea executione de facto privati.

Item declaramus, quod Priores Provinciales debent facere, quod in omnibus Conventibus ſuæ Provinciæ ſint firmi, & fortes carceres, vbi puniantur criminoſi, & rebelles: ſicut ordinatum fuit Bononiæ 1238. & Lugduni 1274. & apud Argentinam 1296. & iterum Lugduni 1536. & Romæ 1546. præceptum fuit Prioribus in quorum Conventibus carceres deputati non ſunt, vt infra ſex menſes, eos conſtitui, atque aptari ac muniri faciant: quod ſi realiter, & cum effectu non præſtiterint; careant in Provinciali Capitulo voce activa, & nullo modo admittantur ad illam. Et poſtea ibid. 1569. ſic habetur: Admonemus omnes Priores Conventuales, vt ordinationes de muniendis carceribus omninò mandent executioni: qui infra ſex menſes à notitia præſentium id non præſtiterint; à Priore Provinciali in viſitatione abſolvantur. Volentes quod ordinatio facta apud Carcaſſonam 1378. quæ eſt infraſcripti tenoris, obſervetur: Firmiter mandamus obſervari, vt quicunque frater alium fratrem de carcere extraxerit, vel ad exeundum, ſeu ad frangendum carcerem, inſtrumentum aliquod alicui incarcerato, per ſe, vel alium miniſtraverit; carceri realiter, & de facto mancipetur. Et in Capitulo Lucæ 1288., & Toloſæ 1362. ſic dicitur: Volumus, & ordinamus, quod quicunque Frater noſtri Ordinis ad liberationem alicuius Fratris incarcerati operam dederit efficacem: ex præſentis ſtatuti ipſo facto excommunicationem incurrat; & pœnæ gravioris culpæ ſubiaceat. Declarantes, quod fratres incarcerati, non ſunt ipſo facto bonis, & rebus ſibi conceſſis privati: ſed debent conſervari vt poſſint ſuo tempore eis reſtitui, ſi Superiores hoc expedire iudicaverint; vel ad Conventus ſuos, vel ad eos in quibus detinentur deputati, ſicut fuit ordinatum apud Perpinianum 1327. & Burgis 1369. Et in Capitulo Ianuenſi 1513. ordinatum fuit, quod ſuadens alicui fratri fugam ex carcere, aut quomodolibet coadiuvans ad hoc: ſit ipſo facto privatus voce activa, & paſſiva, & pœnæ gravioris culpæ ſubiaceat; per dies decem intra menſem adimplendæ. Frangens autem ſeram carceris, per tres menſes ad carcerem deputemur; ita quod elapſis tribus menſibus, poterit à Prælato liberari.

Expenſas porro, quas fieri con-

contigerit, & pro captura, & pro carceratione Fratrum : à primo die detentionis, vſque ad diem eductionis eorum; ſolvant Conventus, quorum ſunt filij. Neapol. 1600.

q Si quis etiam alteri Fratri Ordinis, vel ipſi Ordini crimen &c.) Declaramus in iure communi ſtatutum eſſe, vt non probantes obiecta, & maximè contra Superiores; etiamſi ſe non obligaverint ad pœnam talionis, eadem ſunt puniendi, *extr. de calumn. cap. 2.* In Capitulo autem Romano 1580. illud ex Capitulo Avenionen. 1561. contra infamatores fratrum confirmatum ſtrictiſſimè fuit : ne de cætero Frater aliquis, cuiuſcunque gradus, & conditionis exiſtat, ſcribere præſumat per ſe, vel per alios litteras criminoſas, ad quoſcunque intus, vel extra Ordinem; ſine proprii nominis ſubſcriptione. Item ibidem eſt ordinatum, graviſſimè eſſe puniendos detractores, etiamſi vera dicerent, contra ordinem charitatis : puniendos inquam vſque ad pœnam gravioris culpæ incluſivè; ſi Prælato de conſilio Patrum, pro rei gravitate; ita viſum fuerit. Si quis autem de Superioribus ſuis, crimina quæ probari non poterunt evulgare præſumpſerint, volumus eos per triennium carcerali cuſtodiæ mancipari. Et Romæ 1601. de mandato Clementis VIII. ordinatum, ac Valliſoleti 1605. confirmatum fuit, vt ſi qui tam temerarij, & audaces fuerint, nec Deum timentes, nec homines reverentes : vt Sanctiſſimo aliqua memorialia exhibere attentaverint, in quibus aliquid falſum contra fratres ſuos, & præcipuè contra Prælatos ſit contentum; ſeveriſſimè puniantur. Item vt pœnæ à Conſtitutionibus taxatæ, deficienti in accuſatione alicuius Fratris, addatur : quod hæc pœna omnino, & indiſpenſabiliter infligatur, & quod perpetuo inhabilis ſit ad quaſcunque dignitatis, & infamis; nec ei in tribunalibus fides aliqua adhibeatur. Quod tamen volumus intelligendum, quando delictum de quo alium accuſat, erit grave, & non aliter. Et Neapoli 1600. ordinatum fuit : quod ſcribentes libellos famoſos, non poſſint ſuper pœnis ſibi inflictis diſpenſari : niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale.

r In ſententiam excommunicationis &c.) Declaramus, excommunicationem eſſe duplicem; altera eſt iuris, & altera Iudicis. Iudicis ea eſt, quæ à Iudice, vel Superiore poteſtatem habente, in ſcriptis,

tis, per verba in Prologo præſcripta, trina monitione canonica præmiſſa, profertur. Iuris illa eſt, quæ in lege ſcripta, per eadem verba, exprimitur. Quarum numerum, pro notitia fratrum, inquantùm eos attingere poſſunt, volumus adiungere.

Iſtæ ſunt Excommunicationes à Conſtitutionibus.

1 QVicumque apoſtataverit. *Cap. de Apoſtat.*

2 Litteras Magiſtri Ordinis, vel Provincialium, ſeu ſigilla eorum falſificaverit, vel falſificatis ſcienter vſus fuerit. *Ibidem.*

3 Vt cura Monialium, vel quarumcumque mulierum Fratribus Ordinis, ſine licentia Magiſtri Generalis committatur, curaverit. *Cap. de Domibus conced.*

4 His quæ circa electionem Magiſtri Ordinis ſtatuta ſunt contraire præſumpſerit. *Cap. de Electio Magiſtri Ordin.*

5 Cauſam depoſitionis Magiſtri vel Provincialium, vel eorum exceſſum, aut correctionem; vel ſecretum Capituli, diſſenſiones Diffinitorum vel Fratrum, vnde Ordo poſſit turbari vel infamari, extraneis publicaverit, *Cap. de Capitulo Generali.*

6 Ad diviſionem Ordinis, verbo vel facto laboraverit, *Ibidem.*

7 Si Provinciales Diffinitoribus vel Diffinitores Provincialibus, per ſuas diffinitiones præiudicaverit. *Ibidem.*

8 Bullas prædicaverit, aut quæſtus extraneos, vel perſonales fecerit, ſine licentia Magiſtri Ordin. *Cap. de Prædicat.*

9 Ad inferiorem dignitatem Epiſcopali, extra Ordinem electo licentiam acceptandi dederit, vel eandem dignitatem acceptaverit. *Cap. de itinerant.*

10 Gradum Magiſterij, niſi quatuor annos in aliqua Vniverſitate legiſſet, acceptaverit. *Cap. de Student.*

11 Ad legendum pro forma, & ad honorem Magiſterij, ſine approbatione Capituli promotus. *Conſtitut. Bonif. IX.*

12 Examinatores, ſi ignarum linguæ Latinæ, & ad habitum vel profeſſionem Capitulo propoſuerint. *Cap. de Recipiend. ex Conſt. Sixti V.*

13 Prælati, qui non probatæ vitæ pro ſuſcipiendis Sacris Ordinibus, vel non in legitima ætate conſtitutos miſerint, *Capit. de Itinerantib.*

14 Prælati: qui non ſufficientes, nec per quinque aut ad minùs tres examinatores, aliquos ad prædicationis officium, aut confeſſiones ſecula-

la-

larium, & Fratrum excipiendas admiſerint. *Cap. de Prædicatoribus.*

15 Prælati, qui ædificium notabile, ſine aſſenſu maioris partis Patrum à conſilijs, & conſilio peritorum, ac licentia Provincialis inchoaverint; vel veteri derelicto, novum inceperint. *Cap. de Domib. conced. ex Conſtit. Sixti V.*

16 Gratias aliquas, vel pœnarum remiſſionem, per perſonas extra Ordinem conſtitutas, non autem ex Ordine aſſumptas poſtulaverint. *Cap. de Grauiori Culpa.*

Sequentes Excommunicationes ſunt ex iure communi, quæ poſſunt afficere Regulares.

SI quis violentam manum in Clericum iniecerit. *Can.* Si quis ſuadente 17. q. 4.

2 Sacramenta Euchariſtiæ & extremæ vnctionis ſecularibus extra caſum neceſſitatis, ſine licentia miniſtrare, vel matrimonia ſolemnizare ſine licentia Parochorum præſumpſerit. *Clem. de Privil.* Religioſi.

3 Ad vovendum, iurandum, vel promittendum vt ſepulturam in Eccleſijs Ordinis eligant, ſeculares induxerit. *Clem. de pœnit. Cap.* Cupientes.

4 Interdictum S. Sedis violaverit *Cap.* Si Dominici, *de pœnit. & remiſſ.*

5 Pro ingreſſu Religionis aliquid dederit, vel receperit. *Cap.* Sanè. *de Simonia.*

6 Partem adverſam in materia de peccato Originali Beatæ Virginis Mariæ hæreſis, aut peccati mortalis damnaverit. *Cap.* Grave nimis, extra: *de Reliq.*

7 Miracula falſa vel incerta, aut prophetias in Biblijs non contentas, in Sermonibus publicè prædicaverit; vel Epiſcopis, & ſtatui eorum detraxerit. *Concil. Lateranen.* ſeſſ. 11.

8 Eos qui rogati vel inducti, vt aliquem in Monaſterijs eligerent, noluerunt eligere; ſpoliaverit, vel perſecutus fuerit *Cap.* Sciant cuncti, *de elect. in 6.*

9 Decimas ad ſe non ſpectantes, appropriare ſibi præſumpſerit. *Cap.* Religioſi, *de Decimis.*

10 Vt Leges, vel Phyſicam audiat, extra clauſtra exierit. *Cap.* Vt periculoſa. *Ne Clerici in 6.*

11 Nova loca vel domos ad habitandum receperit, vel recepta mutaverit, aut tranſtulerit ſine licentia. *Cap.* Vnicus, *de exceſſib. in 6.*

12 Ad curias Principum abſque licentia, vt Prælatis ſuis vel Monaſterio damnum inferat, acceſſerit *Clement.*

Ne

Ne in agro . *De ſtatu Monach.*

13 Libros interdictos legerit, aut detinuerit. *Bulla Cœnæ Domini.*

14 Religionis habitum profeſſus, temere dimiſerit. *Capit.* Vt perniciosa. *Ne Cleric. in 6.*

15 Matrimonium contraxerit. *6. Clem. de Conſanguin.*

16 A ſolutione decimarum auditores ſuos retraxerit. *Cap.* Cupientes, *de pœnis.*

17 Interdictum à matrice Eccleſia ſervatum, non ſervaverit. *Cap.* Ex frequentibus. *de ſententia excommunicat.*

18 Abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ad alium Ordinem, excepto Carthuſiano, tranſierit. *Cap.* Viam ambitioſæ, extra, *de Regularibus.*

19 Intra ſepta Monaſterij arma tenuerit. *Cap.* Ne in agro, *de ſtatu Monach.*

20 Libros ſine licentia Ordinarij vel Inquiſitoris impreſſerit. *Concil. Lateranen.*

21 Bona Eccleſiaſtica quoquomodo alienaverit, vel vltrà triennium locaverit. *Paulus II. in Extrem.* Ambitioſæ.

22 A caſibus in Bulla Cœnæ Domini abſolverit, *in eadem Bulla.*

23 Licere Sacerdoti exiſtenti in peccato mortali, non præmiſſa confeſſione, habita tamen copia Confeſſoris, celebrare defenderit. *Concil. Trident.* ſeſſ. 13. cap. 11.

24 Monaſteria Monialium ſine licentia ingreſſus fuerit. *Idem* ſeſſ. 25. cap. 5. Et abſque neceſſitate. *Gregor. XIII.*

25 Mulierem ad ſuſcipiendum habitum Religionis, vel emittendam profeſſionem coegerit: vel alicui ex his actibus conſenſerit, vel eum ſua præſentia authorizaverit. *Ibidem* cap. 18.

26 Ne aliqua mulier Religionis habitum ſuſcipiat, vel profeſſionem emittat, ſine iuſta cauſa impedimentum præbuerit. *Ibidem*, cap. 16.

27 A Novitijs & Novitiabus, vel curatoribus eorum, aliquid præter victum & veſtitum, ante profeſſionem ſi Superior Monaſterij receperit. *Ibidem*, cap. 16.

28 Lector, ſi non præmiſſa profeſſione Fidei, Theologiam, vel Philoſophiam, aut Artes liberales legerit. *Pius IV. Cap.* In ſacroſancta.

29 In Decreta Concilij Tridentini, ſine licentia Apoſtolica commentarios, gloſſas, vel annotationes edere præſumpſerit. *Pius IV. Cap.* Benedictus.

30 Mulieres intra Conventum introduxerit aut admiſerit. *Pius IV. Cap.* Regularium.

31 Per litteras, aut internuncios confiterì, vel abſolutionem eodem modo recipere, ſi quis docuerit. *Clem. VIII.*

32 Officiales ſancti Officij in perſonis vel rebus offenderit *Pius IV. Cap.* Si de protegendis.

33 Inquiſitores, & eorum Officiales, qui odij vel amoris, lucri aut commodi temporalis cauſa, contra conſcientiam omiſerint procedere: aut falſo contra aliquem de hæretica pravitate proceſſerint. *Cap.* Multorum *de hæreticis*.

V I.

§ SI quis autem tale quid extra Monaſterium commiſerit, Frater qui cum eo eſt ſtudeat eius exceſſum Prælato quantocius corrigendum intimare. Correctus verò ad locum in quo tale quid commiſit, vlterius non redeat: niſi ita religioſe converſatus fuerit; quod per Diffinitores Generalis, vel Provincialis Capituli illuc reverſurus iudicetur. Si vero huiuſmodi peccatum occultum fuerit, diſquiſitione ſecreta ſecundum tempus, & perſonam, condignam agat pœnitentiam.

§ Si quis autem tale quid extra Monaſterium commiſerit.) Declaramus, quod licet in Capitulo Burdigalæ 1324. fuerit declaratum, hanc culpam ad lapſum carnis iuxta Conſtitutionis ſeriem tantummodo debere referri: tamen etiam referenda eſt ad alia crimina; quæ fuerunt præmiſſ.; ſcilicet furtum: percuſſionem gravem, ſeu lethalem &c. Hæc enim crimina cum ſcandalum generent extra Monaſterium commiſſa, indigent remedio in præſenti adhibito.

Item volumus, vt Superiores meminerint Decretorum Concilij Tridentini pro delinquentibus extra clauſtra. Primum ita habet *ſeſſ. cap.* 3 *Nemo ſecularis, Clericus, vel Regularis, extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis privilegij prætextu, tutus cenſeatur: quominus ſi deliquerit ab Ordinario loci tanquam ſuper hoc a Sede Apoſt. delegato, ſecundum canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi valeat.* Alterum eſt *ſeſ-*

ſion.

ſion. 25. cap. 14. huiuſmodi. *Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui inter clauſtra Monaſterij degit, & extra ea ita notorie deliquerit: ut populo ſcandalo ſit: Epiſcopo inſtante à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſevere puniatur; ac de punitione Epiſcopum certiorem reddat. Sin minus, a ſuo Superiore, officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.* Pro cuius decreti executione, Clemens VIII. hoc addidit. *Caterum ſi Superior in delinquentem Fratrem vt ſupra non animaduerterit, quinimo ſi illum impunitum ad alia ſuorum Ordinum loca extra Epiſcopi Diœceſim tranſmiſerit: volumus motu proprio, & authoritate Apoſtolica decernimus, vt Superior inſtante Epiſcopo, infra terminum ab Epiſcopo præfigendum, ſub pœnis indignationis noſtræ, privationis officiorum & dignitatum, ac inhabilitationis ad illa & alia, & privationis vocis activæ & paſſivæ, (ad quæ non niſi per Sedem Apoſtolicam reſtitui poſſit) ipſo facto incurrendis; ipſum Regularem delinquentem à loco ad quem tranſmiſſus fuit revocare, & in quo deliquit conſtituere teneatur. Quod ſi hoc facere prætermiſerit, ſtatuimus, vt Ordinarius loci ad quem delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab Ordinario loci in quo deliquit requiſitus, vel alias de illius delicto informatus; tanquam Sedis Apoſt. delegatus prædictum Concilij decretum omnino exequi, & in delinquentem Regularem ſevere animadvertere poſſit & debeat.*

VII.

t SI quis autem de mala familiaritate notabiliter ſuſpectus fuerit, & poſt admonitionem à Prælato, de conſilio diſcretorum Fratrum coram eiſdem pluries ſibi factam ſe non correxiſſe deprehenſus fuerit: præcipiatur ei in virtute ſanctæ obedientiæ per Prælatum, coram illis coram quibus pręmonitus fuerat, ſi præſentes fuerint; vel coram alijs decretis de conſilio eorundem, vt à tali familiaritate deſiſtat. Quod ſi tale præceptum tranſgreſſus fuerit, poſtquam hoc legitime conſtiterit, tanquam reus & conuictus de ſuſpecto crimine habeatur.

t Si quis de mala familiaritate.) Declaramus, quod Re-

Religioſi debent evitare conſortium & familiaritatem mulierum: tum propter periculum, quia multi Epiſcopi & Clerici poſt magnalia & ſigna miranda ſanctitatis naufragari noſcuntur propter mulierum conſortia, vt dicit Sanctus Auguſtinus; tum propter infamiam, quam ex tali familiaritate incurrunt, & bonum nomen amittunt, quod debet magis conſervari, quam divitiæ: tum tertiò propter notam talis exempli; quia cum viri perfecti inhærent prædictis familiaritatibus, dant occaſionem minoribus idem faciendi, & cum ſint infirmi, de facili in peccatum corruunt. Vnde nec propter vtilitatem temporalem, nec propter deſiderium ſalutis debent Religioſi cum mulieribus converſationem aut familiaritatem habere, ſicut dicit Sanctus Auguſtinus: præcipuè quando mulieres ſunt innuptæ, & maxime iuvenes, vel quæ continentiam ſervant, ſub ſpecie vel habitu ſanctitatis; de quibus Sanctus Hieronymus admonebat: *Fęminam, quam videris bene converſantem, mente dilige, ſcilicet ſecundum Deum non corporali converſatione*, vt habetur diſt. 32. cap. *Hoſpitiolum*.

Item denunciamus, in Capitulo Romano 1566. & 1571. & Barcinonæ 1574. ſub pœna gravioris culpæ per vnum menſem pro prima vice, pro alijs vero vicibus ad arbitrium Prælati: ac deinde Romæ 1580. & 1583. ſub eadem pœna gravioris culpæ; atque deinde Venetijs 1592. ſub pęna privationis omnium graduum, dignitatum, ſive officiorum, vocis activæ & paſſivæ, aut carceris per ſemeſtre reſpective, præceptum, atque etiam a Sacra Congregatione Regularium ex ordine expreſſo Sixti V. ordinatum fuiſſe: ne aliquis, exceptis Superioribus, Viſitatoribus, & Confeſſoribus ordinarijs, & extraordinarijs, in his dumtaxat, ſine quibus officium ſuum exercere non poſſunt; extra caſum neceſſitatis, ſine debita licentia audeat ad Monaſteria Monialium cuiuſcumque Ordinis accedere: nec cum ijſdem loqui, aut litteras, nuncios, vel munera illis mittere, vel ab eis accipere; etiam ſi pro ſaçro faciendo, concioneſve habendas, ad præfata Monaſteria miſſus fuerit. Admonentes AA. RR. PP. Provinciales, vt nonniſi perſonas ætate graves, maturas, ac diſcretas; religioſiſque moribus ornatas, in Monialium Confeſſores præficiant, vt earum ſaluti ſpirituali, & profectui in via Dei conſulere poſſint.

Si

V I I I.

u SI quis, per coniurationem, vel conſpirationem, vel malitioſam concordiam aduerſus Priores, vel Prælatos ſuos manifeſte ſe erexerint, ſupradicto modo pęniteant: & de cætero in omni vita ſua extremum locum ſui Ordinis teneant; & vocem in Capitulo non habeant. Neque eis aliqua committatur obedientia, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Diffinitores Capituli Generalis, vel Prouincialis fuerint reſtituti.

u Si quis per coniurationem &c.) Declaramus, ad tollendas rebelliones, & conſpirationes, ordinatum fuiſſe in Capitulo Romano 1525. vt nullus ad Superiores recurrat contra Provincialem pro eius amotione impetrandas, aut pro impetrando Viſitatore; niſi habeat commiſſionem à maiori parte Priorum illius Provinciæ: oppoſitum autem faciens ipſo facto pœnæ gravioris culpæ ſit ſubiectus. Et in Capitulo Lugdunenſi 1536. & Romano 1539. dicitur: Declarantes, quod ſubſcriptiones litterarum, & conſenſus Fratrum, non poſſunt fieri à Conventibus; niſi Patres, & Fratres ſubſcribentes, & conſentientes ſint inſimul congregati, in aliquo vno loco: & hoc idem dicimus de Patribus Provinciæ ſubſcribentibus ſe, vel conſentientibus in aliquibus litteris. Et quod videantur, & ſciantur, quæ in litteris continentur, & ſcribuntur, & hoc ſub pęna gravioris culpæ, declarantes, & determinantes, omnia quæ in contrarium fient, eſſe irrita, & invalida, & nullius roboris, vel momenti. Admonentur etiam Fratres in Capitulo Romano 1558. vt ſervent hanc ordinationem, cum iam conſtitutio facta ſit. Item declaramus in Capitulo Valentino 1596. ſic haberi: Ordinamus, & inviolabiliter obſervandum præcipimus, vt Fratres ad pęnam gravioris culpæ condemnati, in Conventibus parvis minimè aſſignentur: ſed in magnis; vbi ſuas pęnitentias humiliter adimplere, & melius Obſervantiæ Regulari operam dare poſſint. Ordinamus etiam, vt in poſterum defunctorum Fratrum proceſſus comburantur, dummodo ſine præiudicio iuſtitiæ, eorum qui vita ſuperſtites ſunt, fieri poſſit. Quod etiam antea Romæ 1596. fuerat

rat ordinatum. Viventium autem proceſſus, nulla ratione permaneant apud Fratres, ſub pœnis gravioris culpæ, tam poſitivis, quam privativis: ſed apud RR. Provinciales ſucceſſive tuto ſerventur. Romæ 1580.

I X.

* SI qui tamen Fratres, non malitioſe, ſed in veritate aduerſus Prælatum ſuum aliquid habuerint, quod tolerari non debeat, nec deceat: prius eum inter ſe cum omni humilitate, & charitate de ſua correctione admoneant. Quod ſi frequenter admonitus ſe corrigere neglexerit, aut contempſerit; Priori Prouinciali ſignificent, vel Viſitatoribus: vt cum ad eandem domum viſitandam venerint, cauſa manifeſte iudicetur; & Diffinitoribus Capituli Generalis, vel Prouincialis ſignificetur. Aliter Prælatos ſuos ſubditi infamare non præſumant. Statuimus, quod ſi quis nefandum crimen concubitus contra naturam, homicidij, vel propinati (etiam effectu non ſubſecuto) veneni commiſerit: perpetuo carceri ſit addictus; à quo nec per Capitulũ Generale poſſit ante annos viginti liberari. Et nihilominus pœnis alijs puniatur, ſecundum Prælati diſcretionem.

* Si qui tamen Fratres non malitioſe &c.) Declaramus, quod cum correctio fraterna ſit actus caritatis, quæ ſe extendit ad æquales, & ad ſuperiores: tenentur ſubditi ex præcepto charitatis corrigere Prælatum, & admonere; ſi in eo graues defectus animadverterint; etiam ſi illi defectus non in damnum boni communis, ſed tantum in detrimentum Prælati, tanquam privatæ perſonæ, cederent. Quod ſi etiam Communitati, propter illos defectus Prælatus noceret; non tantum ex charitate, verum etiam ex iuſtitia, tenentur ſinguli, etiam cum periculo admittendæ eius gratiæ, illum corrigere. Correctione tamen, vt docet Sanctus Thomas 4. ſent. diſt. 19. humili cum manſue-

ſuetudine, & reverentia, non autem correctione punitiva, aut increpativa, iuxta illud: *Seniorem non increpaveris*. 1. Timoth. 5. Ad hanc correctionem cum humilitate, & charitate factam, ſi mores inordinatos, & publice ſcandaloſos non emendaverit Prælatus: debent ſubditi Provinciali ſignificare, quemadmodum Conſtitutio diſponit.

CAP. XIX.

De Grauiſſima Culpa.

I.

a GRauiſſima culpa eſt, incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet admittere, & pœnas recuſat ferre: vel ex earum ſæpius repetita inflictione, iudicio diſcretorum cognoſcitur non proficere. Talis de conſilio diſcretorum, carcerali cuſtodiæ mancipetur, & ibidem ſecundum exigentiam culparum, iuxta diſcretionem Prælati, ieiuniis, & abſtinentijs puniatur, vel ſecundum Regulam Sancti Patris noſtri Auguſtini, ſi magis expediens iudicatur; *b* per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale aut Prouinciale, exutus habitu Ordinis, de ordine noſtro expellatur. Quod tamen mature fiat, itàut appareant geſta cum toto proceſſu, & ſententia in ſcriptis, & cum debitis ſubſcriptionibus, & ſigillis, & hoc ſi talis ſani capitis, & integri ſenſus vſque ad illam horam extitiſſe cognoſcitur: Nullus autem cum habitu ordinis, ob quamcumque cauſam criminalem a ſua Provincia eijci poſſit, ſimpliciter, vel ad tempus: niſi a Magiſtro ordinis, vel Generali Capitulo. *c* Si aliqui ſunt, qui iudicio diſcretorum ſine graui periculo, vel ſcandalo in communi tolerari non poſſint: in carcerem recludantur.

a Grauiſſima culpa eſt.) Declaramus, hoc Capitulum de Graviſſima culpa fuiſſe antiquitus confirmatum Pariſijs 1276. poſtea vero Avenione 1561.

1561. ex duobus Capitulis immediate præcedentibus, per modum inchoationis, & confirmationis, quod aliqua fuiſſe innovatum iſtis verbis: Confirmamus, quod in diſtinct. 1. cap. 19. de graviſſima culpa, vbi dicitur: Graviſſima culpa eſt incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet admittere, & pœnas recuſat ferre, addatur: Vel ex earum ſæpius repetita inflictione, iudicio diſcretorum, cognoſcitur non proficere. *Et infra*, vbi dicitur: Si magis expediens iudicabitur, addatur: Per Magiſtrum Ordinis, *vel* Capitulum Generale, aut Provinciale. Et poſt verbum, expellatur, hæc addantur. Quod tamen mature fiat, itaut appareant geſta cum proceſſu, & ſententia in ſcriptis, & cum debitis ſubſcriptionibus, & ſigillis. Et hoc ſi talis ſani capitis, & integri ſenſus, vſque ad illam horam extitiſſe cognoſcitur. Et hæc habent tria Capitula.

b Per Magiſtrum ordinis, vel Capitulum Generale, aut Prouinciale exutus.) Declaramus in antiquioribus Capitulis Pariſienſi 1279. Florentino 1280. Pariſienſi 1286. Argentin. 1307 Cæſarauguſtano 1309. & apud Montem Peſulan. 1316. ordinatum, & confirmatum fuiſſe, quod nullus Prior Conventualis, nec Supprior, nec Vicarius poteſt aliquem Fratrem in Ordine noſtro profeſſum, habitu exuere, & ab eodem Ordine licentiare, vel alias ex Ordine expellere, ſine licentia Generalis Magiſtri, vel Prioris Provincialis; ſicut etiam per Ioannem XXII. in quadam Bulla declaratum fuit, cum hac pœna adiecta: vt illi, qui contra hoc fecerint, ſint ipſo facto a ſuis officijs abſoluti. Sed poſtea per hanc Conſtitutionem Avenione factam, etiam Provinciales prohibentur, ſoli abſque Provinciali Capitulo aliquem habitu exuere, aut ex Ordine expellere: neque hoc eſt contra prædictam Ioannis XXII. determinationem. Nam in ea dicitur, quod Provincialis poſſit habitu aliquem exuere &c. non tamen dicitur, quod ſolus, & ſine conſilio hoc poſſit facere: nova autem Conſtitutio hoc decernit, quod faciat id quidem Prior Provincialis, ſed non ſine Provinciali Capitulo. Itaque Vicarius Provinciæ, non poteſt aliquem Fratrem habitu exuere, aut ex Ordine expellere.

Quod autem attinet ad licentiam ad alios Ordines tranſeundi, ſic ſtatutum fuit Bononiæ 1625. Quoniam vero interdum ex Ordine noſtro ad alios Ordines, non matura in-

ſpectione præmiſſa, ab aliquibus noſtris Fratribus facilem transitum fieri comperimus, vnde poſt brevem lapſum temporis eoſdem ad Ordinem noſtrum redire procurantes, & inſtantiſſime petentes, ex fraterna pietate, & charitate recipere compellimur: idcirco decernimus, & declaramus; vt ſi quis Fratrum noſtrorum ex noſtro Ordine in alium commigraverit, & denuo eo relicto ad Ordinem noſtrum rediens receptus fuerit, a tempore quo revertitur ad noſtrum Ordinem, numerus annorum, & antiquitas ratione loci illi computentur.

Item declaramus, quod non eſt etiam laudabile dimittere habitum unius Religionis, & tranſire ad aliam Religionem, niſi propter magnam vtilitatem, vel neceſſitatem; tum quia plerumque ſcandalizantur illi Religioſi, qui relinquuntur; tum etiam quia facilius proficit aliquis in Religione, in qua conſuevit, quam in alia, in qua non conſuevit, cæteris paribus. Vnde in collationibus Patrum Abbas Neſtorius dicit: *Vnicuique vtile eſt, vt ſecundum propoſitum quod elegit, ſummo ſtudio, ac diligentia ad operis incepti perfectionem peruenire feſtinet; & nequaquam a ſua quam elegit profeſſione diſcedat.* Et poſtea rationem aſſignat, dicens: *Impoſſibile namque eſt, vnum, eumdemque hominem, ſimul vniverſis fulciri virtutibus: quas ſi quis voluerit ſimul attentare, in iſtud incidere eum neceſſe eſt; vt dum omnem ſequitur, nullam integre conſequatur. Diverſæ enim Religiones præeminent, ſecundum diverſa virtutum opera.*

c Si aliqui ſunt, qui iudicio diſcretorum, ſine graui periculo, vel ſcandalo in communi tolerari non poſſint, in carcerem recludantur.) Declaramus, quod cum utilitas communis ſit præponenda vtilitati vnius: quando aliquis eſt ita ſcandaloſus, & periculoſus, quod eius converſatio nocet Communitati, nec alij poſſunt eius mores pravos & perverſos ferre: & potius eligerent è Monaſterio exire; quam cum tali ſcandaloſo ſtare, debet talis ab alijs ſeparari, & in carcerem recludi, vt habetur 25. quæſt. 4. cap. *Reſecandæ*. Si vero talis eſſet incorrigibilis, & non poſſet aperte corrigi, capi, vel detineri, & recuſaret pęnitentias pro delictis ſuis impoſitas facere: poſſet modo ſupradicto exui habitu, & ab Ordine expelli; ſi tamen eſſet integri ſenſus. Ille autem, qui propter culpam

ſuam expellitur à Prælato, adhuc eſt ſuus ſubditus; ſicut ovis morbida, licet ſit expulſa à grege, adhuc eſt paſtoris. Vnde taliter expulſus, non eſt abſolutus ab obedientia Prælati; quouſque tranſierit ad aliam Religionem, & in ea fecerit profeſſionem: ſicut ponit Magiſter Humbertus ſuper Regulam. Et eſt advertendum, quod totum iſtud Capitulum *de Grauiſſima Culpa*, fuit confirmatum in Capitulo Pariſijs 1276.

CAP. XX.

De Apoſtatis.

I.

a QVicumque apoſtatauerit, ipſo facto ſit excommunicatus; quam ſententiam ferimus ex nunc præſenti ſtatuto. *b* Si vero miſertus ſui redierit, depoſitis in clauſtro veſtibus, nudus cum virgis in Capitulum veniat, & proſtratus culpam ſuam dicat, & humiliatus veniam petat: *c* & quandiù Prælato placuerit, pœna grauioris culpæ ſubiacebit; & in Capitulo nudus ſe præſentabit, ſemel in ſingulis ſeptimanis.

a Quicumque apoſtatauerit &c.) Declaramus, quod ille, qui per ſe Ordinem egreditur, & ſubito ac ſtatim reuertitur; non eſt iudicandus Apoſtata, nec incidit in pœnas Conſtitutionum. Quia tamen actum apoſtaſiæ commiſit, debet ab excommunicatione abſolui, & ad cautelam ad gratias Ordinis reſtitui: ſicut fuit declaratum Ianuæ 1305. & in multis alijs Capitulis. Declarantes, quod quilibet Religioſus tenetur deferre patenter habitum ſuæ Religionis, cum procedit in publicum: quicumque autem temere habitum ſuæ Religionis dimiſerit, peccat mortaliter; & eſt excommunicatus de iure. C. *Vt periculoſa*, *tit. de Apoſtat.*

Item declaramus, quod ad refrenandum damnoſum Apoſtatarum diſcurſum, Magiſter Ordinis de Diffinitorum conſilio, & aſſenſu in Capitulo Pariſienſi 1269. poteſtatem conceſſit Prioribus Conventualibus, & Provincialibus, ac eorum Vicarijs: vt apoſtatas, quos infra terminos ſuos invenerint vndecumque venientes;

poſſint excommunicare, capere, ligare, & alias ſubijcere Ordinis diſciplinæ. Inſuper conceſſit, & commiſit eiſdem, vt ſi aliquos ceperint, vel incarceraverint; ipſos ab excommunicatione poſſint abſolvere. Et in Capitulo apud Montem Peſſulanum 1294. ſic dicitur: Admonemus vniverſos Priores Provinciales, & Conventuales, & eorum Vicarios: vt iuxtà ordinationem Capituli Florentini celebrati anno Dom. 1281. diligentiùs laborent pro apoſtatis reducendis; ex quorum præſentia & diſcurſu, Conventibus, & Fratribus ſcandalum generatur, vbicumque infra ſuos terminos poterunt eos invenire. Quod ſi facere non poterunt, ſententia excommunicationis innodatos publicè denunciari procurent; vt ſic ſaltem ab alijs evitentur. Volumus autem, quod expenſæ, quæ in ipſorum captione, vel detentione fient; à Provincijs, vel Conventibus, de quibus fuerint, plenè, & promptè ipſis capientibus, vel detinentibus refundantur: quod idem fuit ordinatum Palentiæ 1291.

Item declaramus in Capitulo Salmanticæ 1551. ordinatum fuiſſe Prælatis, vt in recipiendis apoſtatis, & ijs qui per Brevia Apoſtolica plures annos habitum dimiſerunt, quam diligentiſſimè attendant, ne totam maſſam modico fermento corrumpant: & caveant ne ex nimia erga paucos miſericordia, crudeles in Communitatem inveniantur. Vbi etiam declaratur, quod illi qui ad Civitates ſuſpectas de hæreſi acceſſerunt, vel poſthac accedent, nullo modo, niſi tanquam apoſtatæ recipiantur, & declaramus, in Capitulo Bononienſi 1564. ſic haberi; Admonemus RR. Provinciales, vt ſi quando Fratres apoſtatas, qui quondam ſcandaloſe vixerint, receperint ad ordinem, eos ad illos Conventus mittant, in quorum Terris tam manifeſta non ſit eorum infamia; etiamſi aliorum Conventum ſint filij, quorum filiationem non intelligantur amiſiſſe. Et poſteà in Capitulo Romano 1571. ſic dicitur: Concedimus omnibus Provincialibus, ac etiam Prioribus Conventualibus, vt iuxta tenorem noſtrarum Conſtitutionum poſſint recipere apoſtatas ad eos revertentes, etiam poſt decennium in apoſtaſia elapſum: non obſtante quacumque ordinatione, per quam aliter ordinetur.

b Si verò miſertus ſui redierit.) Declaramus, quod quidam prætendere poſſent ſe non fuiſſe apoſtatas, quia de licentia Sedis Apoſtolicæ habitum dimiſerunt, & propterea in

in Capitulo Romano 1553. pro his, & ibidem 1558. pro his, & alijs ordinatum fuit; quod qui de licentia Sedis Apoſtolicæ, noſtræ Religionis habitum dimiſerunt: nullatenus de cætero recipiantur, niſi proceſſu ſuper eorum indulto facto, diligenter examinato. Et ſi vera & rationabilis cauſa aſſignata & probata fuiſſe inveniatur, abſque pœnitentia recipiantur: ſi autem cauſa rationabilis, & vera non inveniatur, & conſequenter Breve ſubreptitium, nonniſi vt apoſtatæ recipiantur. Ita tamen, quod qui per quatuor annos extra Ordinem, quovis modo ſine habitu ſteterunt, non recipiantur, niſi de ſpeciali licentia Magiſtri Ordinis. Addentes, quod huiuſmodi ſine habitu ad Ordinem revertentes, etiamſi non vt apoſtatæ, ſed vt legitimè diſpenſati recipiantur; non tamen poſſint ante decem annos à ſua receptione promoveri ad vllam Ordinis dignitatem. Quod autem attinet ad authoritatem diſpenſandi Fratres, vt maneant extra Clauſtrum, ſervandum eſt Decretum Clementis VIII. quo conſtituit, ne de cætero, niſi in graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda, facultates manendi extra Clauſtra concedi poſſint.

c Et quamdiù Prælato placuerit &c.) Declaramus quod hoc intelligitur propter ſolam apoſtaſiam: pro alijs autem delictis, quæ in ipſa apoſtaſia, vel in Ordine cum habitu inventus fuerit commiſiſſe; ſecundum rigorem Ordinis & Conſtitutionum, pœna debita puniatur, ſicut declaratum fuit apud Biſuntinum, 1353.

Item apud Narbonam 1354. ſic dicitur: Declaramus, quod committens crimina, ſeu peccata in ipſa apoſtaſia: puta, furte, adulteria, & huiuſmodi, propter talia ſic commiſſa, pari pœna debet plecti, & puniri, ac ſi dicta crimina in Ordine exiſtens perpetraſſet.

Item in Capitulo apud Lugdunum 1318. ſic dicitur: Cum apoſtaſia culpam non minuat, ſed potius augeat, & pro quibuſdam criminibus à Fratribus commiſſis, circumſcripta omni apoſtaſia, eis debeatur cuſtodia carceralis: volumus, & ordinamus, quod ſi aliquis Frater ante apoſtaſiam aliquod tale crimen commiſerit, de quo non ſatisfecit, vel etiam in ipſa apoſtaſia; ſi poſtea ad Ordinem etiam ſponte redierit, carcerali cuſtodiæ mancipetur,

I I.

INfra hoc tempus pœnitentiæ, vbique in Conuentu nouiſſimus erit: & duobus diebus in qualibet ſeptimana per annum in pane, & aqua ieiunabit, Et peracta pœnitentia, *d* ad priorem locum non redeat, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel per Diffinitorum Capituli Generalis, vel Prouincialis cum eo fuerit diſpenſatum. Quæ diſpenſatio non fiat per eoſdem ante tres annos ad minus; ita tamen quod anni, quibus fuerit in apoſtaſia, non computentur ei, quoad locum, *e* ſed ſit ſub illis omnibus, qui habent plures annos in Ordine, quam ipſe habuerit quando exiuit. Quod ſi ſecundo fugerit, & iterùm redierit: ſupradicto modo pœniteat, & priori anno ſecundus annus addatur. Si tertio tertius, ſi quarto quartus.

d Ad priorem locum non redeat.) Declaramus, quod Fratres, qui apoſtataverint, debent tenere infimum locum infra omnes Fratres Clericos, ſi ſint Clerici; & infra omnes Converſos, ſi ſint Converſi: & poſtquam compleverint in Conventu pœnitentiam, adhuc tenebunt vltimum locum vbique, & redire ſeu reſtitui non poſſunt ad illum locum, quem prius tenebant, quando receſſerunt, ſine licentia, & diſpenſatione Magiſtri Ordinis, vel Diffinitorum Capituli Generalis, vel Provincialis. Res autem, & bona ipſorum apoſtatarum debent ad Conventus illos, in quibus erant aſſignati, tempore quo apoſtataverunt liberè pertinere: ſicut fuit declaratum in Capitulo apud Traiectum 1330. ſed poſtea in Capitulo Florentino 1414., & apud Argentinam 1417. fuit facta Conſtitutio, quod huiuſmodi bona dividerentur inter Conventum originalem, & inter Conventum in quo erat aſſignatus.

e Sed ſit ſub illis omnibus, qui habent plures annos in Ordine, quam ipſe habuerit quando exiuit.) Declaramus, quod ex iſta clauſula

ſuâ manifeſtè apparet, quod Fratres debent tenere loca ſua in Choro & alibi, ſecundum quod habent plures, vel pauciores annos in Ordine à profeſſione ſua: ſeu ſecundum, quod poſt profeſſionem tacitam, vel expreſſam, diutius habitum noſtri Ordinis portaverunt; niſi ſint Magiſtri in Theologia, vel Bacchalaurei, qui ſententias legant, vel legerint in aliqua Vniverſitate. Et ità illi, qui poſt apoſtaſiam recipiuntur ad Ordinem, & fuerunt diſpenſati per Magiſtrum Ordinis, vel per Diffinitores Capituli Generalis, vel Provincialis, quod de infimo loco reducantur ad priorem locum, quem tenebant, quando habitum dimiſerunt: nihilominùs habebunt ſeu tenebunt locum infra omnes illos, qui plures annos habent à profeſſione ſua; quam haberent ipſi, quando ab Ordine receſſerunt: qui videlicet poſt profeſſionem ſuam diutiùs habitum noſtræ Religionis portaverunt, quam ipſi apoſtatæ. Vnde non ſolùm non computantur apoſtatis anni, quibus fuerunt in apoſtaſia quoad locum, ſed etiam anni, quibus fuerunt in pœnitentia pro apoſtaſia: quouſque reſtituantur ad priſtinum locum.

Item declaramus in Capitulo Romano 1546. ita diſponi: Confirmamus, quod Fratribus exemptis, vel eis, qui quomodolibet extra Ordinem (ideſt extra obedientiam Ordinis) manſerunt, non numeretur, nec computetur tempus illud inter alios annos ſuæ profeſſionis; ſi eos poſtea ad Ordinem reuerti contingat. Quod priùs fuerat declaratum Romæ 1542. Quapropter quando iſtis poſtea gratiæ Ordinis reſtituuntur, non intelligitur propterea tempus illud eis numerari, vel computari, inter alios annos ſuæ profeſſionis.

II.

OMnibus autem Fratribus, pro huiuſmodi pœnitentibus, humiliter in Capitulo deprecantibus, Prælatus cum eorum pœnitentiam perſpexerit, ſeis indulgere, vel remittere poterit: ſecundùm quod ſuæ diſcretioni viſum fuerit, vel placitum. Apoſtatæ vnius Conuentus, non recipiantur à Priore alterius Conuentus ad Ordinem in eadem Prouincia, ſine licentia Prioris Prouincialis: nec

nec apoſtatæ aliarum Prouinciarum, ſine licentia Magiſtri Ordinis ſpeciali. Si quis in apoſtaſia ordinatus fuerit, vel poſt excommunicationem Diuina celebrare præſumpſerit in ea; executione officij perpetuo carebit: niſi fortè poſtea ita religioſe conuerſatus fuerit, vt cum eo *g* authoritate Sedis Apoſtolicæ diſpenſetur. *h* Qui autem in apoſtaſia, ſed tamen ſine legitima Ordinis licentia ordinatus fuerit, ipſo facto ſit addictus carceri: ad minùs per quatuor menſes; ibidem ſecundum arbitriũ Prælati, pœnis alijs puniendus. Et poſtmodum non permittatur exequi Ordines ipſos ſine licentia Magiſtri Ordinis.

f Eis indulgere, vel remittere poterit.) Declaramus, quod in pœnitentia, quæ debetur apoſtatis pro apoſtaſia, poterit Prælatus indulgere quoad pœnas poſitivas gravioris culpæ, & quoad ieiunia in qualibet ſeptimana duobus diebus facienda, de quibus ſupra facta eſt mentio: non autem quoad pœnas privatiuas, de quibus infra dicetur; vt etiam ſupra declaratum eſt in *Capit. de Grauiori culpa*.

g Authoritate Sedis Apoſtolicæ diſpenſetur.) Declaramus, quod Magiſter Ordinis, & Priores Provinciales, à ſuſpenſione quam quis Frater incurrit ſuſcipiendo Ordines in apoſtaſia, vel celebrando Divina poſt excommunicationem, poſſunt authoritate Apoſtolica diſpenſare: ſicut patet *in Bulla aurea Sixti*, & in multis alijs Privilegijs Magiſtro Ordinis conceſſis.

h Qui autem non in apoſtaſia.) Declaramus, Conſtitutionem hanc fuiſſe deſumptam ex Capitulo Valliſoletano 1523. ex eo, quod, (vt in eodem Capitulo dicitur) habuit tria Capitula.

I V.

i QVi verò ſemel apoſtataverit, vel de lapſu carnis manifeſte convictus fuerit, vel carceri ſententia-

tialiter, & legitimè mancipatus: de cætero non prædicet, nec audiat confeſſiones, nec ad aliquam electionem Ordinis, nec ad aliquem tractatum eorum, quæ mittenda ſunt ad Generale, vel Prouinciale Capitulum admittatur; niſi per Diffinitores Capituli Generalis, vel Prouincialis, vel per Magiſtrum Ordinis fuerit reſtitutus. *k* Quæ reſtitutio non fiat per eoſdem, ante tres annos ad minus. Et ſi fuerit Prædicator Generalis, dicto officio ſit priuatus: nec poſſit habere officium Prioratus, vel Supprioratus, vel Vicariatus, vel Lectoratus: nec poſſit fieri Deffinitor Capituli Generalis, vel Prouincialis, nec Prædicator Generalis, nec Magiſtri Ordinis Elector, ſine licentia Magiſtri Ordinis ſpeciali. *l* Quicumque litteras Magiſtri Ordinis, vel Prioris Prouincialis, ſeu ſigilla eorum falſificauerit, vel eis ſcienter vſus fuerit ſententiam eandem incurrat excommunicationis latã, & priuationum dictarum ipſo facto.

i Qui vero ſemel apoſtatauerit, vel de lapſu carnis manifeſtè conuictus fuerit.) Declaramus, quod quicumque iudicialiter de lapſu carnis, vel de furto convictus fuerit, aut carceri mancipatus: talis ſit in perpetuum omni voce priuatus; & officio Prioratus, Supprioratus, Lectoratus, & Prædicationis, & Confeſſionis, nec poſſit ad prædicta reſtitui. Niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale. Rothomagi 1320.

Item in Capitulo apud Barcinonam 1349. ſic dicitur: Quicumque de lapſu carnis manifeſtè conuictus fuerit, de cætero non prædicet, nec audiat confeſſiones, nec ad aliquam electionem Ordinis admittatur: nec ante triennium vllo modo ad prædicta poſſit reſtitui per quemcumque. Et ſi reſtituatur, reſtitutio nullo modo valeat, ante triennium.

k Quæ reſtitutio non fiat per eoſdem ante tres annos.) Declaramus, quod in

in Capitulo apud Argentinam celebrato 1358. prædicta verba ſic fuerunt gloſſata: Non fiat, ideſt, fieri non poſſit per Deffinitores Generales, vel Provincialis Capituli ante tres annos: & ſic reſtituatur nullo modo valeat ante triennium.

Item declaramus, in Capitulo Romano 1569. ſic haberi: Ordinamus, & omnino obſervari volumus, vt apoſtatæ, qui poſthac ad Ordinem recipientur, etiamſi ad omnes Ordinis gratias admittantur, nunquam tamen ante 20. annos ad Prælaturæ officium poſſint aſſumi, & ſi ſecus factum fuerit, irritum omnino eſſe decernimus.

l Quicumque litteras Magiſtri Ordinis &c.) Declaramus, has pœnas additas fuiſſe illis, quæ in Capitulo *de Graviori culpa* taxantur, de quibus ſuperius loco citato dictum eſt.

DI-

DISTINCTIO SECUNDA

CAPUT I.

De Domibus concedendi, & conſtruendis.

a NVlla Domus concedatur, *b* niſi à Priori Prouinciali, & à Deffinitoribus Capituli Prouincialis fuerit poſtulata: nec conceſſa ponatur, *c* nec poſita transferatur; *niſi* vbi prædicti viderint expedire. *d* Fratres autem nouis domibus deputati. Conuentibus de quibus aſſumuntur, & ipſi Conuentus eiſdem quantum ad ſuffragia, ſicut ſuis Conuentualibus mutuo teneantur: quouſque Conuentus ibidem fuerit aſſignatus. Quantum vero ad omnia alia, dicti Fratres ad Domos prædictas ſimpliciter pertinebunt.

a Nulla Domus concedatur.) Declaramus, quod de iure antiquo communi, Religioſi Mendicantes non poterant novas Domos, vel nova loca ad habitandum recipere, nec recepta mutare, alienare, aut relinquere; ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, plene atque expreſſe, de prohibitione huiuſmodi mentionem faciente: alias fuiſſent excommunicati, vt habetur *de exceſſibus Prælator. cap. vnico.*, lib. 6. & in Clement. *Cupientes de pœnis*. Cæterum poſt diverſa Privilegia hac in parte Ordini noſtro conceſſa, Concilium Tridentinum decrevit ſufficere ſolius loci Ordinarij licentiam, ad hoc, vt Conventus & loca nova Mendicantes recipiant; dum ſtatuit illud ſeſſ. 25 de Regular. cap. 3. De cætero ſimilia loca non erigantur, ſine Epiſcopi in cuius Diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta, & ideo ab omnibus, Concilio Tridentino ſtandum eſt.

Item denunciamus, quod Clemens VIII. in quadam ſua Conſtitutione motu proprio præcepit, ne Epiſcopus licentiam dare poſſit, vt novi Conventus cuiuſcumque Ordinis Men-

Mendicantium erigantur niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Civitatibus: & locis, vbi erigi debent, exiſtentium Conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & alijs intereſſe habentibus, & cognita cauſa, quod novi, qui erigendi ſunt Conventus ſine aliorum detrimento commode ſuſtentari poſſint. Itaque in erectione, vel acceptatione novorum Conventuum, in quorum intereſt, meminerint, vt ab Epiſcopo licentiam petant: quod ſi non obtinuerint, Reverendiſſimum Magiſtrum Ordinis, vel eius Procuratorem admoneant.

b Niſi à Priore Prouinciali.) Declaramus, quod nullus Frater cuiuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtat, ſine licentia Generalis Capituli, vel Magiſtri Ordinis, ædificandorum Conventuum cauſa, poteſt vllo modo loca recipere. Quod ſi ſecus factum fuerit, talis receptio, ipſo facto ſit irrita, & inanis: ac huiuſmodi receptores ſint penitus omni voce, præterquam in ſui accuſatione privati; quæ eis à nemine, præterquam à Magiſtro Ordinis poſſit reſtitui.

Et caveant quam diligentiſſime Priores Provinciales, ne Domus aliquæ cum incongruis conditionibus, & gravibus oneribus recipiantur. Mandantes, quod Domus à Generali Capitulo conceſſæ, vel concedendæ, non ponantur in locis ità propinquis alijs Domibus, vt oporteat Fratres illarum Domorum occupare terminos Conventuum, æquitate ſervata ſtudeant limitare, ſicut ad pacem Fratrum, & ſalutem animarum viderint expedire: ſicut fuit ordinatum Pariſijs 1246. Oxonio 1280. Florentiæ 1281. & Ferrariæ 1290.

Item declaramus, quod Provinciæ, quæ Domos petunt a Generali Capitulo, debent nominare Civitates, & Oppida, in quibus eas petunt: & exprimere cauſas, quæ movent eos ad Domos huiuſmodi faciendas. Diſtricte prohibentes ne Priores Provinciales, & Deffinitores Capitulorum Provincialium, aliquem locum vllo pacto recipere audeant: niſi prius eis conſtiterit, eum locum eſſe idoneum ad Conventum ædificandum, per Fratres idoneos ad hoc inquirendum ſpecialiter deſtinatos: ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1261. & apud Peſtum 1273.

In Capitulo autem Valliſoletan. 1605. ſic dicitur: Ordinamus, vt nulla vnquam Domus, ſive Fratrum, ſive Monialium (etiam ad petitionem cuiuſcumque, etiam Principis) de-

deinceps conſtituatur, in qua novæ ceremoniæ, leges, ordinationes, pęnæ, pęnitentiæ, modus vivendi, vel veſtiendi, vel alia quæcumque, inducenda; & obſervanda ſint; quæ diſponant aliquid præter noſtras Conſtitutiones, vel Ordini noſtro contraria, & ab eo aliena eſſe videantur. Quod ſi ſecus recipiantur, receptio ipſo facto nulla ſit, & nullius roboris; ſicut de facto ex nunc pro tunc nullam decernimus, & declaramus. In Capitulo etiam Neapol. 1515. ordinatum eſt: *nullus recipiatur Conventus*, qui liberæ Superiorum diſpoſitioni non relinquatur, conformiter ad leges, & Conſtitutiones noſtras; & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.

c Nec poſita transferatur.) Declaramus in Capit. Barcinonen. 1574. R R. Provincialibus mandatum fuiſſe: vt ſi quæ repererint loca, vel Vicariatus, in quibus Religio minus apte foveri poſſit, quin potius otij, & diſſipationis diſciplinæ Regularis fomenta, & ſcandalorum occaſiones afferant; conſultis gravioribus Patribus, quo melius fieri poterit reddant, & relinquant omnino, cum ex his graviora mala ſequantur, ac maxima patiatur Religio detrimenta. Advertendum tamen eſt, quod Fratres Prædicatores, cum a priſtinis ſuis locis ad alia loca cum licentia ſe transferunt: poſſunt ſecum deferre omnium ædificiorum materiam (dedicatis Eccleſiæ dumtaxat exceptis) libros, calices, paramenta, atque alia bona: & poſſunt etiam ipſa ædificia cum ſolo & aliis ad ea loca pertinentibus, præterquam Eccleſias vendere, & eorum pretium in ſuam vtilitatem convertere: non obſtante quorumcumque Prælatorum contradictione; ſicut habetur in Bulla, quæ dicitur *Mare Magnum*.

Item declaramus Romæ 1571. ordinatione 11. præceptum fuiſſe omnibus Prælatis Ordinis noſtri ſub pœna abſolutionis ab officio, ne loca Conventuum Fratribus neceſſaria, vel quaſcumque officinas vlla de cauſa ſecularibus concedant, nec etiam ſub prætextu cuiuſcumque Fraternitatis. Si autem aliquid vſque modo conceſſum fuit, authoritate noſtra revocamus: irritam præſenti ſtatuto decernentes huiuſmodi conceſſionem. Et hæc ordinatio confirmata fuit Barcin. 1574. & Romæ 1580.

d Fratres autem nouis Domibus deputati.) De-

Declaramus, quod Fratres miſſi ad loca nova recepta, intelliguntur eiſdem locis omnino, & ſimpliciter aſſignati: ſed quoad ſuffragia Conventus, ex quibus fuerunt aſſumpti, & ipſi eiſdem Conventibus mutuò tenebuntur; quouſque Domus illæ fuerint in Conventus erectæ. Volentes, quod ad nova loca mittantur ſolum Fratres exemplares, graves, & maturi: ſicut fuit ordinatum in Capitulo apud Montem Peſulanum 1265. & apud Peſtum 1273.

Item declaramus, Romæ 1571. ordinatum, & declaratum fuiſſe, & Barcinonæ 1574. confirmatum: quod Fratres qui ſunt in Vicarijs, aut in Conventibus Monalium, cenſentur quoad ſuffragia aſſignati in Conventibus, quorum ſunt filij: ita vt ipſi inter ſe viciſſim ad eadem teneantur. Et idem cenſendum eſt de Fratribus, qui ex Prælatorum legitima licentia, cum Epiſcopis, vel alibi extra Ordinem commorantur. Quæ quidem ordinationes procedunt de Vicariatibus iam per ſe conſtitutis, non autem de novis Domibus, quibus Fratres deputantur, iuxta id quod diſponit Conſtitutio.

I I.

a CONuentus citra numerum duodenarium Fratrum profeſſorum, quorum decem (ad minus) ſint Clerici, ſine licentia Generalis Capituli, & abſque Priore, & Doctore non admittatur: nec poſtquam admiſſus fuerit; dictus numerus Fratrum minuatur. Et ſi aliquis inde ſubtractus fuerit, loco illius alius aſſignetur. Ille verò Conventus, qui pro illo tempore prædictum duodenarium numerum non habebit, ab ea quæ tractanda ſunt in Capitulo Prouinciali, ſiue in electione Prioris Prouincialis; quoad Priorem & ſocium, & electores Prouincialis, nullatenus admittatur. Niſi forte illo anno, per Fratris obitum dictus numerus fuerit diminutus. Quod ſi oppoſitum factum fuerit, totum

tum ſit irritum, & inane: Prouincijs Hieroſolymitana & Greciæ, dumtaxat exceptis.

e Conuentus citra numerum duodenarium &c.) Declaramus, quod cum Eccleſiæ noſtræ ſint Collegiales, & in ipſis debeat Divinum officium in Choro perſolvi, & Miſſa Conventualis: numerus Fratrum Clericorum, (ſine quo Domus tanquam Conventus recipi non debet,) intelligendus eſt de Fratribus Clericis, tam vocalibus, quam non vocalibus. Ac debet habere Doctorem id eſt Lectorem, qui Fratribus legat: alias Conventus ille non admittatur ad ea, quæ in Provinciali Capitulo tractanda ſunt; niſi fortè illo anno propter obitum Fratrum; numerus ille fuerit minutus. Et in tali caſu debent Priores Provinciales, & Conventuales operam dare efficacem, vt per Fratrum receptorum multitudinem, numerus ille ſufficienter poſſit reparari: ſicut fuit declaratum apud Biſuntium 1353. & apud Ianuam 1413. Declarantes, quod in Capitulo Romano 1558. ſic ſtatutum fuit: Confirmamus declarationem factam in præcedenti Capitulo 1553. videlicet quod Conventus, qui Fratrum vocalium numerum ſaltem ſenarium, nunquam habuerunt, tanquam non Conventus æſtimentur: & quod ab eis ſubtrahatur titulus Prioratus, quem ex vi præſentis ſtatuti ſubtrahimus; ſi tamen ſine ſcandalo fieri poterit. Qui autem aliquando integrum numerum habuerunt, & modo ad hoc redacti ſunt, vt quatuor Fratres vocales cum Priore non habeant: titulo Prioratus gaudere interim permittantur; ſocium vero ad electionem Provincialis, vel ad Provinciale Capitulum nequaquam eligant. Quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane. Præterea declaramus Valentiæ 1596. & Romæ 1601. Valliſoletti 1605., item Romæ 1608. ordinatum fuiſſe: vt poſſibilis adhibeantur diligentia ne in Conventus, & Prioratus erigantur loca; quæ poſtea taxatum numerum Fratrum iuxta noſtras Conſtitutiones ſuſtentare nequeunt. Quare impoſterum nulla Domus in Prioratum erigatur, aut erecta intelligatur, quantumcumque conceſſio qualibet facta fuerit, niſi per annum integrum antea duodecim Fratres Religioſe aluerit; & pro Religioſis neceſſitatibus plene providerit, vt in iiſdem Capitulis ordinatum

 eſt.

eſt. Quod quidem Indiarum Provincias non aſtringit: tum quia ex antiquiore Privilegio Clementis VII. poterant earum Conventus eſſe cum numero ſeptenario: tum etiam quia Salmanticæ 1551. declarat. 5. declaratum fuit, in Provincijs Indiarum numerum ſenarium Fratrum ad Conventum conſtruendum ſufficere, prout eis authoritate Apoſtolica conceſſum eſt.

Item denunciamus confirmatam fuiſſe in Capitulo Romano 1601. ordinationem Capituli Valentini 1596. qua omnibus Præſidentibus Provinciarum, Congregationum, & Vicariatuum in Provincijs, & Conventibus, vbi commodè fieri poterit, mandatur, vt curent certam notitiam habere de reditibus tam certis, quam incertis, omnium Conventuum, & locorum ſuæ curæ ſubditorum; & conformiter ad ipſos de graviorum Patrum conſilio, ipſis ſingulis determinatum numerum Fratrum præfigant: vltra quem ad præfatos Conventus plures Fratres, ipſi Præſidentes non mittant; vt Religioſis neceſſitatibus eorumdem Fratrum ſemper provideri poſſit, & multa vitentur incommoda. Quòd idem a Clemente VIII. & Paulo V. conſtitutum eſt.

III.

ITem nulla Domus trāſferatur de Prouincia ad Prouinciam, niſi per tria Capitula fuerit approbatum. *f* Mediocres Domos, & humiles, Fratres noſtri habeant: nec fiant, aut permittantur fieri *g* in Domibus noſtris curioſitates, & ſuperfluitates notabiles, in ſculpturis, picturis, pauimentis, & alijs ſimilibus; quæ paupertatem noſtram deformant. In Eccleſijs tamen permitti poterunt. Si quis verò contra fecerit, pœna grauiori culpæ debitæ ſubiacebit. *h* Item poſſeſſiones, ſeu reditus nullo modo recipiantur; nec Eccleſiæ quibus animarum cura ſit annexa. Item, nullus audeat inſtare, vel rogare pro beneficijs conſanguineis ſuis obtinendis.

f Mediocres Domos, & hu-

& humiles &c.) Declaramus pro huiuſmodi Conſtitutionis obſervatione : vt ſi quibus cura ædificandorum, vel reędificandorum Conventuum incumbit, priùs exemplar totius ædificationis faciant, ſecundum quod Conſtitutio inferius diſponit; & illud Provinciali omninò oſtendant, abſque cuius licentia nihil omninò incipiant.

g In Domibus noſtris curioſitates &c.) Declaramus Venetijs 1592. ordinatum fuiſſe, vt omnes Fratres, cuiuſcumque gradus, & conditionis ſint in communi dormitorio, non in ſeparatis ædiculis, vel cameris habitent, vnica tantum paupere cella contenti: Prælato, & graviori aliquo Patre exceptis, quibus duæ ad ſummum concedi poterunt; ſi actenus tot habuere, abſque eo, quod noviter accommodentur, maximè cum aliorum incommoditate. Ab his vero ſuperfluitates omnes, ornamenta vana, pretioſa quęque, & omnia tandem quæ religioſam paupertatem non ſapiunt, omninò auferantur; ſuper quo Superiores omnes ſpecialiter invigilabunt.

Item ad obſervationem, ne curioſitates ſenſim introducantur, & vt introductæ eradicentur: Declaramus Bononiæ 1564. præceptum fuiſſe: vt omnium ſubditorum nemine excepto, privatas cellas Prælati viſitarent, & eorum ſupellectilia conſiderarent. Quod ſi aliquid invenerint, quod ſtatui paupertatis non conveniat, auferant, & applicent communi vtilitati. In Capitulo etiam Romano 1569. authoritate Apoſtolica Pij V. ſub pœna abſolutionis ab officijs Prælatis, & amiſſionis cuiuſcumque, nec non privationis vocis activæ, & paſſivæ, mandatum fuit: vt cameræ, & habitationes à communi Religioſarum cellarum forma recedentes auferantur; & vel ad conſuetam Regularium formam redigerentur, vel ſi id fieri commodè non poterit, in communem vſum reducantur, & vnuſquiſque tali cella in communi Dormitorio, nullo apparatu ornata contentus ſit. In Capitulo etiam Romano 1608. ordinatum eſt, vt à cellis Fratrum omnes imagines, quæ non ſunt ſacræ aut piæ; item illæ quæ propriam Fratris: vel alterius non Sancti, aut pij imaginem exprimunt, amoveantur. In Capitulo quoque Salmanticen. 1551. iſtud habetur. Reprobamus abuſum quorumdam clauſtralium ſive Conventualium de vendendis, aut etiam teſtandis poſt mortem

cameris ; irritantes qualcumque conceſſiones, ſi quæ ſunt ſuper his hactenus factæ, & ordinantes, vt ſi de cætero vſus illarum conceſſus fuerit viventibus, ſemper ponatur in litteris concedentis, ad beneplacitum noſtrum, & noſtrorum ſucceſſorum. Quod ipſum fuit poſtea Venetijs 1592. ordinatum, cum hac additione: quod valebunt Superiores ipſi, etiam immediati; dum expediens illis videbitur, pro vitio proprietatis à cordibus ſubditorum eradicando, eoſmet ab vna cella ad aliam transferre, & mutare.

b Item poſſeſſiones, ſeu redditus nullo modo recipiantur.) Declaramus, quod quamvis Ordo noſter ab Honorio III. confirmatus fuerit cum poſſeſſionibus, caſtris, & reditibus, quos tunc habebat, & in poſterum erat habiturus; ſicut patet in Bulla ſuperius memorata: poſt ea tamen in primo Capitulo Generali Bononiæ celebrato ſub B. Patre Dominico Anno Dom. 1220. totus Ordo prædictis poſſeſſionibus, & redditibus non ſolum præſentibus, ſed etiam futuris renunciavit, & per Conſtitutionem hic poſitam, & ſucceſſivè in Capitulo Generaliſſimo Pariſijs ſub B. Iordano Magiſtro Ord. Anno Dom. 1228. confirmatam, ne Fratres in poſterum poſſeſſiones, & reditus recipiant, ſtatutum fuit. Cæterum, quia habere poſſeſſiones & reditus in communi, non eſt contra votum paupertatis; quia multæ Religiones Monachorum profitentes paupertatem reditus habent in communi: neque etiam eſt contra Regulam Sancti Auguſtini, quam profitemur; neque minuit perfectionem Religionis cum paupertas non ſit ipſa perfectio, ſed perfectionis inſtrumentum. Cum autem inſtrumentum non propter ſe appetatur, ſed propter finem, non dicitur eſſe tanto melius, quanto eſt maius, ſed quanto magis fini eſt accommodatum: ſicut medicina non dicitur eſſe melior quæ eſt maior; ſed quæ magis ad expulſionem morbi, & introductionem ſanitatis eſt apta. Et propterea non oportet Religionem, quæ in omnibus par, & æqualis eſt alijs, eſſe tanto perfectiorem, quanto maiorem habet paupertatem: ſed quanto magis paupertas eius accommodata eſt ad finem toti Religioni communem, qui eſt incumbere in Divina obſequia: vel ad finem ſpiritualem ipſius, qui eſt Divina contemplatio, aut proximorum inſtructio. Quod ſane perficitur per illam paupertatem

tatem, quæ modica humanæ vitæ neceſſaria congruo tempore ſine magna ſollicitudine procurata, in communi conſervat; qualis eſt paupertas Ordinis noſtri. Quamobrem Sixtus IV. per Bullam quæ incipit, *Nuper &c.* cum toto Ordine diſpenſavit: omnibuſque, & ſingulis Conventibus, ac locis Ordinis noſtri, vt poſſeſſiones, reditus, & proventus, & alia bona immobilia libere poſſint in communi, & non aliter habere emere, & retinere, conceſſit: Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, atque Inſtitutis Regularibus dicti Ordinis, ſecundum quas Mendicantes appellantur, & ſine proprio ex incerta mendicitate vivere debent: alijs quoque Ordinis atque eius domorum ſtatutis, & conſuetudinibus; quibus omnibus ſpecialiter, & expreſſe ſua Sanctitas derogavit. Denique ad omnem ſcrupulum tollendum Concil. Trident. Seſſ. 25. *tit. de Reg. capit.* 3. ſic ordinavit: *concedit Sancta Synod. omnibus Monaſterijs, & domibus tam virorum, quam mulierum etiam Mendicantium, (exceptis domibus Fratrum Sancti Franciſci Capuccinorum, & eorum qui Minorum de Obſervantia vocantur) etiam quibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, vt deinceps bona immobilia eis liceat poſſidere. Quod ſi aliqua loca ex prædictis, quibus ex authoritate Apoſtolica permiſſum erat, eis ſpoliata ſint: eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit.* Quapropter cum iam vniverſus Ordo prædictum Privilegium, & Decretum Concilij receperit, denunciamus quod nullus Prælatus poteſt bona immobilia, poſſeſſiones, aut reditus perpetuos Conventus, ſub pœna excommunicationis vendere, aut quovis modo alienare: quemadmodum Paulus II. in ſua Conſtitutione his verbis præcepit: *Omnium rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra biennium fieri prohibemus, hac perpetua valitura Conſtitutione, niſi in caſibus a iure expreſſis; & tunc in Eccleſiarum evidentem vtilitatem. Si quis autem contra huius prohibitionis ſeriem alienare præſumpſerit, alienatio conceſſo, hypotheca, locatio, conductio, nullius ſit roboris: & qui alienant, & qui recipiunt, ſententiam excommunicationis incurrant.* Item denunciamus in Capitulo Barcinonenſi 1574. ordinatum, & Romæ 1580. nec non Venetijs

 1592.

1592. confirmatum fuiſſe ordinationem, qua præcipitur omnibus Prælatis noſtri Ordinis ſub pœna abſolutionis ab officijs: ne bona ſtabilia, aut fundos (quos vocant) alienare, & aliqua pecuniæ ſumma recepta, rationes, & prætenſiones Conventuum extinguere audeant. Cæterum, quia ſæpe contigit, propter evidentem vtilitatem Conventuum, bona elocare, & vendere, meminerint omnes Præſidentes Conventuum; vt à Magiſtro Ordinis licentiam prius in ſcriptis obtineant. Huic enim pro tempore, Leo X. & poſtea Clemens VII. authoritate Apoſtolica indulſit: vt poſſit dare licentiam bona Conventuum, & locorum ſibi in toto Ordine ſubiectorum, ad certum tempus, ac in perpetuum locandi: vel in emphiteuſim ad lineam maſculinam concedendi, ſine commutandi, aut vendendi, vel quocumque alio titulo alienandi: bona immobilia, & pretioſa mobilia minus vtilia, quæ nunc habent, & in poſterum iuſto titulo habituri ſunt; tam pro ſatisfactione debitorum, aut pro vtilitate, aut neceſſitate Conventuum ſine locorum prædictorum contractorum, aut etiam vtilitate ſuggerente contrahendorum, quam alia evidenti vtilitate. Proviſio tamen, quod pretium bonorum immobilium ſi vendantur, aut quovis modo alienentur, centum ducatorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedat: & in emptionem, reparationem, aut augmentum aliorum bonorum immobilium, ſeu præfatorum debitorum realem ſolutionem, cum effectu convertatur, & accedat aſſenſus maioris partis vocalium Conventus.

IV.

IN virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub Excommunicationis pœna diſtricte prohibemus: ne aliquis Fratrum noſtrorum laboret, vel procuret de cætero; vt cura vel cuſtodia Monialium, ſeu quarumlibet aliarum mulierum Fratribus noſtris committatur, niſi de licentia Magiſtri Ordinis ſpeciali. Prohibemus diſtricte, ne aliquis curam recipiat prædictarum, niſi per tria Capitula Generalia continua fuerit approbatum; vel niſi cura

per

per Dom. Papam Ordini committatur; vel per alium qui poſſit facere commiſſionem prædictã. Si quis vero contraire præſumpſerit pœnæ graviori culpæ debitæ, ſubiacebit.

i Ne aliquis procuret vt cura, vel cuſtodia Monialium.) Declaramus, quod Monaſteria Sororum curæ Ordinis commiſſa, & in poſterum committenda: iuxta Privilegia Apoſtolica ſub cura ſunt ac regimine, & Magiſterio Magiſtri Ordinis, & Priorum Provincialium; ſeu aliorum Fratrum dicti Ordinis, quibus eam curam ipſi commiſerint. Atque idem Magiſter, & Provinciales prædicti, per ſe, vel per alios debent, & poſſunt eadem Monaſteria iuxta Conſtitutiones prædicti Ordinis regulare, & gubernare, atque ea tum in capitibus, tum in membris viſitare, & corrigere, ac reformare: Sorores, Prioriſſas, Supprioriſſas, & Officiales, necnon Converſos, & familiares ibidem inſtituere, deſtituere, mutare transferre, & alia ordinare; atque etiam ſub pœnis, quæ eis videbuntur mandare, & ſtatuere, prout ſecundum Deum viderint expedire: iuxta id, quod Bonifacius IX. in Bulla, quæ incipit. *Sacræ Religionis*, quæ infra Capitulo 18. inſerta eſt, atque Alexander IV. in alio Privilegio decreverunt.

Item declaramus, quod Fratres, qui ad curam Monialium conſtituti ſunt, non poſſunt ingredi clauſuram ipſarum, niſi propter evidentem neceſſitatem: nec debent permittere, vt alij ingrediantur illuc, niſi ex legitima, & rationabili cauſa, & in privilegio Bonifacij IX. ſic dicitur: *Nulla perſona, religioſa vel ſecularis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ poteſt ingredi in Monaſteria Monialium, quę ſunt ſub cura Ordinis Prædicatorum, ſine licentia Magiſtri Ordin. niſi in caſibus in earum Conſtitutionibus expreſſis; & a tali excommunicatione non poſſunt abſolvi, niſi per Magiſtrum prædictum, vel per alios quibus ipſe commiſerit.* Et in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 5. ſic ſtatuitur: *Ingredi autem intra ſepta Monaſterij (Monialium ſcilicet) nemini liceat, cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, aut ætatis fuerit; ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem licentiam tantum Epiſcopus, vel Superior debet, in caſibus neceſſarijs: neque alias ullo*

modo poſſit, *etiam vigore cuiuſcumque facultatis*, *vel indulti hactenus conceſſi*, *vel inpoſterum concedendi*. Hactenus Concilium Tridentinum decrevit. Cui decreto inhærens Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, cenſuit, licentias ingrediendi intra ſepta Monialium, ex vera tantum neceſſitate concedendas, quoad Monaſteria Regularibus ſubiecta, pertinere tantum ad ipſos Superiores Regulares. Quamobrem poſt Decretum Concilij Trident. Bononiæ 1564. illud habetur: Admonemus Reverendos Provinciales, vt circa ingreſſum ad Monaſteria Monialium, magnam cuſtodiam adhibeant; & quando gravis neceſſitas pro ſui executione officij intrare compulerit; vnum tantum aut duos vt plurimum ſocios, eoſque graves ſecum adducant. Inferioribus autem Monialium Præfectis, ipſi Provinciales leges præſcribant, quando eis, & cum quibus ſocijs ingredi liceat, ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Cæterum quia multæ etiam perſonæ Illuſtres, ratione quorumdam privilegiorum prætendere ſolent ingreſſum intra ſepta Monaſterij Monialium: denunciamus, Gregorium XIII. in Bulla, quæ incipit: *Vbi gratię* &c. & Paulum V. in alia, cuius initium eſt *Monialium ſtatui* &c. in Capitulo Romano 1612. acceptata; omnes licentias, omnibus mulieribus, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, hactenus conceſſas, ingredi Monaſteria Monialium revocaſſe: & ſub pęna excommunicationis latæ ſententię mandaſſe; ne quæ earum ingredi in ea audeat. Neve eas Prioriſſa, aut Superiores introducant, ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pęna prohibitum eſt: a qua nonniſi a Roman. Pont. pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint; & ſub pęna privationis ſuorum officiorum quæ obtinet, & inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda, ipſo facto ſine vlla declaratione incurrendis pęnis.

Item declaramus, quod Fratres in Monaſterijs Sororum continue per modum Collegij ſub cura ſui peculiaris Prioris, vel Vicarij reſidentes, (ſicut quodam in Monaſterio Sancti Sixti, & nunc etiam in Cœnobio Prulliano, & præſertim noviſſime in Monaſterio Sancti Sebaſtiani Neapoli commorantur) non pertinent ad alium Conventum, niſi ſolum quoad ſuffragia: eorumque bona

bona ſive libros, ſive res alias Prior Provincialis poſt eorum obitum Conventibus eorum originalibus reddere debet, ſicut habetur in *capitulo de Studentibus*. Et idem dicendum eſt de alijs Fratribus reſidentibus in alijs Monaſterijs, & de ipſorum bonis: quod videlicet ad ſuos originales Conventus debent pertinere, ſicut fuit ordinatum in Capitulo Venetijs 1297. Metis 1298. & iterum Venetijs 1437. Volentes, quod Priores Provinciales tam Monialibus quam Tertiarijs, conſtituant peculiares Confeſſores diſcretos, & maturos, & ſtatuant tempus, quo confiteri debent, iuxta præſcriptum Conſtitutionum: nec permittant a Fratribus eadem Monaſteria frequentari; ſicut fuit declaratum apud Londonas 1250. & Metis 1251. Tandem in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 10. habetur, quod præter ordinarium Confeſſorem, alius extraordinarius ab Epiſcopo, & alijs Superioribus, bis aut ter in anno offeratur. Quod etiam in Capitulo Romano 1601. præceptum fuit, & additum: Confeſſores poſt triennium amovendos eſſe, ſicut etiam fuerat antea ordinatum Romæ 1569. & 1583. Atque iterum Romæ 1589. ſub pœna gravioris culpæ mandatum fuit vt Confeſſores Monialium, quaſcumque eleemoſynas pro Miſſis ſibi datas, ac illarum numerum; infra vnius diei terminum ab earum receptione ſuis Prælatis manifeſtare teneantur. Declarantes, quod Vicarij Magiſtri Ordinis, vel Priorum Provincialium, de viſitandis, vel ordinandis Monaſterijs Sororum nullo modo poſſunt ſe ingerere, niſi eorum litteris ſpecialiter ſit expreſſum: ſicut fuit ordinatum apud Argentinam 1307.

Item declaramus, quod Modus eligendi Prioriſſas iuxta tenorem Conſtit. Bonifacij VIII. talis erat: quod videlicet Conventus Monialium debeant compromittere in tres Fratres; qui audirent, & conſcriberent vota Sororum ad eligendam illam quam maior pars vltra medietatem nominaſſet. Quo facto & auditis vocibus omnium Sororum in ſecreto, publicarent ſcrutinium: & facta collatione numeri ad numerum, ſi maiorem partem omnium eligentium in vnum conveniſſe inveniſſent; debebat ille qui primus erat inter ſcrutatores, formare electionis decretum hoc modo. Ego Fr. N. vice mea, & Fratrum NN. compromiſſariorum, & Sororum electricum mecum conſentiendum: eligo Sororem N. talem in Prioriſſam Monaſterij talis, Si vero omnes conſenſiſſent;

ſent; dicere debebat, & omnium Sororum electricum mecum conſentientium. Prioriſſa autem ſic electa poterat per Magiſtrum Ordinis vel Priorem Provincialem, vel per eos quibus ipſi commiſiſſent (ſi eis videbatur) confirmari. His tamen non obſtantibus, declaramus, propter Concilium Tridentinum debere ſervari modum, qui in ſequenti capitulo *de electione Prioris* poſitus eſt ex Capitulo Bononienſi 1564.

V.

k MVlieres Clauſtrum, vel Oratorium, vel alias officinas noſtras nunquam ingrediantur, niſi in die conſecrationis Eccleſiæ: & tunc liceat eis ingredi Chorum, & Clauſtrum. In Paraſceve vero tantum Chorum poterunt intrare vſque ad officium.

k Mulieres Clauſtrum, vel Oratorium.) Declaramus, quod in Eccleſijs noſtris debent eſſe intermedia, quæ dividant Chorum à ſecularibus: & debent vbique ſic eſſe diſpoſita; vt Fratres ingredientes Chorum non poſſint videri a ſecularibus nec eos videre, poterunt tamen aliquæ feneſtræ aptari, vt tempore elevationis Corporis Dominici poſſint aperiri, & Sacramentum a Secularibus adorari, vt fuit ordinatum Treveris 1249.

Item declaramus, fel. recor. Pium V. in Conſtitutione incipiente: *Regularium perſonarum* &c. revocaſſe licentias quibuſcumque mulieribus conceſſas ingrediendi Monaſteria, & loca quorumcumque Ordinum Regularium: ac præcepiſſe Prioribus, & alijs Præſidentibus, quocumque nomine vocentur, etiam Mendicantibus, ſub pœnis privationis officiorum quæ obtinent, & inhabilitatis inpoſterum ad alia omnia, & ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendis; ne quaſcumque mulieres etiam Comitiſſas, vel Marchioniſſas, intra Monaſteria, vel Domos, introducere, admittereve præſumant: quod idem præcepit Gregorius XIII. in alia ſua Conſtitutione, incipiente: *Vbi gratiæ* &c.

Item declaramus, quod in Capitulo Romano 1571. ſic habetur: Denunciamus a SS.D.N. Pio V. motum proprium emanaſſe, circa ingreſſum mulierum in Conventus noſtros, quem Sua Sanctitas viva voce declaravit: quod per dictas litteras non

non præcludetur aditus mulieribus ad Monaſteria, & Clauſtra, quando in eis Miſſæ celebrantur; ac alia Divina Officia, aut etiam quando proceſſiones fiunt, vel cadavera fidelium in eis ſepeliuntur, aut etiam pro eis ſuffragia fiunt: ſed eis concedit, quod quando hæc fiunt, ad ea accedere poſſint. Similiter, quando verbum Dei in Eccleſia proponitur, vel ob quamcumque aliam cauſam tantus eſt concurſus populorum, quod commode ingredi, vel egredi per portam communem non poſſit, concedit idem *pius V.* vt mulieres, vna cum alijs perſonis ſecularibus, ingredi, vel egredi poſſint per portam Conventus Clauſtri, dummodo recto tramite accedant ab Eccleſiæ ianua ad dictam Clauſtri portam, qua exitur a Monaſterio &c. non obſtantibus &c. Datum 1568. Iſtud vivæ vocis oraculum fuit factum Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Cardinali Alexandro Cribello anno Domini 1568. cui etiam declaravit Sua Sanctitas, in cæteris ſervandum eſſe ſuum Motum proprium in omnibus Conventibus noſtri Ordinis, ſub pœnis ibidem expreſſis.

V I.

l STatuatur ſemper aliquis Frater Clericus, vel Converſus diſcretus, maturus, & ſecurus, qui ſit portarius: & diligenter ea, quæ ad officium portarij pertinent exequatur. Poterit autem aliquem Fratrem, vel ſecularem honeſtæ conveſationis habere in adiutorium, cum neceſſitas hoc requiret.

l Statuatur ſemper aliquis Frater Clericus.) Declaramus Valliſoleti 1605. ordinatum iſtud, & in Capitulo Romano 1608. confirmatum fuiſſe: vt in omnibus Conventibus, maxime in præcipuis, ſemper ad oſtium Cœnobij Cuſtos aſſiſtat aliquis Sacerdos, vel Converſus diſcretus, & morum probitate inſignis: qui ſeculares adventantes benigne recipiat, & de rebus ſpiritualibus colloquendo, eos detineat interim: dum Frater ab eis poſtulatus, ab alio iuniore Oſtiario (quem ſocium ſenior ille, & primarius Oſtiarius in eo officio ſemper habebit.) vocatus adveniat. Nec permittat ſeculares per Conventum diſcur-

ſcurrere, nec ad cellas Fratrum accedere, niſi fuerint perſonæ graves. Oſtium autem ita introrſus ſemper ſit occluſum, vt nulla ratione a foris venientes poſſint aperire. Vt vero facilius Oſtiario innoteſcat, qui Fratres ſint foris, qui vero domi: mandamus ſub pœna gravis culpæ, ne quis extra Conventum egredi audeat per portas Eccleſiæ, vel per alias; ſed ſolum per vnicum commune oſtium domus. Ad oſtium vero introrſus, tabula loco apto affigaiur, nomina, & cognomina Fratrum Conventus continens: in qua Oſtiarius aliquo ſigno notet Fratrem domo egredientem, vel regredientem; vt ſic de quæſitis Fratribus rationem reddere queat. Prælati vero, qui in horum cura fuerint negligentes, a ſuis officijs abſolvantur.

V I I.

m VOlumus autem quod fiat cum maturo conſilio peritorũ in arte, (conſiderato loco illo) in ligno, vel in alia materia, formula totius Domus conſtruendæ, quã non liceat tranſgredi pro voluntate varia Præſidentium; ſed iuxta illam ædificetur. In Domibus autem conſtructis, mandamus nullam fieri conſtructionem, aut ædificationem notabilẽ in fabrica a Priore, vel Procuratore; niſi de licentia Prioris Provincialis, & conſilio, atque aſſenſu Patrum. Oppoſitum autem facere pręſumens in pœnã abſolvatur: ſic quod per trienniũ nec ibi; nec alibi præſit.

m Volumus autem, quod fiat cum maturo cõſilio.) Declaramus, in Capitulo Salmanticen. 1551. ſic determinari: Ordinamus ne fiat aliquod ædificium, vel conſtructio notabilis in aliquo Conventu. niſi de aſſenſu Patrum cum licentia Provincialis, & cum conſilio Peritorum: & quod taliter per vnum Priorem inceptum eſt, per ſubſequentem continuetur, & ne potius nova ædificia inchoentur. Et qui his contravenerint, pęnæ gravioris culpæ ſubiacere intelligantur. Et inter alia, quæ in Capitulo Romano 1583. ex mandato Sixti V. ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ ordinata referuntur, iſtud

iſtud tertio loco habetur. Sanctitas Sua confirmat, & ordinat (ſi opus eſt) de novo, id quod alias in ſupradicto Ordine fuerat ordinatum: videlicet, quod non fiat ædificium aliquod, vel conſtructio notabilis in aliquo Conventu, (notabilis inquam reſpective iuxta Conventus quantitatem & qualitatem) niſi de aſſenſu maioris partis Patrum à conſilis; & cum conſilio peritorum, ſimul etiam cum licentia Provincialis. Rurſus, quod ab vno Prælato inceptum eſt, ſubſequens proſequatur: ita quod non poſſit nova ædificia inchoare, ſi priora non ſint finita. Præcipit etiam, idipſum ſervari in Monaſterijs Monialium; ita quod non poſſit Prioriſſa ædificium notabile inchoare, ſine aſſenſu maioris partis Matrum à conſilijs; ſimul cum licentia Provincialis, & cum peritorum conſilio; nec vllo modo ædificia nova aggrediantur, quouſque iam inchoata ſint finita. Prior autem Provincialis, vel Conventualis, vel Prioriſſa, ſi contra ordinationem iſtam agere præſumpſerit, ipſo facto excommunicationem incurrat, & officio privetur. Vi autem huius prohibitionis non interdicitur, quin poſſint inchoari illa ædificia, quibus reparatur aliqua pars Conventus collapſa, vel quæ in ruinam tendit: nec etiam ædificia illa, quæ extra Conventus fiunt, quibus annui reditus creſcunt, & promoventur; dummodò in iſtis etiam conſtructionibus (ſi ſint notabiles) præcedant conſenſus, & licentia iuxta ſupradicta.

Item declaramus in Capitulo Romano 1569. præceptum fuiſſe Reverendis Patribus Provincialibus, vt in viſitatione Conventuum ſequeſtrent aliquas pecunias annuales, pro reparatione fabricæ Conventuum, qui paſſim deſtruuntur: & vt etiam provideantur pro loco infirmorum, & hoſpitum neceſſaria; adhibitis gravioribus pœnis ne huiuſmodi pecuniæ in alios vſus diſtrahantur, ſuper quo Provincialium conſcientias, in diem Chriſti oneramus. Et in Capitulo Bononienſi 1564. fuit ordinatum, quod in noſtris Conventibus certus aliquis locus ſtatuatur, in quo privilegia, & aliæ ſcripturæ neceſſariæ, ſub tribus clavibus conſerventur. Et ſi quando inde pro neceſſitate Conventus productæ fuerint, quam citius reponantur, nec in cella Prioris, aut Syndici, niſi pro neceſſario tempore retineri poſſint. Et in Capitulo Romano 1605. dicitur: In omni Conventu locus tutus cum armarijs (vt vulgo dicitur) ſive capſis habeatur, in quibus ſcripturæ, privilegia, contractus, in-

inſtrumenta, libri profeſſionum Fratrum, & omnia iura ad Conventum pertinentia cum ſuo inventario, ſeu indice aſſerventur. Similiter inventarium bonorum mobilium, & immobilium tam Conventus, quam Eccleſiæ, conſcribatur, duplici authentico exemplari: quorum alterum in Archivio illius Conventus, alterum vero in Archivio primarij Provinciæ, vel nationis Conventus diligenter cuſtodiantur.

Similiter in Capitulo Valliſoleti 1605. magis exactè, confirmando diſponitur: Confirmamus, & omnibus Prioribus, Conventuumque Præſidentibus diſtrictè iniungimus: vt qua poterunt brevitate faciant memorialia, quæ vocantur inventaria, tum in Depoſito de omnibus ſcripturis; tum annuorum redituum, quæ cenſualia vocantur; tum aliorum privilegiorum, & ſimiliter in qualibet officina Conventus. Ad quæ inventaria conſtituatur liber in Depoſito, in quo ponatur: Primo, inventarium privilegiorum, & aliarum ſcripturarum pertinentium ad fundationem, & ſtatum Conventus. Secundo, ponatur inventarium ſcripturarum cenſualium perpetuorum, & poſtea ſcripturarum cenſualium temporalium, per ordinem menſium: cum aliquo ſigno tam in inventario, quam in ipſa ſcriptura, vt poſſint facilè reperiri. Et in alia parte ponatur inventarium omnium ſcripturarum pertinentium ad annuos reditus frumenti, vini, & olei. In alio autem libro ponantur ſigillatim inventaria omnium bonorum, quæ repeпiuntur in qualibet officina, Conventus: in quibus quæcumque bona, quæ de novo ponuntur in aliqua officina, addantur inventario illius officinæ; maximè autem in inventario Sacriſtiæ ponantur omnia iocalia, & quæ offeruntur: quæ teneantur Sacriſtæ quantocyùs acceperint, præſentare Patri Priori, ſeu principali Præſidenti Conventus, vt ponantur in inventario. Ex quibus inventarijs detur tranſumptum cuilibet Officiali talis officinæ, ſubſcripti à Patre Priore, ſeu principali Præſidente, Depoſitarijs Conventus, & Officiali quocumque cuiuſcumque officinæ, quæ omnia teneantur adimplere Prælati, ſub pœna abſolutionis ab officijs eorum. Addente, quod nullo modo extrahantur aliquæ ſcripturæ à Depoſito, niſi in præſentia, Prælati: taliter, quod in Depoſito maneat aliquod memoriale ſemper ipſius ſcripturæ, donec reſtituatur.

Item in Capitulo Romano 1608. iſtud habetur: Confirmamus ordinationem illam Capi-

tuli

tuli Valliſoletani immediatè præcedentis, de his, quæ pertinent ad commune Depoſitum Conventus: nimirùm vt in quolibet Conventu, vel Domo, deputetur aliquis locus fortis, & ſecurus, qui Depoſitum commune appelletur; cuius clavem habeat ſemper Prior, vel principalis Præſidens Conventus. In quo conſtituatur arca fortis, & validè compacta, quæ tribus ſeris claudatur; quarum claves habeant ſinguli ſingulas; Prior, vel principalis Præſidens Conventus, & duo Patres Depoſitarij, moribus, & fidelitate probati, quos maior pars Patrum à conſilijs ad hoc munus aptiores eſſe iudicantes elegerint. Et in prædicta arca omnes pecuniæ Conventus deponentur & cuſtodientur.

In adminiſtrando autem Depoſito hæ leges ſervabuntur.

Primò. Singulis hebdomadibus, vel menſibus ad prædictum Depoſitum conveniant Prior, & duo Depoſitarij: quibus Syndicus, Procurator, Sacriſta, & alij, ad quos ratiocinia Conventus quoquo modo ſpectant, rationem reddant de receptis hebdomadæ, vel menſis præteriti.

Secundo: Sacriſtæ nihil eorum, quæ recipiunt, expendere audeant, neque etiam ſub prætextu adornandæ Eccleſiæ, vel muſicæ, vel alia occaſione, abſque licentia Prioris.

Tertio. Fratres quaſcumque eleemoſynarum pecunias, tam ad Miſſas celebrandas, quam quavis alia ratione pro Conventu eis traditas; infra ſpatium viginti quatuor horarum, Sacriſtæ ad Depoſitum conſignent, nec apud ſe retineant.

Quarto. Et quoniam longa Syndicorum in ſuo officio perduratio, Conventibus damnoſa ſæpe eſſe ſolet: ordinamus, vt nullus Syndicus poſſit in ſyndicatus officio perdurare, pluſquam per biennium; quo completo, ipſo facto à prædicto officio ſit abſolutus, nec ad illud ante biennium eligi poſſit ſine licentia Prioris Provincialis, & præmiſſa nova electione maioris partis vocalium Conventus conſenſu accedente.

Quinto. Syndico nunquam concedatur facultas acceptandi pecunias, quæ ad extinctionem cenſuum erogari ſolent. Qui etiam teneatur ſingulis hebdomadibus, vel menſibus ad ſummum, rationem reddere Priori, & Depoſitarijs, de omnibus receptis, & pecunias omnes deferre ad Depoſitum: vt ibi in arca deponantur, & cuſtodiantur; vnde non poterunt extrahi niſi in præſentia Prioris, & Depoſitariorum, & ſtatim in libro maiori ſcribatur diſtincte, & clare, in quos vſus expenduntur. Volumus autem, quod

quod Syndicus nullas pecunias expendere poſſit, niſi prius portatæ fuerint ad Depoſitum, & inde ſibi fuerint conſignatæ à Priore, & depoſitarijs. Quod ſi aliter fecerit, pœnæ proprietarij ipſo facto ſubiaceat.

Sexto. Liber magnus in arca Depoſiti cuſtodiatur, à qua non poſſit extrahi, niſi in præſentia Prioris, & Depoſitariorum: nec inde alio vllo modo, vel per breve tempus aſportetur, præterquam tempore Viſitationis Prioris Provincialis: & tunc ad eius cellam poterit deportari, vt omnia ratiocinia poſſit intueri. In quo libro ex una parte ſcribantur omnia recepta tam Syndici, quam Sacriſtæ, quam aliorum: itaut nihil in Conventu recipiatur; quod in prædicto libro non ſcribatur. Ex alia autem parte omnes expenſæ referantur, vt ſic tempore ratiocinij collatio fiat recepti, & expenſi; & cognoſcatur, an bona Conventus rectè fuerint adminiſtrata. Prædictæ autem in adminiſtrando Depoſito leges, & ordinationes diſtricte, & inviolabiliter obſerventur.

Hæc ordinatio fuit etiam confirmata in Capitulo Pariſienſi 1611. cum hac additione: vt in quolibet Conventu fiat liber (ſi iam factus non eſt) in quo deſcribantur omnes reditus certi, territoria, ſylvæ, vineæ, prædia, ſive poſſeſſiones Conventum cum ſuis confinibus, terminis, & limitibus; ad evitandas in poſterum lites, & depellendas iniurias occupantium bona Ordinis. Idque præcipitur tam Provincialibus, quam Præſidentibus, & Procuratoribus Conventuum, ſub pœna abſolutionis ab officijs ſuis, niſi intra annum executioni mandentur. Et quia multa Privilegia noſtro Ordini, eiuſque Provinciis à Summis Pontificibus conceduntur, & ſingularia pro ijſdem Provincijs, à Magiſtris Ordinis per neceſſaria præſcribuntur: vt huiuſmodi litteræ, vel Apoſtolicæ, vel Magiſtrorum Ordinis perpetuo conſerventur; ideo in Capitulo Bononienſi 1615. mandatum eſt omnibus PP. Provincialibus, quatenus de conſilio Patrum ſuarum Provinciarum, prout neceſſitas expoſcet, vnum vel duos Conventus primarios, pro huiuſmodi litteris conſervandis, deſignent: in quibus Conventibus omnes Provinciales, finem ſuis officijs imponentes, de ſcitu Patrum Provinciæ, tales litteras reponere tenebuntur.

Cæterùm quia magis bona ſpiritualia, quam temporalia in Conventibus noſtris conſervari debent: declaramus pro reformatione Obſervantiæ Regularis, iſtud à Bonifacio Pa-

pa IX. & à Beato Raymundo Capuano Generali olim Magiſtro ſtatutum, & poſt in Capitulo Salmaticenſi 1551. Romæ 1558. Bononienſi 1554. Romæ 1569. & Valliſoleti 1605. ſtrictiſſimè mandatum eſſe omnibus RR. AA. PP. Provincialibus; vt vnuſquiſque in ſua Provincia, vnum, vel plures Conventus iuxta qualitatem, & numerum Fratrum deputet, in quibus Regula, & Conſtitutiones Ordinis noſtri cum omni rigore ab omnibus illic degentibus ad vnguem obſerventur; nec cum aliquo ibi commorante in carnibus, vel alijs Regulari vitæ repugnantibus quoquo modo, aut quovis prætextu, vel colore, niſi propter actualem infirmitatem dumtaxat, diſpenſari poſſit. In quibus Conventibus, & locis nemo invitus cogatur manere, nec aliquis nolens à ſuo retrahatur fervore, niſi quem iam arrepti propoſiti, & cœptæ obſervantiæ pœnituerit. Ne vero contingat, ſicut plerumque maligni ſpiritus ſuggeſtione ſolet evenire, vt qui ſpiritu cœperunt, poſtmodum carne conſumantur: & qui ad meliora accendi videbantur, aliquando ſuperba elatione, & aliorum contemptu ad deteriora trahuntur, & vnde quærunt meliores fieri, inde inobedientes, & ſuis Superioribus rebelles efficiuntur: volumus & præſenti ſtatuto in perpetuum ordinamus; quod omnes in præfatis Conventibus commorantes, in omnibus, & per omnia ſuis Provincialibus cenſeantur, & ſint ſubditi. Qui eos viſitare, aſſignare, & removere poſſint, ſicut antea conſueverunt, & omnia alia tam in dictis Conventibus, quam Fratribus facere valeant, quæ dicto vivendi modo, & Regulari Obſervantiæ non repugnent. Diſtricte etiam mandamus, ne Fratres in talibus Conventibus commorantes, quovis modo poſſint Habitum, vel formam eius tranſmutare, ſed tali vti, quali in Capit. Romano proximè præterito, & in hoc Capitulo fuit decretum. Nec poſſeſſiones, cæteraque immobilia, & pretioſa, abſque ſpeciali Reverendiſſimi licentia alienare audeant. Hortamur nihilominus dictos RR. AA. PP. Provinciales, vt præfatos Patres foveant, & adiuvent, neque illis in ſuo fervore ſint impedimento: curentque ne Domini ſpiritus in aliquo extinguatur; moneantque eos, qui in tali obſervantiæ arctitudine morantur, ne cæteros de ſua Provincia ſpernant, nec alicui detrahant, nec alijs ſe eſſe meliores iudicent: ſed animadvertant, quod quanto quis perfectior eſt, tanto humilior eſſe debet,

& tanto magis Superioribus obedientior; illius exemplo, qui vſque ad mortem factus eſt obediens, & mortem noſtram ſua morte deſtruxit, vt in omnibus humilitatem, & obedientiam nos doceret. Quare Reverendiſſimum Patrem Generalem obnixe rogamus: vt in Provinciarum viſitationibus, omnia quæ huiuſmodi vivendi modum adiuvare iudicaverit; pro ſua ſingulari providentia, & ſollicitudine curet ordinare.

Eam Capituli Valliſoletani ſanctiſſimam ordinationem, Capitulum Romanum 1608. confirmavit; cum denunciatione; quod jam in pluribus Provincijs executioni mandata ſit: & cum admonitione, vt in ijs Conventibus Fratres nonniſi ſpontanei, & voluntarij aſſignentur; quibus etiam non liceat alias cæremonias, & obſervantias, quam in Ordine receptas, & approbatas inducere, aut ſe ab obedientia Præſidentis Provinciæ ſubducere vllo pacto.

CAP. II.

De Electione Prioris Conuentualis, & inſtitutione Supprioris.

I.

a PRiores Conuentuales à ſuis Conuentibus ſecundùm formam canonicam eligantur, videlicet *b* à maiori parte vltrà medietatem omnium eligentium: *c* vel per ſcrutinium, vel per compromiſſionem, vel per communem inſpirationẽ; alijs ſubtilitatibus juris relegatis. Quod ſimiliter in electione Magiſtri Ordinis, & Priorum Provincialium obſervetur. Cùm autem per diſquiſitionem, & ſcrutinium voluntatum procedit electio, vota eligentium recipiantur, & conſcribantur *d* per Suppriorem, vel eius Vicariũ in abſentia Supprioris: & duos Fratres, *e* qui primitus. Habitum noſtri Ordinis

nis ſuſceperunt; ſi tamen poſt profeſſionem à noſtro Ordine nullatenus diſceſſerunt, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Generale, vel Prouinciale Capitulum cum eis fuerit diſpenſatum.

a Priores Conuentuales ſecundùm formam canonicam eligantur.) Declaramus, quod Fratres noſtri, ſicut iura volunt, non poſſunt ſibi eligere, vel poſtulare Priorem, niſi ille qui præeſt in tali officio, ſit penitus amotus. Nec etiam poſſunt eligere ſub conditione, ſi eum contigerit amoveri, ſicut fuit declaratum Pariſijs 1239.

Item declaramus, quod ad electionem canonicam infraſcripta requiruntur.

Primum eſt, quod mortuo, vel amoto Priore, Electores abſentes vocandi ſunt, ſi nuntius ad eos pedeſter per vnam diem commodè poſſit accedere, vt infra num. 6. amplius declaratur. Item in Capitulo Romano 1601. fuit pro his qui ad Capitulum Provinciale proficiſcuntur, ordinatum: quod quando Priores tempus ſui Prioratus (in Capitulo Provinciali dumtaxat) expleverint; teneantur Electores præſtolari ſocios eorundem Priorum, qui ad Capitulum Provinciale profecti fuerint, vſque ad Sabbatum Pentecoſtes excluſivè: & tunc procedere poterunt ad electionem Prioris; niſi fortè ante talem diem illi, qui ad Capitulum Provinciale acceſſerant, reverſi fuerint.

Secundum eſt, quod vocatis, & expectatis abſentibus, debent vocales ad locum electionis per ſonum campanulæ convocari: & præmiſſo tractatu, ſaltem in communi (ſi viſum fuerit) de perſona idonea eligenda, debet eligi hora, & locus pro electione facienda. Quod ſi maior pars Electorum petierit à Suppriore, vel Vicario (ſi non adſit Supprior) vt congreget Capitulum ad electionem, & ipſe renuerit: tunc antiquior ex omnibus Electoribus, poſt tertium, aut quartum diem à notitia carentiæ Prioris, poterit congregare Capitulum, & ad electionem procedere. Quod ſi iſte noluerit, alius antiquior poſt ipſum, & ſic de cæteris donec ad electionem procedatur, vt ipſis ijſdem verbis fuit declaratum Romæ 1601. declarat. 3. & Pariſijs 1611.

Tertium eſt, quod determinatis iam hora, & loco electionis, præſentibus ad ſonum campanæ vocalibus, debet in Capitulo à Præſidente electionis

 fieri

fieri proteſtatio: quod non intendit admittere aliquem de iure non admittendum, nec excludere non excludendum.

Quartum eſt, quod ille qui præeſt, debet ad cautelam generalem abſolutionem facere ab omni cenſura.

Quintum eſt quod debet invocari gratia Spiritus Sancti.

Sextum eſt, quod ille qui præeſt, debet ſecum duos Scrutatores aſſumere, qui habitum noſtræ Religionis poſt profeſſionem diutius portaverunt: & cum eis ad ſcamnum præparatum ante oſtium Capituli debet accedere. Quibus Conventus poteſt addere quartum, quem electores eligant in Capitulo per ſchedulas, tribus primis ſcrutatoribus exhibendas: & qui à pluribus fuerit nominatus (quamquam vota non exceſſerint medietatem) ille quartus ſcrutator habendus erit. Quod ſi duobus æqualia vota collata fuerint, ille qui fuerit antiquior in Ordine, præferendus erit: ita vt ex primo ſcrutinio, quartus ille ſcrutator pro ea dumtaxat electione ſemper habeatur.

Septimum eſt, quod poſtquam prædicti tres, vel quatuor ſcrutatores in menſa coram omnibus ſederint, debent primo ſua, deinde aliorum vota, per involutas ſchedulas in aliquo vaſe, vel vrna recipere: nihil aliud reſpicientes, quam quod vna tantum ab vno quoque exhibeatur, & in vrnam mittatur. Quod vt rectè, & ſine aliquo fraude fiat; nullus eligentium manum cum ſchedula in vrnam mittat, ſed vnam ſolum ex aere pendentem, ita vt ſcrutatoribus viſibiliter cadens appareat, intromittat. Similiter, vt omnis fraus auferatur, omnibus ac ſingulis eligentibus in Capitulo Bonon. 1615. ſtrictiſſimè præcipitur; vt in omnibus Canonicis electionibus, nullus electorum audeat ſchedulas, quibus electiones huiuſmodi perturbantur, multiplicare.

Octavum eſt, quod ſcrutatores receptis ſingulorum votis, debent ſchedulas involutas in menſam effundere, & numerare, atque conferre cum vocalium numero: & ſi numerus earum non fuerit æqualis numero eligentium; ſtatim eas non explicando neque legendo, comburant. Si autem æqualis fuerit, eas explicent, legant, diligenter ſcrutentur, & in ſcriptis redigant.

Nonum eſt, quod facto ſcrutinio votorum, debent ſcrutatores conferre numerum cum mumero eorum qui fuerint electi: & ſi invenerint, quod aliquis exiſtens extra Collegium, aut extra numerum eligentium fuerit electus à ma-

iori parte vltra medietatem omnium eligentium; eius electio rata, ac legitima habeatur. Si quis vero de numero ipſorum eligentium electus fuerit, vt illius electio rata, & legitima ſit, ne fraudi locus adſit neque poſſit aliquis ſeipſum eligere: duo vota vltra medietatem collata eſſe oportet. Declarantes tamen ſatisfieri huic ſtatuto de duobus votis, ſi conſtet illum eſſe electum a maiori parte, ſecluſo ſuo voto, ſi forte illud ſibi contuliſſet. Id autem tunc ſatis conſtabit, quando aderit vnum votum, & dimidium (quod dicitur) vl ra maiorem partem: vtpote ſi eligentes ſint quinque maior pars ſunt tres; requiritur ergo, & ſufficit, vt electus, qui eſt de numero eligentium, habeat quatuor vota, vt eius electio rata, & legitima habeatur. Vt fuit ordinatum Bonon. 1564.

Item declaramus in Capitulo Barcinonen. 1574. confirm. 14. & poſtea Romæ 1580. & 1583. iſtud haberi. Ordinamus quod alias fuerat confirmatum in Capitulo immediate præcedenti: vt ſi quis propriæ vocis renunciatione medietatem eligentium exceſſerit, in quacunque electione, tam canonica quam alia, irrita cenſeatur electio; & hoc habent quatuor capitula, quantum ad electionem canonicam. Adijcientes quod totum hoc ordinatum, cadit ſuper electione ipſa, & non ſuper electo, ita quod non poſſit denuo eligi. Quod in Capitulo Romano 1589. confirm 5. fuit confirmatum, & additum; quod ſi quis, nec propriæ voci renunciare, nec ſuum votum conferre voluerit ſed dixerit, neutraliter ſe velle habere; tanquam ſi voci ſuæ renunciaſſet cenſendus erit. Et quod qui contra huius tenorem quempiam electum confirmaverit: ijs pœnis ſubiaceat, quæ contra confirmantes non legitime electos, ſtatutæ ſunt; ac talis confirmatio nulla ſit & invalida. Item in eodem Capitulo Romæ 1589, declarat: 6. fuit ordinatum. quod ille qui eſt aſſignatus in aliquo Conventu, & electioni revera adeſſe poteſt: ſive tali electioni cum alijs in Capitulo interſit, ſive non interſit: debet neceſſario habere duo vota vltra eligentium medietatem, ad hoc ut rite, & canonice cenſeatur electus. Sicuti etiam de illo qui propriæ voci renunciat, iam ſæpe declaratum eſt.

Decimum eſt, quod habito ſchedularum numero, & collatione facta numeri ad numerum, debent vota in ſcriptis redigere, deinde ſchedulas coram eligentibus ante publicationem ſcrutinij comburere.

Tandem in medium Capituli veniendo, ſcrutatores nomina publicent eorum, qui fuerunt electi: atque exprimant numerum votorum, quæ vnuſquiſque habuit: quod etiam faciendum eſt, etiam ſi nullus fuerit a maiori parte vltra medietatem electus, vt ad ſecundum ſcrutinium poſſint dirigi electores. Si autem electio rata fuerit; ille qui primam vocem habuerit inter electores, tenens in manibus librum Conſtitutionum, debet vice omnium prædictorum eligere, & decretum electionis formare, dicendo; Ego Frater N. vice mea, & omnium eligentium præſentium, eligo Fratrem N. in Priorem talis Conventus. Quod ſi prius ſcrutator fuerit electus, ſecundus ſcrutator in publicando ſcrutinio, & formando decreto ſuccedat: & ea ſolum quæ in Capitulo publicantur, in decreto electionis mittendo ad Confirmatorem, ſcribenda ſunt; ſubſcriptis nominibus ſcrutatorum. Clauſum vero, & ſigillo coram omnibus, antequam a loco electionis recedant; munitum; ad Confirmatorem mittatur quantocius. Et idem modus eligendi ſervetur in electione Prioris Provincialis, ac Magiſtri Ordinis: & Diffinitorum Capituli Generalis, & Provincialis, & Socij Prioris Conventualis; euntis ad Capitulum Provinciale.

Declaramus præterea, vt in illis Provincijs, in quibus, vel ex Apoſtolico indulto, vel ex approbata, & iam diu recepta conſuetudine, ſolent præter nomen electi apponi in eadem ſchedula nomina eorum qui ſimul poſtulantur, ea conſuetudo deinceps conſervetur. Nomina vero eorum qui poſtulantur, & numerus eorumdem, ſimiliter in Capitulo publicentur, atque in decreto ſcribantur, & mittantur, vt in Capit. Bonon. 1564. ordinatum eſt. Quod autem ad clauſura ſcrutinij attinet, iſtud Romæ 1553. declarat. 3. ordinatum eſt: vt ſi contingat ſcrutinium ipſum debere tranſcribi poſtquam tranſcriptum fuerit, ſcrutatores ipſum coram vocalibus iterum legant, & in oculis eorum ſigillo claudant.

b A maiori parte ultra medietatem omnium eligentium.) Declaramus, quod nullus Frater irregularis, & qui non eſt in Sacris Ordinibus conſtitutus, vocem habet in quacumque Ordinis noſtri electione, ſicut fuit declaratum apud Narbonam 1354. Nec ſufficit ad hoc quod electio ſit canonica, vt electus habeat maiorem partem quam alij, ſed oportet vt habeat maiorem par-

partem vltra medietatem omnium eligentium.

c Vel per ſcrutinum, vel per compromiſſionē, vel per communem inſpirationem.) Declaramus, hanc antiquam eligendi formam per Concil. Tridentin. iam abolitam eſſe, & in omni canonica noſtri Ordinis electione, ſervandum eſſe Decretum Sacri Concilij Trident. Seſſ. 25. de Regularib. vbi ita decernit. *In electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, aliorumque Officialium Generalium, & Abbatiſſarum, ac aliarum Præpoſitarum, quo omnia recte, & ſine vlla fraude fiant: in primis ſancta Synodus diſtricte præcipit, omnes prædictos eligi debere per vota ſecreta; ita vt eligentium nomina nunquam publicentur. Neque inpoſterum liceat Abbates Provinciales, Priores, aut alios titulares quoſcumque ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. Si vero contra huius Decreti Conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is qui ad hunc effectum, ſe in Prælatum creari permiſerit; deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis exiſtat. facultateſque ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſeantur, & ſi in poſterum aliæ concedantur, tamquam ſubreptitiæ cenſeantur.* Et propterea in Capitulo Generali Bononienſi 1564. ſic habetur: In huius ergo (decreti videlicet Concilij) executionem, præcipimus vniverſis Fratribus noſtris: vt in futuris electionibus infraſcripta forma deinceps obſervetur; & ſi ſecus factæ fuerint, irritæ prorſus habeantur. Singuli electores in ſchedula ſcribant electi nomen, vel ſcribi faciant; eligentis autem nomen nunquam ſcribatur, nec ſcrutatoribus, nec confirmatori vnquam reveletur. Abrogata igitur electione per communem inſpirationem, & per compromiſſum, ſemper per ſcrutinium facienda eſt electio. Quod etiam Romæ 1571. denunc. 6. ita diſpoſitum fuit: Denunciamus in noſtro Capitulo Generali diligenter ſuper forma electionis per ſchedulas facienda a patribus eſſe tractatum, decretumque fuiſſe eam formam nullatenus eſſe immutandam: de qua re Sanctiſſimus Dom. Noſter Pius V. etiam conſultus in eadē ſententia fuit. Quapropter præcipimus omnibus Fratribus Ordinis noſtri, tam Prælatis quam ſubditis; ne de cætero vlla ratione eam immutare contendant. Declarantes tamen ſcrutinia, quæ fiunt ſuper retentione, vel abſolu-

ſolutione Priorum, more hactenus conſueto facienda eſſe. Socij etiam Prioris Provincialis euntis ad Capitulum Generale, ſive Socij Diffinitoris Capituli Generalis: eodem modo à Diffinitoribus Capituli Provincialis eligantur, ac deſignentur; ſicut antea conſuevit fieri. In receptione quoque Novitiorum ad habitum ſive ad profeſſionem, & in præſtando conſenſu in contractibus qui circa temporalia negotia fieri ſolent nihil innovatum cenſeatur: vt fuit ordinatum Bonon. 1564. quia iſta quatuor, vel quinque relata, per electionem canonicam non fiunt; atque ideo, nec in Decreto Concilij, quod tantum de electione canonica procedit, comprehenduntur.

Item declaramus, in Capitulo Bononienſi 1574. ordinat. 9. ordinatum fuiſſe: ne quis Patrum eligentium in quavis electione per ſchedulas, audeat, vel præſumant ipſius ſchedulis notam aliquam, characterem, vel ſignum quodlibet, & quovis modo, & cuiuſvis rationis, vnde poſſit nomen, vel perſona eligentis cognoſci, & ad notitiam venire, imprimere, inſcribere, vel alias annectere; privatos ex nunc declarantes vtraque voce tam inducentem ad hoc, quam facientes, ſeu conſentientes. Vbi item ordinatur, & Romæ confirmatur 1580. quod in omni electione cuiuſcumque Prioris, ſive Provincialis, ſive Conventualis, & Prioriſſæ; teneantur omnes vocales, præmiſſa (ſi opus habuerit) Sacramentali Confeſſione, Diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere ante celebrationem electionis, ſub pœna privationis vocis ipſo facto.

d Per Suppriorem, vel eius Vicarium.) Declaramus, quod mortuo, vel amoto Priore, amovetur etiam & eius Vicarius: ſicut fuit declaratum Avenionæ 1367. & Romæ 1501. declarat. 3.

Item declaramus, quod quanvis Supprior abſente Priore non poſſit Vicarium inſtituere, ſicut apud Brivam 1347. & in multis alijs Capitulis ordinatum fuit: tamen mortuo, vel amoto Priore cum vices eius per legem plenarie gerat in omnibus; poteſt Vicarium inſtituere, ſicut hæc habet Conſtitutio. Poteſt etiam Fratres ad Ordinem, & profeſſionem recipere, & confeſſiones Fratrum audire: alioſque exponere ad audiendas eorumdem Fratrum confeſſiones. Et hæc eadem facere poteſt Vicarius electus a Patribus, mortuo vel amoto Priore,

re,

re, & abſente Suppriore: quia in tali caſu non ſunt amplius delegati, ſed vterque habet poteſtatem, & iuriſdictionem ordinariam per legem ſibi datam, & conceſſam, vt amplius infra littera S. declarabitur.

Item declaramus, quod per Vicarium Supprioris intelligit Conſtitutio Vicarium illum, qui in Conventu ab ipſo Suppriore inſtitutus eſt, vel etiam a quocumque alio, eodem Suppriore abſente, & mortuo, vel amoto Priore eiuſdem Conventus: ſicut fuit declaratum Venetijs 1325.

Item declaramus, quod Vicarius electus a duobus, vel tribus antiquioribus e Conventu, abſente Suppriore, & mortuo, vel amoto Priore, ſi Domus non habuerit Vicarium Supprioris, vel alterius Superioris; vota eligentium poteſt recipere ſicut fuit declaratum Cadurci 1319.

Item declaramus, quod ſi in Conventu habente Suppriorem, mortuo, vel amoto Priore, aliquis per Capitulum, vel per Priorem Provincialem datus fuerit Vicarius dicti Conventus ſuper Suppriorem, & omnes Fratres: Vicarius in tali caſu debebit convocare Fratres ad electionem, Supprior autem cum duobus antiquioribus tenebit ſcrutinium: & prædictus Vicarius habebit vocem in tali electione, ſicut cæteri Fratres, vt fuit declaratum Avenione 1367.

Declaramus præterea, quod Provinciales, aut Vicarij, non poſſunt Vicarios pro electione Prioris facienda mittere ad Conventus, niſi in cauſa magnæ diſſenſionis electorum: ſive cum in veritate, Conventus adeo eſt viris idoneis deſtitutus; vt nullus in eo ſit, qui ſciat electionem dirigere. Et nihilominus, qui ſic miſſus fuerit, careat voce paſſiva in eadem electione: quod ſi ſecus factum fuerit totum ſit irritum, & inane. Et hæc ordinatio facta fuit primum Romæ 1553. deinde fuit confirmata ibidem 1558. & Avenione 1561. & Bononiæ 1564.

c Qui primitus Habitum noſtri ordinis ſuſceperunt.) Declaramus, quod illi eſſe debent ſervatores, non qui prius habitum ſuſceperunt, ſed qui poſt profeſſionem diutius ſuſceptum Habitum portaverunt, ſicut fuit declaratum apud Carcaſſonam 1324. Vnde illi, qui per apoſtaſiam a noſtro ordine receſſerunt, cum ſint omni voce privati, nec ad aliquam Ordinis electionem poſſint admitti; non poſſunt eſſe ſcrutatores, nec etiam vocem in electione habe-

habere: niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Generale, vel Provinciale Capitulum fuerint diſpenſati; quæ fieri non poteſt ante tres annos. Ita tamen vt anni quibus fuerint in apoſtaſia, non computentur eis quoad locum, ſed ſint ſub illis omnibus, qui habent plures annos in ordine poſt profeſſionem, quam ipſi haberent quando exierunt, & ita illi, qui diutius Religionis habitum poſt profeſſionem portaverunt, dicentur eſſe antiquioris illis, qui prius profeſſionis Habitum receperunt, ſed illum poſtea per apoſtaſiam dimiſerunt.

Declaramus tandem, quod præfati ſcrutores non debent eſſe cæci, neque ſurdi: ſed debent eſſe tales, vt videre poſſint eligentium vota, viſa ſcribere, & legere, & lecta in publicatione ſcrutinij audire.

I I.

f PVblicato autem ſcrutinio in medio, & *g* expreſſis nominibus eligentium, & electorum, & *h* facta collatione numeri ad numerum ſi maiorem partem medietate omnium eligentium in vnum conveniſſe invenerint, & minor pars interrogata maiori conſenſerit: *i* ille, qui primam vocem habuit inter electores, ſurgens dicat: Ego N. vice mea, & omnium electorum præſentium, eligo N. in Priorem talis Conventus, vel talis Provinciæ; ſi Prior Provincialis eligatur. Si vero non omnes conſenſerint, ſed maior pars vltra medietatem: tunc ſicut prius, qui primam vocem habuerit dicat: Ego N. pro me, & his qui mecum conſentiunt, eligo N. in Priorem, &c. vt prius. *k* quod ſimiliter in electione Magiſtri Ordinis, & Prioris Provincialis obſervetur.

I I I.

PRiores autem Conventuales ſupradicto modo electi, *l* a Priore Provinciali (ſi ei viſum fue-

fuerit) confirmentur. *m* Idem etiam fiat ſi aliquis a maiori parte illorum, ad quos pertinet electio, de alio Conventu fuerit poſtulatus.

f Publicato ſcrutinio) Declaramus, quod ante publicationem ſcrutinij, tam ipſi ſcrutatores, quam cæteri vocales (dummodo omnes conſentiant) poſſunt voces mutare; ſed poſt eius publicationem illas mutare nullo modo poſſunt.

g Expreſſis nominibus, eligentium, & electorum.) Declaramus, hanc antiquam Conſtitutionem de expreſſione nominum eligentium, poſt Tridentinum Concilium, de quo ſuperius mentio facta eſt quemadmodum, & illam aliam; Et minor pars interrogata maiori conſenſerit, in deſuetudinem abijſſe.

h Facta collatione numeri ad numerum.) Declaramus, quod cum iuxta tenorem noſtrarum Conſtitutionum, electiones noſtræ factæ a maiori parte vltra medietatem eligentium ſint canonicæ, nec alia collatio, quam numeri ad numerum requiratur: vt gravibus, & periculoſis diſcriminibus obvietur, prohibemus, vt præter talem electionis formam, ſeu poſt decretum talis electionis formatum, nullus præſumat ad aliam electionem procedere, vel aliud electionis decretum formare: ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, quam ipſo facto incurrat, & ad eam non poſſit reſtitui; niſi per Magiſtrum Ordinis; vt fuit declaratum apud Londonas 1314. Quando autem concorditer aliquis ab omnibus eligitur, non oportet vt fiat collatio numeri ad numerum; ſed ſufficit vt ille, qui præeſt, dicat, cum ſimus tot electores, omnes elegerunt talem.

i Ille qui primam vocem habuit inter electores.) Declaramus, quod ille cenſendus eſt habere primam vocem inter electores, qui primus eſt inter ſcrutatores, & primus ſchedulam in vas mittit: & talis debet formare decretum electionis, ſicut fuit declaratum Perpiniani 1327.

k Quod ſimiliter in electione Magiſtri Ordinis, & Prioris Provincialis obſervetur.) Declaramus, quod quando eligitur Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis vel Conventualis, pu-

publicato ſcrutinio debet vnus vice omnium eligentium formare electionis decretum, ſicut fuit ordinatum Florentiæ 1272.

l A Priore Provinciali, ſi ei viſum fuerit, confirmentur.) Declaramus, quod in Capitulo apud Verdunum in Provincia Franciæ celebrato 1536. ſic dicitur: Imponimus vniverſis Provincialibus, eorumque Vicarijs, ſub pœna abſolutionis: quatenus electos in Priores quantumcumque vnanimiter, non præſumant confirmare, niſi ſint ſufficientes in ſcientia, & moribus, & niſi veriſimiliter præſumant, quod correctioni, & honeſtati, & reformationi Ordinis operam dabunt efficacem. Et propter hoc Conſtitutio dicit: quod Provincialis Priorem electum ſi ei viſum fuerit, confirmabit. Quod verbum non deſignat liberam poteſtatem, ſed diſcuſſionem rationis, & arbitrium boni viri. atque ideo non debet Provincialis ſecundum libitum ſuæ voluntatis, ſed ſecundum iudicium rationis Priorem electum confirmare. Quamobrem in Capitulo Romano 1580. fuit confirmatum, vt Provinciales in confirmandis Prioribus Conventualibus, Patrum diſcretorum conſilium adhibeant: eorum autem ſententias, & vota; quos ad conſilium capiendum vocaverint, per ſuffragia ſecreta ſeu fabas ſuſcipiant; quo liberius ſuam poſſint ferre ſententiam. Quod etiam fuit ordinatum Barcinonæ 1574.

Item declaramus, quod ſi Prior Provincialis Fratrem aliquem electum, vel poſtulatum non confirmaverit, ſed ex aliqua rationabili cauſa, electionem caſſaverit: non poſſunt poſtea Electores cum ſecundo eligere, vel poſtulare ſine licentia Provincialis. Quod ſi caſſata electione, ſine eius licentia denuo illum eundem elegerint, vel poſtulaverint, electio illa nulla ſit, & poteſtas providendi de Priore ad ipſum Priorem Provincialem devolvatur, ſicut fuit ordinatum apud Montem Peſulanum 1271. & Florentiæ 1272.

Item declaramus, quod Priores Provinciales electionem canonice factam non debent niſi ex rationabili cauſa caſſare. Quod ſi electio aliqua, de aliquo canonice facta, ei fuerit præſentata, & ipſe dixerit: Ite & eligite vobis alium, quia hunc nolo confirmare, & non dixerit: Caſſo iſtam electionem, non poterunt Electores alium eligere, Si vero electione non caſſata elegerint alium, electio illa erit nulla, donec prima caſſata fuerit. Item ſi quis Frater

ter habens litteras Magiſtri Ordinis, quod non poſſit cogi ad ſuſcipiendum officium Prioratus, eligatur in Priorem alicuius Conventus, & à Priore Provinciali confirmetur: ſi talis Frater confirmationi factæ non conſenſerit, non eſt abſolvendus; ſed ſufficit electionem caſſari, vt Electores libere alium eligere poſſint, ſicut fuit declaratum Ianuæ 1365.

Item declaramus, quod ille qui eſt canonice electus in Priorem alicuius Conventus Ordinis noſtri, non poteſt ſtatim pronunciata electione cedere iuri ſuo. Primo, quia taliter electus in Ordine noſtro, ex tali electione nihil iuris acquirit. Quod patet, quia quantumcumque ab omnibus eligatur, nullam tamen habet adminiſtrationem; & tamen electi in quibuſdam Eccleſijs ſtatim habent adminiſtrationem, & gerunt quaſi vicem Prælati.

Secundo, quia Religioſus quicumque, cum obedientiam ſit profeſſus, non habet velle, aut nolle: ac proinde ſi Prælatus aliquid ei præcipiat, oportet eum obedire; nec eſt in eo diſſentire, bene tamen in Prælato præcipiente, à cuius voluntate, ſubditi voluntas dependet.

Tertio. Quia quantumcumque aliquis à maiori parte, vel ab omnibus eligatur, in poteſtate tamen Superioris eſt ipſum confirmare, vel non confirmare: quia Conſtitutio dicit, quod Provincialis poterit talem electum confirmare ſi ei videbitur expedire. Et quamvis illum non confirmet, non tamen reſtat tali electo locus appellandi, vel aliqua cauſa proſequendi, ſiue aliquid in foro contentioſo repetendi. Apparet ergo ex prædictis; talem non habere ius aliquod in tali electione, ac proindè non poſſe cedere iuri ſuo, quia ex vi talis electionis nullum ius dignoſcitur acquiſiviſſe. Si quis autem à maiori parte eligitur, & tamen contradicitur tali electioni; electus non debet confirmari quouſque tales contradictiones audiantur, & removeantur, ſicut fuit declaratum Valencenis 1337. Declaramus etiam, quod quantumcumque ſit aliquis canonicè electus, & confirmatus, eique præceptum de acceptatione factum ſit: ipſe tamen non conſentiat; nunquam eſt Prior, nec Prælatus, neque ius aliquod ſibi acquirit.

m Idem etiam fiat, ſi aliquis à maiori parte fuerit poſtulatus.) Declaramus, quod quamvis olim quando quis erat ex alieno Conventu, vel alium Prioratum obtinebat, non eligeretur, ſed p ſtularetur; tamen poſtea in Capit.

pit. Placentiæ celebrato 1310. ſic fuit declaratum: quod in omni electione canonica Ordinis vndecumque, vel in quocumque ſtatu perſona eligenda exiſtat, ſemper in formatione decreti dici debet: Eligo, & nunquam ſolum, Poſtulo.

I V.

n CONuentus autem, qui petit electi confirmationem: numerum, & nomina ſcribat eligentium; cum formatione decreti, & expreſſione eorum, quæ in electione facta ſunt.

n Conuentus autem &c.) Declaramus, quod Conventus qui mittit ad Provincialem pro confirmatione Prioris electi, debet in ſcriptis narrare totum electionis proceſſum, & ſcribere numerum eligentium, & quot vota tam electus, quam non electi habuerunt: eique ſignificare, nihil eorum, quæ ad canonicam requiruntur electionem, fuiſſe omiſſum.

Item declaramus, propter Decretum Concil. Trident. ſuperius relatum, in electionibus Priorum tum Conventualium, tum etiam Provincialium, ſervandum eſſe in toto Ordine ſtatutum Capituli Generalis Bononien. 1564. ſimiliter etiam Valliſoleti 1605. quod quidem eſt huiuſmodi. Quia electionum libertati quam maximè ſancta Synodus conſultum eſſe voluit: admonemus in primis RR. Provinciales, & alios Superiores, quibus poteſtas dirigendi, & confirmandi electiones commiſſa eſt; vt ea quam modeſtè vtantur. Quare vbi non fuerit ſpecialis neceſſitas, nullus Electoribus proponantur. Quod ſi neceſſarium eſſe exiſtimabunt, non pauciores quam tres in ſingulis electionibus proponant. Cæterum ſi Electores, alioquin dignum (quamvis non de propoſitis) elegerint; eam tamen electionem Confirmator, Divini iudicij memor, (niſi iuſta ſubſit cauſa) confirmare non differat.

V.

o SI verò infra menſem non elegerint, vel poſtulauerint; Prior Prouincialis prouideat Conuentui de Priore, *p* qui competenter ſciat in ſuo Conuentu proponere verbum Dei. Nullus eligatur, aut confirmetur in Prio-

Priorem, niſi ſciat Grammatice loqui abſque falſa latinitate: & ſit ita inſtructus (ſaltem in moralibus ſacræ Scripturæ) vt ſciat proponere competenter verbum Dei in ſuo Conuentu. Quod ſi ſecus factum fuerit, in Conuentibus habentibus integrum numerum Fratrum; Confirmator abſoluatur, & per triennium omni officio Ordinis priuetur.

o Si verò infra menſem non elegerint.) Declaramus, quod ſi Electores ſtatuerint aliquam diem ad eligendum Priorem infra menſem, & in illa die ſtatuta non elegerint: potuerunt alium diem infra ipſum menſem ad electionem faciendam conſtituere, ſicut fuit declaratum Toloſæ 1304. Declaratum etiam fuit in Capitulo Romano 1601. declarat. 2. menſem electionis incipere debere à die, quo de carentia Prioris in Conventu conſtiterit, infra quem menſem debent Electores canonice aliquem eligere. Quod ſi non elegerint, etiamſi actus aliquos electionis, vel ad electionem pertinentes fecerint; ſtatim tranſacto illo primo menſe; devolvitur ius ad Provincialem. Quod ſi canonicè aliquem elegerint, & contigerit vt caſſetur electio; incipiat denuo alter menſis electionis, à die quo canonicè conſtiterit Conventui prædicta caſſatio. Quod ſane intelligendum eſt habere robur quomodocumque ceſſatur electio ſive propter defectum in ipſa commiſſum, ſive propter aliquam aliam rationem. Et ſi in illo caſu Provincialis Priorem providerit, ille talis non erit Prior. Et quamquam Conſtitutio Provinciali terminum non præfigat ad providendum de Priore, ſed abſolutè dicat, quod ſi infra menſem non elegerint, Prior Provincialis Conventui provideat de Priore; non tamen propter hoc intendit derogare iuri communi, quo cavetur, vt ille ad quem poteſtas devolvitur, debeat infra tres menſes Eccleſiæ viduatæ providiſſe; vt habetur in cap. *Ne pro defectu*. extra *de electione*. Et ideò ſi Provincialis, vel eius Viceſgerens in prædicto caſu infra tres menſes Conventui de Priore non providerit; elapſis tribus menſibus non poterit providere, & ſi providerit, proviſio non valebit, ſed ad Magiſtrũ Ordinis poteſtas providendi devolvetur: vt habetur extr. *de ſuppelen. negligent. Prælatorum*, cap. *Licet*. Vbi dicit

dicit gloſa, quod mora in electionibus non poteſt purgari.

Item declaramus ex Capitulo Valentino 1596. declarat. 5. quod quando contigerit Priorem, aliquem non aliam ob cauſam à Prioratu, quem tunc habet abſolvi, quam vt poſſit in Priorem alterius Conventus confirmari: ſi confirmatio quacumque de cauſa ſuum non ſortiatur effectum, nulla cenſenda erit abſolutio; poteritque in primo ſuoPrioratus officio perſeverare. Item Romæ 1580. admonentur Patres Provinciales, quod ſi Inquiſitores eligi in Priores contigerit, non eos confirment, niſi conſulto Magiſtro Ordinis, atque ſacra Congregatione ſancti Officij: ne forte ſanctum Officium Inquiſitionis impediatur.

p Qui competenter ſciat in ſuo Conventu proponere verbum Dei.) Declaramus, quod ille qui neſcit competenter proponere verbum Dei, ne eligi poteſt in Priorem, ne confirmari: quia ſecundùm Conſtitutiones videtur ineligibilis. Quare in Capitulo Venetijs 1357. ſic dicitur: Volumus, & ordinamus, quod nullus de cætero confirmetur in Priorem, niſi ſit ſufficiens, Provincialis iudicio, ad proponendum verbum Dei: mandantes ſtrictiſſimè Prioribus Provincialibus; quod omnes Priores inſufficientes à ſuis officijs indilate abſolvant. Et in Capit. apud Toloſam 1372. ſic dicitur: Ordinamus, quod nullus Frater poſſit eligere in Priorem eum, qui neſcit competente proponere Verbum Dei: nec etiam poſſit eligi, qui non poteſt ſequi Chorum, Dormitorium, Refectorium, & communia, prout decet; & idem fuit declaratum Cenomanis 1491. declarat 7. & in multis alijs Capitulis; potiſſimè autem Romæ 1571. admonit. 3. admonentur PP. Provinciales, & vniverſi Fratres, ad quos pertinet electio: vt in Conventibus, vbi viget Studium Generale, dent operam vt viri graves, & quo magis fieri poterit in litteris periti, in Priores eligantur, vt ſcientiarum ſtudia, quæ maximè Ordo noſter profitetur, in dies augeantur.

Item declaramus, quod electio debet eſſe digni, & idonei viri: & ideò nullus poteſt eligi in Priorem, qui non habet conditiones à ſacris Canonibus requiſitas. Nullus autem debet excludi à quacumque electione, prætextu alicuius criminis, vel delicti, niſi ſententialiter ſit condemnatus, & per ſententiam voce privatus: quãvis ad electionem non debeat ad-

admitti ille, de quo manifeſtum ſit incidiſſe in excommunicationem latæ ſententiæ, etiam nulla alia declaratione ſubſecuta; cum ſufficiat aperte conſtare eum commiſiſſe aliquid, per quod revera ipſo facto in excommunicationem latæ ſententiæ inciderit.

Item non poſſunt eligi Fratres, qui morantur extra clauſtra, etiam ſi Cathedrali Eccleſiæ inſerviant: vt declaratum fuit Romæ 1601. declarat. 5. Multo minus eligi poſſunt, qui extra Ordinem beneficia obtinent, vt inferiùs in capit. *de Itinerantibus*, dicetur: Et qui Provincialis fuit, non poſſit infra octo annos immediate eius abſolutionem ſequentes, eligi in Provincialem in illa Provincia: & qui fuit Prior infra quadriennium in eodem Conventu, in quo fuit Prior, vt conſtituit Iulius II. Quod quidem intelligitur vbi Provinciales durant per quadrienniũ. Priores vero per triennium. Duo etiam Fratres germani non poſſunt ſibi immediate ſuccedere in officio Prioratus, aut Provincialatus; quod ſi ſecus factum fuerit, electio ſit irrita, & nulla; ſicut de facto irritam, & nullam decernimus, & declaramus. Romæ 1608. ordinat. 16. & confirmatum Pariſijs 1611. confirm. 10. Ineligibiles quoque ſunt ij, qui per ſententiam condemnati ſunt ad pœnas gravioris culpæ, donec diſpenſentur; quin etiam poſt diſpenſationem, vel ſatisfactionem non adeò facile eligantur; niſi forte poſt multos annos mores in melius commutaſſe ita clare conſtiterit, vt meritò non indigni aliqua gratia cenſeri poſſint. Romæ 1589. ordin. vltima. Item Romæ 1569. ordinat. 12. habetur: Apoſtatas in poſterum recipiendos ad Ordinem non poſſe admitti ad Prælaturas ante viginti annos: & irritum decernitur, ſi ſecus factum fuerit, vt etiam ſuperiùs in cap. *de Apoſtat.* dictum eſt. Et Romæ 1558. ordin. 3. definitur, vt qui abiuraverint tanquam de hæreſi vehementer ſuſpecti; non poſſint à quocumque etiam Magiſtro Ordinis reſtitui, aut promoveri ad quodcumque officium, ſive dignitatem toto tempore vitæ ſuæ: irritum decernentes quidquid in oppoſitum factum fuerit. Quod etiam confirmatur Bononiæ 1564. confirm. 9. nulla facta mentione illorum verborum: *Etiam à Magiſtro Ordinis*. Eligendus etiam in Priorem debet habere 12. annos à profeſſione completos, vt fuit authoritate Apoſtolica ordinatum Valentiæ 1596. ordin. 10. & eadem authoritate confirmatum Neapoli 1600. ordin. 13. & Romæ 1601. ordinat. 5.

V I.

o FRatres autem poſt quatuor annos à profeſſione ſua, (ſi tamen ſint in ſacris conſtituti) ad electionem Prioris Conventualis admittantur. Infra vero idem tempus in Socios Priorum Conuentualium; vel in Electores Priorum Prouincialium, vel in Priores nullatenus eligantur. *p* Si vero de aliena Prouincia fuerint, poſtquam per annum continuum in aliquo vno Conuentu alienæ Prouinciæ aſſignati morati fuerint, admittantur ad electiones in illa Prouincia, ſicut alij: & hoc tam ſi ad tempus, quam ſi ſimpliciter ad alienam Prouinciam quis aſſignetur. Infra verò idem tempus non admittantur ad electionem Electorum Prioris Prouincialis, nec ad tractatus eorum, quæ ad Generale, vel Prouinciale Capitulum ſunt mittenda.

o Fratres autem poſt quatuor annos à profeſſione ſua.) Declaramus in Capitulo Romano 1608. ordinat. 4. ita fuiſſe ordinatum: Cùm in Capitulo Generali Valentiæ anno Domini 1596. celebrato, ordinat. 10. authoritate Apoſtolica ſtatutum fuerit; vt nullus haberet impoſterùm vocem tam activam, quam paſſivam in vlla electione canonica, niſi poſt expletos duodecim annos à profeſſione ſua: quæ ordinatio recepta, & confirmata fuit in duobus immediate ſequentibus Capitulis Generalibus, Neapolitano 1600. & Romano 1601. (vbi declaratum fuit, eadem authoritate Apoſtolica interveniente, hanc ordinationem extendendam eſſe ad electionem Sociorum Priorum euntium ad Capitulum Provinciale) nunc propter iuſtas, & legitimas cauſas, habito vivæ vocis oraculo à SS. D. N. Paulo Papa V. de eiuſdem Apoſtolica authoritate, non obſtante præfata Capituli Valentini ordinatióne, eiuſdemque per duo Capitula ſequentia confirmatione, ſtatuimus, & ordinamus: vt deinceps Fratres noſtri in quacunque electione canonica habeant vocem activam; dummodo expleverint ſex annos integros à ſua profeſſione, & fuerint Sacerdo-

dotes. Conventu noſtro Pariſienſi dumtaxat ob certas cauſas excepto, in quo præfatam Capituli Valentini ordinationem volumus, & declaramus, in ſuo robore permanere. Item eadem authoritate Apoſtolica cum eadem moderatione confirmatum fuit Pariſijs 1611. & declaratum: per hanc moderationem, circa Moniales quidem nihil omnino innovatum; circa Fratres verò nihil quoad paſſivam vocem mutatum fuiſſe.

Quod ſi contingat aliquem Converſum profeſſum admitti ad Habitum Clericalem habeat vocem in electionibus Canonicis poſt duodecim annos à ſuſceptione Habitus Clericalis, vt Valliſoleti 1605. declaratum eſt. Declaramus etiam quod cum dicit iſta ordinatio: Dummodo expleverit ſex annos, hoc eſſe intelligendum de expreſſa, vel tacita profeſſione: iuxta declarationem factam in Capitulo Barcinon. 1574. Ita exponentem Conſtitutionem, quæ quatuor annos à profeſſione requirebat. Declaramus præterea, quod ſi in aliquo Conventu non reperiantur, niſi duo legitimi vocales (Sacerdotes videlicet, & qui habuerint ſex annos à profeſſione) tunc adiungantur vſque ad quinarium numerum ex his, qui habent quatuor annos à profeſſione, ſuntque in Sacris, incipiendo ab antiquioribus: quod ſi tot non ſuppetant, addantur ſaltem vſque ad numerum ternarium, & ſic poterunt ad electionem procedere. Si autem tot non reperiantur: tunc devolvitur electio ad Provinciales, qui de conſilio quatuor, ad minus, graviorum Patrum, maxima cum conſideratione providere debebunt; eorumdem conſcientias ſuper hoc aggravamus: ſicut fuit authoritate Apoſtolica declaratum Romæ 1601. circa explicationem ordinationis quę 12. annos profeſſionis requirebat.

Item Romæ 1583. ordinat. 6. fuit ordinatum, quod Fratres, qui ordinariè permanent extra Conventum quacunque occaſione, & prætextu, (præterquam pro Officio ſanctæ Inquiſitionis,) non cenſeantur aſſignati in Conventibus ad vocem habendam in electionibus, quacunque ratione in illis aſſignentur: ſed omninò excluſi intelligantur, quoad electiones faciendas. Quod etiam Romæ 1589. confirm. 4. confirmatum fuit, cum declaratione; quod tantummodo vocem activam non habeant in electione, in Conventibus in quibus ſunt aſſignati. Et iterum Romæ 1601. ordinat. 4. ordinatum fuit; vt Fratres extra

Ordinem commorantes, etiamſi alicui inſerviant Cathedrali Eccleſiæ, vel ibi ſint Lectores; nec paſſivam, nec activam habeant vocem.

p Sí vero de aliena Prouincia fuerint, poſtquam per annum continuum &c.) Declaramus, quod Fratres qui ſunt de vna Provincia, ſi aſſignentur in aliquo Conventu alterius Provinciæ, ſive pro ſtudio, ſive quocunque alio modo, ſi non ſint ibi totaliter translati, non habent vocem in illo Conventu: niſi poſt talem aſſignationem ſteterint per vnum annum continuum in aliquo Conventu Provinciæ. Et intelligitur, quod fuerit continuatio aſſignationis, & maioris partis vnius anni; vt declaratum fuit in Capitulo Romano 1532. declarat. vltima. Si vero fuerint totaliter translati, & illi Provinciæ incorporati: tunc poſtquam fuerint in aliquo Conventu illius Provinciæ aſſignati, abſque aliqua dilatione, habebunt in præfato Conventu vocem ad electiones faciendas: ſi tamen compleverint ſex annos à ſua profeſſione, & Sacerdotes fuerint, prout ſupra dictum eſt. Quia ſic translati, ſunt de illa Provincia ad quam ſunt totaliter translati, & non de alia, ſicut fuit declaratum apud Brugas 1336. declarat. 1. & Coloniæ 1428.

Item declaramus, in Capitulo Romano 1569. ſic haberi: Concedimus Fratribus Provinciarum Indiarum, & Congregationum, vt quamprimum Fratres ad illos ex partibus Hiſpaniarum declinaverint, & ad Conventus ſuarum aſſignationum acceſſerint, habeant vocem etiam in electione Priorum: ſi alias habiles fuerint, eſto quod per integrum annum in aliquo Conventu earundem Provinciarum non ſteterint, & ſi quid in hac parte ſupplendum ſit, authoritate Apoſtolica ſuppletum eſt.

V I I.

q ELectio autem tam Priorum Prouincialium quam Conuentualium, ad illos tantum pertineat electores; qui perſonaliter præſentes in electione extiterint: ſicut fit in electione Magiſtri Ordinis.

q Electio autem tam Priorum Prouincialium: quam Conuentualium.) Declaramus, quod licet ſecun-

cundùm iura, illi qui ſunt abſentes, poſſint inſtituere Procuratorem ad eligendum, quando electio eſt facienda: tamen in Ordine noſtro in quacunque electione non poſſunt electores abſentes per litteras, aut per Procuratorem eligere; ſed oportet quod ipſi perſonaliter, & præſentialiter in loco electionis exiſtant, niſi in eodem Conventu eſſent infirmi decumbentes: quia tunc ſcrutatores debent ad eos accedere. Inſtante tamen electione Prioris in Conventu, vel tractatu de ſocio faciendo: ſi aliqui ex electoribus extra Conventum infra dietam fuerint; debent Præſidentes Conventuum ad eos nuncium mittere. Quod ſi noluerint, vel non potuerint venire, vel in loco vbi veriſſimiliter putabantur debere eſſe, facta diligenti inquiſitione inventi non fuerint; poterunt electores præſentes, poſtquam hoc eis legitimè conſtiterit, in eorum abſentia, canonice ad electionem procedere: ſicut fuit declaratum in Capitulo apud Biſuntium 1353. Et Romæ 160. ordinat 28. authoritate Apoſtolica ſtatutum fuit, de Provincialibus, & Diffinitoribus: ſcilicet, ne ſint duo Provinciales vnius eiuſdemque Provinciæ; idem dicendum de Diffinitoribus, qui ad electionem Magiſtri Ordinis conveniunt per dietam autem intelligitur, iter quod poteſt facere vnus pedeſter in vna die.

Item declaramus, quod in diverſis Conventibus ſeparatis, quorum vnus ab alio non dependet, non poteſt aliquis Frater habere vocem; nec Prior in vno Conventu poteſt habere vocem in alio, niſi fortè ibi inſtitueretur Vicarius ad tempus; vt habetur in cap. *Conſtitutis de electione* & capit. vltim. *de Relig.* & capit. *Cum ſingula. de Præben. lib.6.* vt etiam fuit in multis Capitulis ordinatum. Et noviſſimè Vlyſſiponæ 1618. ordinat. vltima, ordinatum fuit; quod nullus Frater ratione novæ aſſignationis poteſt eodem anno duos eligere Priores, nec ſocios pro Capitulo Provinciali; exceptis Regentibus, Lectoribus, & Studentium Magiſtris, qui ſtudiorum promovendorum intuitu alijs Conventibus aſſignati fuerint, & etiam Supprioribus de novo inſtitutis. Quæ exceptio non intelligitur de Lectoribus Caſuum Conſcientiæ.

Item declaramus, quod cum ex inductionibus, & practicis indebitis libertati electionum Ordinis plurimùm detrahatur, & turbationes, & ſcandala plurima conſequantur, & Synceritas ſtatus Ordinis noſtri multipliciter lædatur: propter

hoc in multis Capitulis fuit ſtrictiſſimè prohibitum : ne aliquis prece, pretio, promiſſione, comminatione, ex certa ſcientia, & ex animi deliberatione præſumeret alium ad eligendum aliquem inducere. Qui vero contrarium fecerit, ſi per triennium omni voce privatus, & nihilominus pœnis alijs acriter puniatur. Et eandem pœnam incurrat ille qui hoc ſciverit, niſi ſtatim habita opportunitate debita, Prælato ſuo ipſum inductorem revelaverit; ſicut fuit ordinatum Pariſijs 1286. Burdigalæ 1287. Lucæ 1288. Treveris 1289. Placentiæ 1310. Neapoli 1311. Carcaſſonæ 1312. Similiter propter eandem rationem, vt electiones noſtræ liberè fiant, in cap. 16. *infra de Ordinationibus* diſponitur: quod infra menſem ante electiones quaſcumque, novæ aſſignationes, & mutationes Fratrum non fiant; niſi in caſibus ibi exceptis. Et de hoc fuerunt admoniti Provinciales in Capitulo Bononienſi 1564. admonit. 8. per hæc verba: Admonemus RR. Provinciales, vt cùm celebrandæ electionis in Conventu aliquo tempus inſtat, etiam ſi Priori menſis vnus ſuperſit ſui Officij, maximè abſtineant à mutationibus Fratrum in dicto Conventu, in quo inſtat electio; niſi in his caſibus, qui in noſtris Conſtitutionibus exprimuntur; ne propter hoc eligentium liberati aliquod præiudicium fieri videatur. Et Romæ 1589: declarat. 5. ſic habetur: Declaramus ad tollendam quamcumque fraudem, & doli ſuſpicionem, & quatenus opus eſt decernimus, & ſtatuimus, quod ad hoc vt aliquis in aliqua electione vocem habeat, non ſufficit quod ante electionis menſem in Conventu vbi eligere debet, fuerit aſſignatus; niſi de aſſignatione ipſa, & Prælato, & Conventui in quo de novo eſt aſſignatus, revera ante menſem conſtiterit. Quod Venetijs 1592. fuit confirmatum, & additum; quod excipiatur caſus mortis ipſius Prioris; quando iam nulla fraus præſumi poteſt. Tandem in Capitulo Romæ 1601. acceptata fuit Clemen. VIII. Conſtitutio, ne duobus menſibus ante tempus electionis Prioris, vllæ fiant aſſignationes, vel revocationes. Quæ etiam fuit acceptata Vallisol. 1605. acceptat. 2. & additum; quod ſi factæ fuerint, Fratres ſic aſſignati non habeant vocem in quavis electione illius Conventus, donec aliquis fuerit confirmatus.

Item declaramus in Capitulo Romæ 1612. declarat. 2. fuiſſe ordinatum ita: Declaramus quod cum in Conſtitutionibus

nibus noſtris dicitur, quod infra menſem electionis, numerus eligentium non augeatur; non debet intelligi quando quis intra tempus electionis complet ſex annos ſuæ profeſſionis, ſi eſt Sacerdos, vel ſacrum Presbyteratus Ordinem ſuſcepit, & explet ſex annos à profeſſione: poterit enim in præfatis caſibus vocem habere in electione. Et idem dicitur, ſi contingat Priorem mori; iuxta declarationem Venetijs 1592. factam, quia tunc nulla fraus præſumi poteſt.

Item declaramus ordinatum fuiſſe Pariſiis 1611. ordinat. 10. ad tollenda inconvenientia in electionibus, quod non fiant aſſignationes doloſæ ac fictitiæ, ſed ad illos tantum pertineat electio, qui realiter & bona fide in illo Conventu aſſignati ſunt; & in eodem ſaltem per duos menſes realiter & bona fide Conventui inſervientes ante electionem Prioris permanſerunt. Nec etiam poſſunt vocales ab eodem Conventu removeri infra idem tempus electionis, antequam Prior electus fuerit, & confirmatus; niſi pro officio Prioratus, vel Lectoratus, vel ratione ſcandali. Item Valentiæ 1596. prohibetur, ne de electione peragenda aliquis tractare audeat (niſi ante diem vnam naturalem electionis) per ſe, vel per alios verbo, aut ſcripto, ſub pœna gravioris culpæ; ſive is vocem habeat in electione, ſive non. Et Prælati talem pœnam tranſgreſſoribus infligere tenentur. Et in *cap.* Sciant cuncti, *de electione* lib. 6. habetur ſummarię Decretum hoc: Sciant cuncti, qui eos ad quos ſpectat electio, pro eo quod rogati, vel inducti, eum pro quo rogabantur, vel inducebantur eligere noluerunt, ſpoliant, vel iniuſtè perſequuntur; ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrunt. Quod in Capitulo Bonon. 1615. fuit ad memoriam revocatum.

VIII.

PRior autem Conuentualis, de conſilio diſcretorum Fratrum ſui Conuentus inſtituat Suppriorem; cuius officium erit habere diligentiam circa Conuentum; & corripere delinquentes, & in alijs quantum Prior aſſignauerit, vel ei permiſerit. Idem autem Supprior mortuo Priore, vel amoto, vices eius

in omnibus plenarie obtineat: quouſque Prior eiuſdem loci fuerit electus, *t* & in Domo præſens extiterit; *u* niſi Prior Prouincialis aliter ordinauerit. In quotidianis verò Capitulis non accuſetur Supprior: niſi aliquando pro aliquo maiori exceſſu, ſecundum quod Priori viſum fuerit, proclametur.

r Prior autem Conuentualis de conſilio diſcretorum.) Declaramus, quod Prior Conventualis, non poteſt inſtituere Suppriorem, niſi de conſilio, & aſſenſu ſpecialiter ad hoc congregato, maioris, vel ſanioris partis Patrum illius Conventus, qui iuxta morem ſolent ad conſilia vocari: & oportet, quod ille Frater, qui debet Supprior inſtitui, ſit in eodem Conventu aſſignatus, ſicut fuit declaratum Venetijs 1325. Ad conſilia autem vocandi ſunt hi, qui deſignati ſunt in *Capit. de Recipiendis*,

Item declaramus, quod Priores Provinciales, in ſua Provincia dumtaxat poſſunt inſtituere Suppriores: quia in Rectoribus eſſentialiter ordinatis, quod inferiori conceditur, ſuperiori nullatenus denegatur; niſi ſuper hoc ſpecialis fiat exceptio, ſicut fuit declaratum Biſuntij 1353.

Item declaramus, quod in quolibet Conventu, Suppriore carente, Priores ſecundùm modum in Conſtitutionibus poſitum, tenentur infra ſpatium vnius menſis Suppriores inſtituere, vel inſtituendos petere: & qui in hoc inventi fuerint negligentes, à ſuis officijs abſolvantur, ſicut fuit ordinatum Neapoli 1311. ordinat. 14 & Valencenis 1337. Declarantes, quod imminente tractatu eorum, quæ ad Capirulum mittenda ſunt, non debent Priores vllo modo Suppriores abſolvere: quod ſi contrarium fecerint, in pœnam à Prioratus officio abſolvantur, ſicut fuit ordinatum Avenione 1341. ordinat.9.

Item declaramus, quod quamvis Prior Conventualis non poſſit inſtituere Suppriorem, niſi Fratrem in ſuo Conventu aſſignatum, poteſt tamen inſtituere Vicarium in Conventu ſuo, Priorem, vel Fratrem alterius Conventus: licet hoc non debeat facere, niſi in caſu neceſſitatis. Nam ſecundùm iura, vnus Ordinarius poteſt committere vices ſuas alteri, cuiuſcumque alterius Diœceſis, & propter hoc cum

cùm Prior ſit Ordinarius in ſuo Conventu; poterit vices ſuas Fratri cuiuſcumque alterius Conventus committere. Item declaramus, quod nec Supprior, nec Vicarius inſtitutus à Priore, poteſt in abſentia Prioris alium Vicarium ſubſtituere, niſi ſibi ſpecialiter committatur per Priorem; dicendo in ſuo receſſu: Ego inſtituo in Vicarium illum, vel illos, quos inſtituendos, duxeritis; ſicut fuit declaratum Toloſæ 1328. Item cum abſentia Supprioris ſit Conventui valdè damnoſa, nullo modo debent Suppriores, in ſocios Priorum eligi: qui autem oppoſitum fecerint, debent graviter puniri, ac voce privari, ſicut ordinatum Bononiæ 1275. & Toloſæ 1304. Si tamen Suppriores Conventuum fuerint Prædicatores Generales, quia habent vocem in Capitulo Provinciali, poſſunt ire ad Capitulum Provinciale: vt fuit declaratum Romæ 1608. declarat. 1.

Item declaramus, quod Suppriores, & Vicarij Priorum in abſentia Prioris, non poſſunt recipere Fratres ad Ordinem, vel profeſſionem, neque etiam ad ſacros Ordines promovere: ſicut fuit ordinatum apud Montem Peſulanum 1394. poſſunt tamen abſentibus Prioribus, per Privilegium, quo dicitur *Mare magnum*, omnes Fratres ſuorum Conventuum, vel ad eos declinantes, ab omnibus exceſſibus, & cenſuris à iure, vel à Iudice generaliter promulgatis abſolvere: ac Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis eis adminiſtrare. Lundini 1335. & Valencenis 1337.

f Supprior mortuo Priore, vel amoto, vices eius in omnibus plenariè obtineat.) Declaramus, quod per Conſtitutiones noſtras, mortuo, vel amoto Priore, cùm Supprior vices eius plenariè in omnibus obtineat, poterit in tali caſu agere quidquid Prior iure ordinario poteſt: & ideo poterit Vicarium inſtituere, Fratres ad probationem, vel ad profeſſionem recipere, Confeſſorem eligere, & aliorum Fratrum confeſſiones audire, & alios pro audientia Fratrum exponere. Quia cum ſit in tali caſu quaſi ordinarius, & poteſtatem, ac iuriſdictionem ordinariam habens, poterit prædicta, & quæcumque alia facere, quæ Prior iure ordinario poteſt. Non poterit autem Fratres præſentare Epiſcopis pro confeſſionibus ſecularium audiendis, vel Ordinibus ſuſcipiendis, vel alia huiuſmodi facere, quæ Priori competunt, non de iure,

re, ſed ex commiſſione. Et hæc eadem poteſt Vicarius electus à Patribus mortuo, vel amoto Priore in abſentia Supprioris: quia in tali caſu Vicarius non eſt delegatus, ſed habet iuriſdictionem ordinariam per legem ſibi datam.

t Et in Domo præſens extiterit.) Declaramus, quod Prior Conventualis noviter electus, & confirmatus, antequam veniat ad ſuum Conventum, non poteſt Suppriorem à ſuo officio removere: quia per legem, ſeu per Conſtitutionem, vices eius plenariè gerit in omnibus, quouſque ipſe Prior præſens in Domo extiterit. Poſtquam verò ſemel in Conventu præſens fuerit, & poſtea à Conventu receſſerit; poterit etiam exiſtens extra ſuum Conventum, Suppriorem, vel etiam Vicarium à Patribus electum abſolvere: & alia quæ ad ſuam iuriſdictionem pertinent quoad Fratres ſui Conventus exercere. Similiter poterit Prior Conventualis Suppriorem inſtitutum à Priore Provinciali abſolvere, vt declaratur in Capitulo Barcinonæ 1574. declarat. 12. Sed hoc de abſolutione Supprioris, intelligendum eſt iuxta declarationem Capituli Valentini 1596. declarat.7. quod poſſit abſolvi à Priore de Patrum tamen conſilio per vota ſecreta.

Item declaramus in Capitulo Barcinonæ 1574. declarat.11. fuiſſe declaratum: Suppriores non habere locum extra Conventus, quibus præſunt, neque etiam ſuper Baccalaureos ſubditos ſuos, quos ſolent præcedere in ſuo Conventu; ſi contingat Suppriorem, & Baccalaureum eiuſdem Conventus, ad alium Conventum ſimul declinare.

u Niſi Prior Provincialis aliter ordinauerit.) Declaramus, quod mortuo, vel amoto Priore, Prior Provincialis poteſt Suppriorem à ſuo officio abſolvere, vel authoritatem eius limitare; etiam antequam Prior electus fuerit, vel confirmatus, vel præſens in Domo extiterit. Et poterit in eodem Conventu Vicarium inſtituere Fratrem alterius Conventus, qui habebit vocem in electione, & alijs negotijs, & tractatibus illius Conventus; ſicut fuit declaratum Cadurci 1319. Non poteſt tamen in illa electione vocem paſſivam habere in eodem Conventu: quod ſi ſecùs factum fuerit, totum ſit irritum & inane, vt fuit ordinatum Romæ 1553. ordinat.12. & 1558. & Avenione 1561. & Bononiæ 1564.

I X.

x SI vero mortuo Priore; vel amoto, vel abſente, Domus Suppriorem præſentem, *y* vel Vicarium Prioris (in eius abſentia) non habuerit; tres Patres illius Conventus præſentes, & vócem in electionibus habentes, qui primitùs Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt, ſi tamen poſt profeſſionem à noſtro Ordine nullatenus diſceſſerunt, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Prouinciale, vel Generale Capitulum cum eis fuerit diſpenſatum *z* aliquem Fratrem de Conuentu illo, in Domo præſentem antequam comedant, & bibant eligere teneantur, renuntiatione qualibet non obſtante. Qui vices ſupradictas Prioris obtineat, quouſque Domus ipſa Priorem præſentem habeat, vel Suppriorem, vel Vicarium Prioris in eius abſentia: vel Prior Prouincialis, vel Conuentualis aliter ordinauerit. Quod ſi prædicti tres non concordauerint, duorum ſententia ad prouidendum, ſiue de vno ipſorum trium, ſiue de aliquo alio Fratre Conuentuali præſente, præualebit.

x Si vero mortuo Priore, vel amoto, &c.) Declaramus, quod mortuo, vel amoto Priore, ſi Domus non habuerit Suppriorem, vel Vicarium eius, vel alicuius alterius Superioris; tres Patres antiqui, qui diutiùs Habitum noſtræ Religionis poſt profeſſionem portaverunt, & aſſignati ſunt in præfato Conventu, tenentur eligere vnum Vicarium: qui in tali caſu poterit in electione cum alijs duobus vota recipere, & omnia facere, quæ poteſt Supprior mortuo, vel amoto Priore, ſicut declaratum eſt Cadurci 1319.

y Vel Vicarium Prioris.) Declaramus, quod cum mortuo, vel amoto Priore, Vicarius ab eo inſtitutus etiam removeatur, & non remaneat amplius

ventus, ſicut fuit alias declaratum Toloſæ 1328.

X.

☙ NVlli autem Præſidenti Ordinis liceat alicui extra obedientiam noſtri Ordinis exiſtenti, curam committere ſuper Fratres, vel Conuentus Ordinis quomodocumque: niſi Prælatis ex Ordine noſtro aſſumptis ſupra Socios eis deputatos, & quamdiù ſunt eorum Socij; & niſi ſupra apoſtatas, & vagos, hoc eſt ſine Ordinis licentia extra Ordinem commorantes, quamdiù ſic extra manent. Super quos volumus, quod non ſolum Magiſter Ordinis, ſed etiam Priores Prouinciales, & eorum Vicarij poſſint poteſtatem concedere omnibus Eccleſiaſticis perſonis. Quod ſi ſecus factum fuerit, ſit irritum, & inane. Fratres vero noſtros, tam in Epiſcopatu preciſe titulari, vel alias infra Epiſcopatum conſtitutos, & beneficiatos, vel exemptos ab Ordine, (exceptis Magiſtro Sacri Palatij, & Pœnitentiarijs perpetuis D. Papæ, qui ſequuntur Romanam Curiam, eorumque Socijs,) nolumus in noſtris Conuentibus vltra triduum retineri: abſque licentia Prouincialis cum conſenſu (ad minus) duarum partium Conuentus obtenta. Alioquin ſuſpenſionem à ſuis officijs incurrant Præſidentes, ipſo facto contrafacientes.

☙ Nulli autem Præſidenti Ordinis liceat &c.) Declaramus, quod cum Ordo noſter ſit immediatè ſubiectus Romano Pontifici, & exemptus ab omni poteſtate, & iuriſdictione quorumcumque Prælatorum, qui non ſunt de Ordine: & cum etiam nullus Præſidens, vel Frater Ordinis poſſit renunciare cuicumque privilegio noſtri Ordini conceſſo, abſque aſſenſu Capituli Generalis, propter hoc hic prohibetur, ne alicui Præſidenti Ordinis liceat cuicumque

extra

extra obedientiam noſtri Ordinis exiſtenti committere curam, vel authoritatem dare ſuper Fratres, vel Conventus Ordinis noſtri: quod ſi ſecus factũ fuerit, irritum ſit, & inane, & illi qui talem authoritatem huiuſmodi perſonis dederint, vel alicui privilegio Ordinis renunciaverint, debent pœna gravioris culpæ puniri, à qua non poſſunt, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Priorem Provincialem, vel per Generale, per Provinciale Capitulum diſpenſari.

Item declaramus Valliſoleti 1605. ordin. 12. ordinatum fuiſſe, vt in Provincijs, in quibus hactenus patentes litteræ confirmationis Priorum in Capitulo legi non conſueverunt, deinceps legantur coram Fratribus in Refectorio, vel Capitulo: notando in eiſdem litteris diem, & horam, quibus fuerint intimatæ.

CAP. III.

De Electione Prioris Prouincialis.

I.

STatuimus, & ordinamus, vt mortuo vel amoto Priore Prouinciali, vel ipſo, & eo cui vices ſuas commiſerit, extra Prouinciam exiſtente; Prior Conuentualis illius loci, in quo primum Capitulum Prouinciale fuerit celebrandũ, vices eius obtineat; quouſque Prior Prouincialis illius Prouinciæ ſit electus, & confirmatus; & ipſe, vel ille, cui vices ſuas commiſerit, præſens in Prouincia extiterit. Quod ſi Capitulum Prouinciale ex aliqua cauſa, ad Conuentum aliũ transferatur, (quæ tranſlatio fiat per Priorem Prouincialem, vel eius Vicarium, de conſilio diſcretorum) poſt translationem, Prioris Vicarij poteſtas expiret, & Prior loci illius, ad quem Capitulum fuerit translatum, vices Prioris Prouincialis, in omnibus obtinebit.

II.

IDem dicimus, ſi Capitulum Generale conti-

tigerit ad aliam Provinciam transferri: videlicet, quod authoritas Vicariæ ad Provincialē illius Prouinciæ cum Capitulo transferatur. Si autem Conuentus ille, cui Capitulum aſſignatū fuerat, vel translatum, Priorem non habuerit, vel cum infra tempus Vicariæ ſuæ mori, vel amoueri contigerit, vel extra Prouinciam eſſe: durante eius abſentia Prior illius Domus, vbi Prouinciale Capitulum antecedens fuerat celebratum, vices Prioris Prouincialis in omnibus obtinebit; & ſic deinceps retrocedendo, quouſque Conuentus ille, in quo Prouinciale Capitulum fuerit celebratum, Priorem habuerit: qui vices Prioris Prouincialis in omnibus obtinebit, donec Prior illius Prouinciæ ſit electus, & confirmatus: vel Magiſter Ordinis, vel Generale Capitulum in prædictis caſibus aliter ordinauerit; vel ipſe Prouincialis, vel cui vices ſuas commiſerit, præſens in Prouincia extiterit.

a Statuimus &c. *et infra*: Vices eius obtineat.) Declaramus, quod ille qui amoto, vel mortuo Priore Provinciali ex vi Conſtitutionum gerunt vices Provincialium in omnibus, nullam habent ex hoc ſuper Sorores noſtri Ordinis poteſtatem: ſicut fuit declaratum Victoriæ 1331. & Argentinæ 1307. Verumtamen Iulius Papa II. per ſuas litteras in forma Brevis, Fratri Thomæ de Dio Caietano tunc Vicario Ordinis, & omnibus Vicarijs pro tempore, Ordinis, Provinciarum, Conventuumque eius, mortuis, vel amotis, Magiſtro Ordinis, Prioribus Provincialibus, vel Conventualibus omnem poteſtatem, & facultatem, tum Apoſtolica authoritate, quam quomodolibet aliter conceſſam, & in poſterum concedendam, Magiſtro, Prioribus Provincialibus, vel Conventualibus præfati Ordinis (exceptis illis, quæ in Conſtitutionibus dicti Ordinis ſpecialiter illis inhibentur) reſpectivè conceſſit de gratia ſpeciali, die 7. Decembris, anni 1507.

I I I.

SI verò Prior illius Conuentus , vbi Prouinciale Capitulum fuerit celebrandum , in Prouincia præſens extiterit , ſed aliqua ex cauſa Capitulo Prouinciali non interfuerit ; ſimili modo Prior illius loci , vbi fuerat præcedens Capitulum celebratum , vices Prioris Prouincialis (in ipſo tantùm Capitulo , durante abſentia prædicti Prioris) in omnibus obtinebit . Finito vero Capitulo , Prior Domus in qua Capitulum illud fuit nouiter celebratum, vices Prioris Prouincialis (eo modo quo ſupra dictum eſt) in omnibus obtinebit . *b* Si autem Priorem Provincialem in Capitulo Generali, vel medio tempore uſque ad Capitulum Prouinciale, vel in ipſo Capitulo Prouinciali mori, vel amoueri , vel quocumque caſu infra illud tempus Prouinciam aliquam Priore Prouinciali carere contigerit; vel carentia ipſa durauerit , ad ipſum Capitulum Prouinciale eius electio pertinebit : qua peracta Capitulum Prouinciale celebretur .

I V.

c QVod ſi nec ipſe in ipſo Capitulo electus , nec alius fuerit confirmatus; vel poſt Prouinciale Capitulum Priorem Prouincialẽ mori , vel amoueri contigerit : qui eius locum obtinet , teneatur conuocare quantociùs poterit Electores ; & in die ad eligendum aſſignata Prior Prouincialis eligatur , vel poſtuletur , & Prouinciale Capitulum celebretur; niſi prius celebratum fuerit . Quod ſi in die ſtatuta non elegerint , vel poſtulauerint , qui debent eligere ; ad Magiſtrum Ordinis poteſtas prouidendi transfera-

ratur. Quod ſi Fratres cuiuſcumque Prouinciæ, infra annum poſtquam eis conſtiterit, quod Prouincia caret ſuo legitimo Prouinciali, non elegerint, vel non poſtulauerint Prouincialem; ipſo facto electio, & prouiſio de Prouinciali, ſit ad Magiſtrum Ordinis deuoluta.

b Si autem Priorem Prouincialem in Capitulo Generali &c.) Declaramus, quod circa initium Ordinis vſq; ad annum 1357. vbi fuit iſta Conſtitutio confirmata; ſingulis annis fiebant Capitula Provincialia poſt Capitulum Generale. Et ſi Prior Provincialis, poſt Provinciale Capitulum moriebatur, vel amovebatur; ante Generale Capitulum convocabantur Electores, & in die ſtatuta eligebatur Prior Provincialis: & tunc non celebrabatur Capitulum Provinciale, quia iam erat celebratum. Si verò amovebatur, vel moriebatur Prior Provincialis in ipſo Capitulo Generali, vel poſt, vſque ad diem ſtatutam pro Capitulo Provinciali; convocabantur Electores, & in die ſtatuta eligebatur Provincialis: & poſtea Capitulum Provinciale celebrabatur, in quo recitabantur acta Capituli Generalis illo anno celebrati. Sed poſtmodum ad evitandas expenſas, & ad tollendam confuſionem, quæ ſequi videbatur, fuit facta iſta Conſtitutio: per quam ſtatutum fuit: ſi contingeret Priorem Provincialem in Capitulo Generali, vel medio tempore vſque ad Capitulum Provinciale, vel in ipſo Capitulo Provinciali mori, vel amoveri, vel quocunque caſu contingeret infra illud tempus Provinciam aliquam Priore Provinciali carere, vel ipſam carentiam etiam ante illud tempus inceptam, infra illud tempus durare, tunc electio pertinere deberet ad Capitulum Provinciale, & non ad Electores: hoc eſt ad Priores cum ſingulis Socijs, & ad Magiſtros in Theologia, & Prædicatores Generales. Et facta electione in die ſtatuta, Capitulum Provinciale debet celebrari. Vbi eſt advertendum, quod ſi etiam ante Capitulum Generale Provincia inceperit Priore Provinciali carere, ſed non potuerunt forte Electores ante Capitulum Generale congregari, nec electionem facere, vel ſi potuerunt, & electionem fecerunt, electus non fuit confirmatus, & ſic carentia duravit vſque ad Capitulum Generale: tunc & eo caſu electio Prioris

Provincialis pertinebit ad Capitulum Provinciale, & non ad Electores, ſicut declaratum fuit Valentiæ 1364. Ianuæ 1365. & Avenione 1367. Et demum in Conſtitutiones redactum in Capitulo Romano 1558. quod inchoatum fuerat Salman. 1551. & approbatum Romæ 1553.

c Quod ſi nec ipſe in ipſo Capitulo electus, nec alius fuerit confirmatus.) Declaramus, quod cum per privilegia ſit nobis conceſſum, quod quando in aliquo Capitulo, vel Conventu noſtri Ordinis, de Provinciali, vel Conventuali Priore occurrerit electio facienda, ſi ex aliqua cauſa electionem factam contingat forſitan non confirmari: Superior ad quem confirmatio talis electionis pertinet, authoritate Apoſtolica concedere poterit, & in Priorem confirmare, aliquem de illis Fratribus, quos ipſi Electores, vel maior pars eorum per litteras ſuas ab eo petierint, quando ad ipſum pro electi confirmatione tranſmittunt. Et propter hoc dicit hic Conſtitutio: quod ſi nec ipſe in Capitulo electus, nec alius (ſcilicet poſtulatus) fuerit confirmatus, ille qui locum Provincialis obtinet, teneatur convocare quam citius poterit Electores.

V.

VOlumus autem quod electio prædicta (quæ non in ipſo Capitulo Prouinciali, ſed poſt Capitulum debet celebrari) tantum ſpectet ad Priores Conuentuales, & ad Prædicatores Generales: & vnum Fratrem de quolibet Conuentu, ad hoc idem pro qualibet electione de Priore Prouinciali fienda (ſi pluries fieri contingerit) noviter electum; (Romæ 1558.) niſi Confirmator præſens fuerit, vel in tam parua diſtantia, quod ante diſſolutionem Prioris Congregationis: potuerit de caſſatione electionis prius factæ (ſi eam caſſari contingat) nuncius peruenire. Tunc enim & ſecunda, & tertia (ſi opus fuerit) electio, ad eoſdem pertinebit. Qui Elector, à maiori parte medietate Conuentus, *d* per diſquiſitio-

ſitionem Supprioris, vel vices eius gerentis, & duorum Fratrum, qui primitus Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt, nec poſt profeſſionem ſuam vllatenus à noſtro Ordine diſceſſerunt (niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Generale, aut Prouinciale Capitulum cum eis fuerit diſpenſatum) omnibus Fratribus ad Conventum illum pertinentibus conuocatis: (ſi infra vnam dietam ad eos poſſit nuncius peruenire) eligi debet. Et hoc idem in electione Prioris Conuentualis, *e* & tractatu eorum quæ mittenda ſunt ad Capitulum Prouinciale, obſeruetur. Qui ſecundum formam inferius in electione Magiſtri poſitam, electionem huiuſmodi celebrabunt: hoc excepto; quod eos includi, ſicut in electione Magiſtri, non oportet.

d Per diſquiſitionem Supprioris.) Declaramus, quod in electione electorum Priorum Provincialium, Prior Conventualis debet habere primam vocem: non obſtante illa Conſtitutione, quæ dicit; quod in electione prædicta Supprior cum duobus Patribus debeat vota Fratrum diſcutere, ſicut fuit declaratum in Capitulo Lucæ 1288. & Argentinæ 1296.

e Et tractatu eorum quæ mittenda ſunt ad Capitulum.) Declaramus, quod ad Priores Conventuales non ſpectat ordinare, vel ſe intromittere de tempore, vel die inſtituendo, ſive de quocunque alio eorum, quæ ad tractatum Provincialis Capituli, vel electionem ſocij pertinent: ſed aſſignatio diei, in quo tractari debent ea, quæ ad electionem ſocij Prioris, & ea quæ ad Capitulum Provinciale mittenda ſunt, pertinent ad Suppriorem; nec Priores electioni ſocij intereſſe debent, ſicut declaratum fuit apud Montem Peſulanum 1271. & Lugduni 1274. & Barcinonæ 1323. Et tractatus eorum quæ mittenda ſunt ad Capitulum, non poſſunt vltra vnum diem prolongari.

Item declaramus, quod ſocij Conventuum electi ad Capitulum Provinciale, vocem tantùm habeant in Capitulo

Provinciali illius anni, pro quo fuerunt electi. Si autem ex cauſa, vel impedimento, à Capitulo Provinciali, illo anno ſuperſedeatur, ad tractatum Capituli Provincialis anni ſequentis, ex vi talis electionis non admittantur: ſicut fuit declaratum Ferrariæ 1362. In Capitulo etiam Bononiæ 1564. ordinatum fuit, quod qui in vno Conventu fuerit electus ſemel in ſocium Prioris Conventualis euntis ad Capitulum Provinciale, in eodem Conventu non poſſit eligi in ſocium Prioris pro Capitulo Provinciali immediatè ſequenti: & ſi ſecùs fiat, irrita electio cenſeatur. Vbi etiam fuit declaratum, quod Provinciales qui ſuum officium expleverint, aut etiam fuerint abſoluti, ad idem officium in eiſdem Provincijs, non poſſint eligi, niſi poſt tempus, quo duorum Provincialium officium durare ſolet: vt etiam ſuperius ex Conſtitutione Iulij II. dictum eſt. Similiter ſi ante mortem, vel amotionem Prioris Provincialis, aliquis Conventus de electione ſocij Prioris tractatum fecerit, & aliquem Fratrem in Socium elegerit: ſi contingat poſtea electionem ipſius Provincialis fieri per electores, & non per Capitulum Provinciale, non erit talis Frater ſic electus verus ſocius; ſed oportebit poſt mortem ipſius Provincialis, vel amotionem, aliquem in ſocium de novo eligi: ſive numerari, ſicut declaratum fuit Brivæ 1346.

V I.

QVod ſi Magiſter Ordinis, vel Capitulum Generale, aliquem Fratrem illius Prouinciæ Vicarium inſtituerit in eadem; volumus ipſum Vicarium in electione prædicta vocem habere. *f* Tres autem Priores Conuentuales, qui primitus Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt (quũ electio per ſcrutinium facienda eſt) voluntates ſingulorum ſigillatim; & ſeorſim aliquantulum in eodem loco coram oculis omnium diſquirant, & ſcribant: deinde ſcripturam in medium publicent, expreſſis nominibus eligentium, & electorum. Et facta collatione numeri ad numerum, ſi omnes: vel maior pars vltra medie-

dietatem omnium eligentium in vnum concordauerint, & minor pars interrogata maiori conſenſerit; ille qui primam vocem habuit inter electores, ſurgens dicat: Ego Frater N. vice mea, & omnium electorum præſentium, eligo Fratrem N. in Priorem Provincialem talis Prouinciæ. Si vero non omnes conſenſerint, & tamen maior pars vltra medietatem (vt dictum eſt) vnum elegerit; tunc (ſicut prius) qui primam vocem habuit, dicat: Ego Frater N. pro me, & his qui mecum conſentiunt, eligo Fratrem N. in Priorem talis Prouinciæ.

VII.

ILLE autem ſupradictus Elector, illo anno ſit Socius Prioris Conuentualis euntis ad Capitulum Prouinciale, ſi tunc fuerit celebrandum. Quod ſi eum impediri contingat, antequam iter ad eundum ad electionem arripuerit, Conuentus alium poſſit eligere loco ipſius. Idem dicimus de Socio Prioris Conuentualis, euntis ad Capitulum Prouinciale, electo. *g* Inſtante vero Prioris Prouincialis electione, Priorum Conuentualium abſolutionem (niſi ob cauſam criminis, vel grauis ſcandali, vel ipſo Priore petente, vel in Capitulo Prouinciali a Diffinitorio illius tunc poſt electionem Prioris Prouincialis factam, licet pendentem quoad confirmationem) fieri totaliter prohibemus. Inſtare autem electionem Prioris Prouincialis dicimus, quandocumque Prouincia non habet Priorem Prouincialem præſentem, vel abſentem.

f Tres autem Priores Conuentuales &c.) Declaramus, quod in electione Prioris Provincialis, tres Prio-

res Conventuales qui diutius poſt Profeſſionem Habitum noſtri Ordinis portaverunt, debent vota electorum recipere: iuxta formam in Capit. Bonon. 1564. traditam, & ſupra *in Cap. 2. de electione Prioris Conventualis* poſitam.

g Inſtante vero Prioris Provincialis electione.) Declaramus, & volumus, quod ſicuti imminente electione Priorum Conventualium non debent fieri mutationes Fratrũ infra duos menſes (vt ſupra dictum eſt ex Conſtitutione Clementis VIII.) ante electionem prædictam, niſi in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus: ſimili modo declaramus, & volumus quod non fiant mutationes Fratrum, privationes vocum, abſolutiones Priorum, a tempore notitiæ carentiæ Provincialis in aliqua Provincia, vſque ad notitiam confirmationis eiuſdem; niſi in caſibus in Conſtitutionibus contentis; ſicuti fuit declaratum Venetijs 1357. Brugis 1369., & Coloniæ 1301.

VIII.

PRior autem Provinciali ſupradicto modo electus, *h* poterit per Magiſtrum Ordinis confirmari, vel eius electio caſſari; ſi ipſi Magiſtro videbitur. Quod ſi Ordo Magiſtrum non habuerit, ipſum electum confirmandi, vel infirmandi, & ad dicti officij ſuſceptionem compellendi, Vicarius Ord. habeat poteſtatem. Si vero poſt confirmationem, per Magiſtrum Ordinis factam, antequam ad electum ipſa confirmatio perveniat, Magiſtrum Ordinis mori, vel amoveri contigerit, confirmatio ſuum ſortiatur effectum.

IX.

i STatuimus autem, vt Prior Provincialis in Capitulo Generali a Magiſtro, & Deffinitoribus Capituli (præmiſſa diligenti examinatione) confirmetur, vel amoveatur.

h Po-

h Poterit per Magiſtrũ Ordinis confirmari.) Declaramus, quod Magiſter Ordinis per privilegia Bonifacij VIII. & Clementis VII. poteſt omnes, & ſingulos Fratres dicti Ordinis, Inquiſitores, ac Priores Provinciales, & Conventuales, & alios quoſcumque Officiales dicti Ordinis, ac Prioriſſas Monaſteriorum in dicto Ordine, & per Sedem Apoſtolicam, vel per quoſcunque, & quavis authoritate deputatos, quoties ſibi videbitur revocare, & a ſuis Officijs removere: etiam ſi eis per Sedem Apoſtolicam fuiſſet conceſſum, quod a ſuis prælationibus, vel Officijs removeri non poſſent; & loco ipſorum alios, vel alias ſubſtituere, ac officia ipſa limitare, ac in Curia Romana Procuratorem inſtituere, & inſtitutum ab ipſo Officio removere quoties ſibi, & ſuis ſucceſſoribus videbitur expedire. Item declaramus Bonon. 1615. iſtud ordinatum fuiſſe: Ad expenſas in Provincijs, & alia varia inconvenientia evitanda, electionis Provincialium ſcrutinia ad Magiſtrum Ordin. per Tabellarios, aut Fratres Converſos ſive Tertiarios mittantur. Si vero aliquando per Patres graviores ex cauſa vrgentiſſima, huiuſmodi ſcrutinia mittere neceſſe fuerit; hoc arbitrio Magiſtri Ordin. probandum, vel improbandum relinquimus. Caveant autem Fratres Provinciarum, ne facile ſeſe electionibus Provincialium opponant, aut proteſtationes de invalidate earum faciant; alioquin pro ſuis auſibus temerarijs a Magiſtro Ordinis graviſſime puniantur.

Item declaramus, quod ſi Priores Conventuales, in Provinciales electi fuerint, ſtatim vt Provincialatus confirmationem acceperint, ab officio Prioratus cenſeantur abſoluti; etiamſi talis abſolutio in litteris confirmationis non fuerit expreſſa Bononiæ 1564. declarat. 1.

i Statuimus autem, vt Prior Provincialis in Capitul. Generalis &c.) Declaramus, hoc ita eſſe intelligendum, ſi tunc in proximo Generale Capitulum celebrabitur: alias per Magiſtrum Ordinis de conſilio Patrum debet confirmari prout ſuperius dictum eſt.

Item declaramus, Romæ 1546. fuiſſe ordinatum, quod ſi pendente confirmatione Provincialis in aliqua Provincia, & finito Capitulo Provinciali, electum mori contigerit, Vicariatus eiuſdem Provinciæ pertineat ad illum

Priorem, in cuius Conventu ſequens Capitulum fuerit aſſignatum.

X.

PRior autem Provincialis eandem habeat poteſtatem in ſua Provincia, quam & Magiſter Ordinis: *k* & eadem ſibi reverentia, & obedientia a Comprovincialibus exhibeatur, quæ Magiſtro Ordinis, niſi Magiſter præſens extiterit. Item Prior Provincialis totam ſuam Provinciam per ſe (ſi poterit) vel Vicarios idoneos teneatur ſingulis annis viſitare, quibus authoritatem ſuam committat, prout ſibi videbitur expedire.

X I.

PRiores autem Prouinciales quum fuerint abſoluti, ad illos Conventus pertineant, de quibus fuerunt aſſumpti: niſi per Superiores ſuos de eis aliter fuerit ordinatũ. Si vero in Provincialatu deceſſerint libri, & alia quæ habuerunt per proviſionem Ordinis à Prouincia, vel etiam ab aliquo Conventu antequam eſſent Provinciales, vel in ipſo Provincialatus officio; ad Provinciam, vel Conventum, vnde habuerunt ſimpliciter pertinebunt. *l* Ea vero quæ acquiſiverunt tẽpore Provincialatus; ad Provincias quarum erant Priores ſpectabunt pro medietate, & pro medietate ad Conventus ſuos quorum ſunt filij. Alia vero omnia ſint Conventuum ſuorum quorum ſunt filij. Et idem dicimus de bonis Procuratoris Ordinis. Relicta autem Magiſtri Ordinis, quæ acquiſivit in Magiſterio; pro medietate ſint ſui Conventus originalis, alia vero medietas ad commune Ordinis bonum pertineat.

Sta-

X I I.

STatuimus, autem, vt in ſingulis Provincijs Priores Provinciales, vel eorū Vicarij, & Deffinitores Capituli Provincialis, Provincias ſuas per Vicarias diſtinguant, ſecundum quod eis videbitur expedire. Quibus ſingulis, Vicarios præficiant, qui non ſint Priores, vel Lectores actu legentes, niſi prius a ſuis officijs abſoluantur; & requiſito conſilio Fratrum præſentium ad dictas Vicarias pertinentium, qui ſint de corpore Capituli Provincialis. Qui Vicarij in Domibus ſibi aſſignatis, Prioris Prouincialis plenarie vices gerant: exemptis dumtaxat inſtitutione, & deſtitutione Priorum, & Lectorum; & vbique loca ſua teneant, niſi in Capitulo, dum officium ſuæ Vicariæ exercent; quorum poteſtas in die immediate præcedente electionem Deffinitorum Capituli Provincialis expiret. Hos autem Vicarios, Prior Provincialis corrigere poſſit, & ex cauſa rationabili amovere.

k Et eadem ſibi reverentia &c.) Declaramus, quod Priores Provinciales extra ſuas Provincias debent præcedere Priores Conventuales tam in loco, quam in proceſſionibus, & in dicendo *Fidelium*. Similiter in Refectorio habebunt locum nolæ, abſente Præſidente Provinciæ: cum ille non ſit locus iudicij, ſed dignitatis; vt habetur inferius cap. 13. In Capitulo autem, cum extra Provinciam ſuam nullam habeant iuriſdictionem, habebunt locum immediatum a dextris Præſidentis Capituli, ſicut fuit declaratum Romæ 1468.

Item declaramus, nonnulla in diverſis Capitulis ordinata eſſe pro officio Provincialium: Imprimis, ne multa a Provincialibus proviſa, e memoria elabantur, vtque falſificationibus litterarum oſtium omnino occludatur, vt librum habeant, Regeſtum nuncupatum, in quo præcipuæ res, & acta eorum annotari debeant.

Val-

Valliſoleti 1605. ordinat. 13. Item nullus omnino Provincialium, inconſulto Magiſtro Ordinis, contributiones pro ſui officij vſu, & neceſſitatibus in Provincia augere valeat. Expenſas vero extraordinarias pro communi bono Provinciæ, de conſilio Capituli Provincialis, aut Provinciæ, id eſt Magiſtrorum Provinciæ, & eorum qui fuerunt Provinciales, conſtituere poterit. Bononiæ 1615. ordinat. 13.

Item ad tollenda omnia Fratrum ſubditorum gravamina, vera, vel prætenſa: ordinatum eſt Valentiæ 1596. ordinat. 23. quod Provinciales quarumcũque Provinciarum, & Vicarij Congregationum, ſive Vicariarum, expleto officio ſui regiminis, debeant ſubire iudicium ſuæ adminiſtrationis, hunc in modum videlicet. Quatuor Deffinitores Capituli electionis ſuæ ſucceſſoris, vocabunt ad Deffinitorum ex vocalibus illius Capituli, primo Patres qui fuerunt Provinciales eiuſdem Provinciæ: deinde antiquiores Magiſtros in Capitulo exiſtentes, ita vt ſenarius numerus compleatur; cui addito quaternario ipſorum Deffinitorum, reſultabit numerus denarius. Hi itaque decem tenebuntur ſinguli duos Patres de præſentibus in Capitulo, ad id magis aptos, & idoneos, in ipſorum conſcientia, ſecreto, & per ſchedulas nominare. Hæc autem omnes ſchedulæ in vias aliquod mittentur; inde forte vna extrahetur, & in illa nominatus Pater, Iudex erit ad querelas audiendas, & examinandas contra Provincialem præteritum. Extrahentur, & aliud duæ, in quibus nominati Patres, præfati Iudicis conſultores habebuntur, pro ſententia dumtaxat ferenda, cum aſſiſtentia Provincialis noviter electi: & pro diſcernendo: an vltra tempus Capituli quandoque durare debeat prænominati iudicis authoritas, cauſa capiendi aliquas informationes extra locum Capituli; quæ an neceſſario ſumi debeant nec ne attenta negotij qualitate, videbunt ipſi vna cum Provinciali electo, vt ſupra: pariterque Iudici terminum præfigent, intra quem eas accepiſſe debeat, & ad ſententiam venire. Excipiuntur ab hoc modo iudicii, Superiores quilibet abſoluta authoritate a Magiſtro Ordinis, vel eius Vicario, Apoſtolico etiam interveniente indulto, dati, & inſtituti: quibus Magiſtro Ordinis, aut illius Vicario Iudicem preſcribere erit poteſtas, cui rationem reddere teneantur.

Verum hæc ordinatio, fuit poſtea revocata in capit. Romano

mano 1601. revocatione 4. vbi ſic dicitur. Revocamus ordinationem 23. Capituli Valentini 1596. qua præfigitur modus; quo ſubire iudicium tenentur RR. AA. PP. Provinciales, & Vicarij Generales Congregationem. Terminato tamen officio, de datis, & acceptis, ſeu expenſis, & receptis in officio, Deffinitorio Capituli Provincialis reddant rationem: & ea quæ ſupererunt reponantur in communi Provinciæ depoſito; ſicut fuit ordinatum Romæ 1608. ordinat. 18., & Pariſijs confirmatum 1611. confirmat. 10.

CAP. IV.

De electione Magiſtri Ordinis.

I.

STatuimus, vt ſi ante feſtum Sancti Michaelis, vel in ipſo feſto, Magiſtrum Ordinis mori, vel amoueri contingerit; Prior Conuentualis, vel Prouincialis, qui propinquior illi loco extiterit, ubi Magiſter deceſſerit. Pariſienſi, vel Bononienſi Conuentui (ſibi videlicet propinquiori) cum feſtinatione denunciet. Alterutet autem iſtorum duorum Conventuum, cui primo denunciatum fuerit, teneatur ſimiliter reliquis nunciare. Pariſienſis Conventus, Provincialibus Hiſpaniæ, Provinciæ Toloſanæ, Angliæ, Scotiæ, Teutoniæ, Daciæ, Aragoniæ, Provinciæ Provinciæ, Portugalliæ, Bethicæ, & Germaniæ inferioris, Sanctæ Crucis, Hiberniæ, S. Ioannis Baptiſtæ, S. Iacobi, S. Vincentij, & S. Antonini. Bononienſis vero Vngariæ, Romanæ Provinciæ, Regni Siciliæ, Poloniæ, Terræ ſanctæ, Greciæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Lombardiæ, Saxoniæ, Trinacriæ, S. Thomæ, & Calabriæ, teneantur quantocius intimare. Si vero poſt dictum feſtum deceſſerit, vel amotus fuerit, ipſius obitus, vel amotio nihilominus nuncietur, vt ſuper ſedeatur illo anno a Capitulo Generali.

I I.

MOrtuo igitur Magiſtro, vel amoto à Magiſterio, Prior Provincialis illius Provinciæ, vbi ſequens Capitulum fuerit celebrandum, vices Magiſtri Ordinis in omnibus obtineat, quouſque Magiſter Ordinis ſit electus; exceptis abſolutionibus Priorum Conventualium aliarum Provinciarum, exceptis tranſlationibus Fratrum de Provincia ad aliam, de quibus ſe nullatenus intromittat; niſi forte aliquis Frater, non Prior Provincialis exiſtens, pro Provincialatus officio peteretur. Si autem illa Provincia tunc Priorem Provincialem non habuerit, vel infra tempus Vicariæ ſuæ eum mori, vel amoveri contigerit; Prior Provincialis illius Provinciæ, vbi immediate præcedens Generale Capitulum fuerit celebratum, vices obtineat ſupradictas; & ſic deinceps retrocedendo, donec in aliqua Provinciarum, iſto modo valeat Vicarius inveniri.

I I I.

POſtquam vero illa Provincia, in qua fuerit Generale Capitulum celebrandum, Priorem Provincialē habuerit confirmatum, ipſe Prior Prouincialis vices obtineat ſupradictas. *a* Priores autem Prouinciales triginta vnius Provinciarum, *b* ſinguli cum duobus Fratribus in Capitulo Prouinciali electis a pluribus medietate omnium eligentium, ad Capitulum veniant Generale. Si autem in aliqua Prouincia, Prouinciale Capitulum fuerit celebratum, & in proximo feſto Pentecoſtes electio Magiſtri fuerit facienda. Definitor Capituli Gene-

ne-

neralis in anno Definitorum, & Socius eius ſint illo anno Magiſtri Ordinis Electores. *c* In anno autem Priorum Prouincialium, vel quando ex alia quacumque cauſa, Definitor; & Socius, vel Electores prædicti, non fuerint electi, neque ſuppetat tempus, vt eligantur, propter quodcumque (iudicio diſcretorum) legitimum impedimentum: tunc duo de Definitoribus immediatè præcedentis Capituli Prouincialis, qui primitus Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt, *d* qui tunc ſuperſtites fuerint, ad electionem Magiſtri Ordinis admittantur; quorum antiquior in Ordine ſit illo anno Generalis Capituli Definitor. Qui ſi ad Capitulum non venerit, aut præcedentis Capituli extiterit Definitor, tunc ad definitionem Elector alius admittatur.

a Priores autem Prouinciales triginta vnius Prouinciarum.) Declaramus poſt factam hanc Conſtitutionem, auctum fuiſſe numerum Provinciarum. Vnde in Capitulo Romæ 1153. ſic habetur: Declaramus conformiter ad ea, quæ in actis vetuſtiſſimorum Capitulorum Generalium reperta ſunt; quod deinceps in Capitulis Generalibus, & vbique, Provinciæ noſtri Ordinis ſervare debeant infraſcriptum ordinem, iuxta quem tenebunt loca ſua.

I.	Hiſpaniæ.	II.	Toloſanæ.
III.	Franciæ.	IV.	Vtriuſque Lombardiæ.
V.	Romanæ.	VI.	Regni.
VII.	Hungariæ.	VIII.	Teutoniæ.
IX.	Angliæ.	X.	Poloniæ.
XI.	Daciæ.	XII.	Græciæ.
XIII.	Terræ ſanctæ.	XIV.	Aragoniæ.
XV.	Bohemiæ.	XVI.	Provincia Provinciæ ſive Angelorum.
XVII.	Saxoniæ.	XVIII.	Dalmatiæ.

Tri-

XIX.	Trinacriæ.	XX.	Portugalliæ.
XXI.	Scotiæ.	XXII.	Bethicæ.
XXIII.	Germaniæ inferioris.	XXIV.	Apuliæ S. Thomæ.
XXV.	Calabriæ.	XXVI.	S. Crucis Indiarum.
XXVII.	Hiberniæ.	XXVIII.	S. Iacobi de Mexico.
XXIX.	S. Ioannis Baptiſtæ del Perù.	XXX.	S. Vincentij de Chiappa.
XXXI.	S. Antonini de novo Regno.	XXXII.	Occitana.
XXXIII.	S. Dominici Venetiarum.	XXXIV.	Nexſciovanenſis in Armenia.
XXXV.	S. Catharinæ Martyris de Quito.	XXXVI.	S. Laurentij de Chile.

Poſt ſtabilitum verò hunc Provinciarum ordinem, & in Capitulo Romano 1558. confirmatum, tractu temporis, acceſſit ſubſequens numerus (benedicente Domino) diverſarum Provinciarum, quæ iuxta antiquitatem ſuæ erectionis, & inſtitutionis hoc ordine diſponuntur; videlicet.

XXXVII. SS. Roſarij Philippinarum, erecta Venetijs 1592.

XXXVIII. S. Hyppoliti Martyris de Oaxaca, creata Venetijs 1592.

XXXIX. S. Petri Martyris, inſtituta Romæ 1601.

XL. S. Catharinæ Senenſis Aprutina, creata ibidem Romæ 1601.

XLI. S. Hyacinthi in Ruſſia, inſtituta Romæ 1612.

XLII. Pariſienſis, ſtabilita, & confirmata Valentiæ 1647.

XLIII. Lithuaniæ, S. Angeli Cuſtodis, erecta ibidem Valentiæ 1647.

XLIV. S. Mariæ de Candelaria alias Canariarum, creata Romæ 1650.

XLV. S Ludovici: inſtituta & ſtabilita Romæ 1670.

XLVI. S. Roſæ, creata, & ſtabilita noviſſimè Romæ 1686.

b Singuli cum duobus Fratribus &c.) Declaramus, quod ſi in aliqua ex relatis Provincijs, antequam mors, vel amotio Magiſtri Ordinis ei fuerit nunciata, Provinciale Capitulum fuerit celebratum, & in proximo feſto Pentecoſtes electio Magiſtri fuerit celebranda; non erit opus aliud Capitulum Provinciale cele-

bra-

brare pro electione Electorum Magiſtri Ordinis: ſed in anno Definitorum ſi electio Magiſtri fuerit celebranda, Definitor Capituli Generalis, & Socius eius in Capitulo Prouinciali immediate præcedenti electi, erunt illo anno Magiſtri Ordinis Electores. In anno autem Priorum Prouincialium duo ex definitoribus immediate præcedentis Capituli Prouincialis, qui diutius poſt profeſſionem, Habitum noſtri Ordinis portauerunt, qui tunc ſuperſtites fuerint, ad electionem Magiſtri Ordinis admittantur; quorum antiquior in Ordine, erit illo anno Capituli Generalis Definitor. Si vero in præfatis Prouincijs, ante notitiam mortis, vel amotionis Magiſtri Ordinis, Capitulum Prouinciale non fuerit celebratum: tunc celebrabitur Capitulum Prouinciale, & in eo duo Electores eligentur à pluribus vltra medietatem omnium eligentium; quorum vnus ad hoc electus, erit Generalis Capituli Definitor.

c In anno autem Priorum Provincialium.) Declaramus, quod mens huius Conſtitutionis eſt; quod in anno Prouincialium, ſi celebrandum ſit Capitulum Generale in proximo feſto Pentecoſtes. vbi electio Generalis deberet fieri, & contingerit mori Generalem poſt Capitulum Prouinciale, nullo modo debent celebrari Capitula Prouincialia, ad conſtituendos nouos vocales, cum Definitoribus Capituli Prouincialis præcedentis, fuerit iam ius acquiſitum; nec illa clauſula interpoſita (vel quando ex alia quacumque cauſa &c.) huic rei faceſſit negotium, cum tota ſit reijcienda in annum Definitorum, nulloque modo pertineat ad annum Provincialium; ſicut fuit declaratum Romæ 1583. ijſdem ipſis verbis. Vbi etiam ſic habetur. Item declaramus, verbum paulo infra in eadem Conſtitutione, vbi agitur de duobus Definitoribus mittendis ad Capitulum Generale pro electione Generalis quod habet locum in alijs duobus Definitoribus: adeout ſi deficiat primus aut ſenio, aut infirmitate, aut alio impedimento, ſubſtituatur ſecundus, ſecundo tertius, tertio quartus. Quod ſi omnes defecerint, recurrendum eſt ad Capitulum immediate præcedens; ſicque retrocedendo quouſque ſuis Provincia poſſit gaudere ſuffragijs.

d Qui tunc ſuperſtites fuerint.) Declaramus, quod ſi quis Definitorum in Priorem Provincialem electus, & confir-

firmatus fuerit: talis quantùm ad actum Definitorij debitum, cum ratione officij Provincialatus in tali caſu electionis Magiſtri definire habeat, reputatur non ſuperſtes: & ideò ad definitionem alius Elector admittetur ſicut fuit declaratum Lugduni 1348. ordinat. 5. & Barcinonæ 1349.

I V.

c QVi poſtquam congregati fuerint in Vigilia Pentecoſtes, à Prioribus Conventualibus illius Prouinciæ, & à Fratribus præſentibus in loco, vbi fienda eſt electio, in vno conclaui firmiter includantur: ita quod inde egredi nullatenus valeant; nec eis vllo modo aliqua alimenta miniſtrentur, quouſque Magiſter Ordinis ſecundùm formam Canonicam ſit electus. Hoc autem tam ab Electoribus, quam à recludentibus præcipimus firmiter obſervari. Quod ſi quis contraire præſumpſerit, ipſo facto ſit excommunicatus, & pœnam grauiori culpæ debitam ſubſtinebit.

V.

FOrma autem electionis hæc eſt. Electoribus ſupradicto modo incluſis, cum per diſquiſitionem, vel ſcrutinium voluntatum procedet electio, tres de Prioribus Prouincialibus, qui inter alios triginta, & vnum Prouinciales primitùs Habitum noſtræ Religionis ſuſceperunt, voluntatem ſingulorum ſigillatim, & ſeorſim aliquantulum in eadem Domo coram oculis omnium diſquirant, & conſcribant: deinde ſcripturam publicent in medium expreſſis nominibus eligentium, & Electorum. Quod ſi Dei gratia inſpirante in vnum aliquem omnes vnanimitèr concordauerint, ille verus Magiſter Ordinis habeatur. Si autem

tem in partes inæquales ſe diuiſerint, ille in quem plures medietate omnium eligentium conſenſerint, *f* ex vi talis electionis, & huius Conſtitutionis ſit Ordinis Magiſter. Quod ſi aliquem, vel aliquos de Electoribus contigerit non venire: nihilominus tamen per eos, qui advenerint, electio Magiſtri Ordinis celebretur. Hoc autem ita fiat, vt ſemper in ſecunda feria Pentecoſtes Capitulum habeat Magiſtrum antiquum, vel nouum præſentem, vel abſentem; quia tunc incipit ſolemniter celebrari, ne acephalum iudicetur.

e Qui poſtquam fuerint congregati in Vigilia Pentecoſtes.) Declaramus, quod ante electionem Magiſtri, debet Vicarius Ordinis congregare Electores in aliquo loco, & cum illis habere tractatum de futuro Magiſtro eligendo. Et in die electionis debet cantari Miſſa de Spiritu Sancto, cui ipſe cum Provincialibus, & alijs Electoribus debent intereſſe. Finita autem Miſſa, debet ad ſonum campanulæ cum Electoribus, & alijs Fratribus intrare Capitulum: & ibi fieri ſermo exhortatorius ad eligendum in Magiſtrum Ordinis virum prudentem, diſcretum, maturum, doctrina, & virtutibus ornatum, zelatorem Religionis, & non ignarum vitæ, & Obſervantiæ Regularis. Finito vero ſermone, debet accedere ad Sacriſtiam, vel ad alium locum, in quo electio eſt facienda cum Provincialibus, & Electoribus, & ibi debent in vno conclavi firmiter includi: ita quod ingredi, & egredi non valeant, nec eis vllo modo aliqua alimenta ſunt adminiſtranda; quouſque Magiſter Ordinis ſecundum formam Canonicam ſit electus. Prædictus igitur Vicarius, Electoribus congregatis, poſtquam illi acceptaverint, diem, locum, & horam electionis; debet ſemel, iterum & tertio proteſtationem facere, quod non intendit excludere ab electione non excludendum, nec admittere non admittendum: & abſolutione à cenſuris ad cautelam facta, & invocata Spiritus Sancti gratia, dedet ipſe Vicarius duos ex Prioribus Provincialibus aſſumere, qui inter om-

nes Provinciales diutius poſt profeſſionem Habitum noſtræ Religionis portaverunt. Poſtea cum ipſis duobus Scrutatoribus, ſeorſim aliquantulum in eodem conclavi coram oculis omnium vota ſingulorum ſigillatim, & ſecreto diſquirere; expreſſis nominibus eorum, qui fuerint electi. Demùm facta ſola collatione numeri ad numerum, ſi omnes, vel maior pars vltra medietatem omnium eligentium, in vnum concordaverint; tunc ille, qui primam vocem inter Scrutatores habuit, vice omnium eligentium formabit electionis Decretum, dicendo Ego Fr. N. vice mea, & omnium eligentium, mecum conſentientium, eligo Fr. N. in Magiſtrum Ordinis Prædicatorum.

f Ex vi talis electionis, & huius Conſtitutionis, ſit Ordinis Magiſter.) Declaramus, quod ſecundùm privilegia Apoſtolica, Magiſter Ordinis poſtquam fuerit electus, eo ipſo curam animarum Fratrum omnium ipſius Ordinis plenarie habet, & libere gerit: ipſoſque Fratres authoritate propria ligare, & abſolvere, necnon in eodem Ordine ea agere poteſt; quæ ipſe, & præfati Ordinis Definitores, iuxta Conſtitutiones eiuſdem Ordinis, ſecundum Deum viderint expedire. Teneanturque omnes Fratres ſibi devotè, & humiliter ſecundum Regulam, & Conſtitutiones obedire: poteſtque ipſos ab omnibus officijs removere, & ab omnibus exceſſibus, & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvere, atque in irregularitatibus diſpenſare. Et poteſt quaſcumque vtriuſque ſexus perſonas, extra Curiam Romanam ſibi confiteri volentes, ab eorum peccatis, exceſſibus, & caſibus, in quibus minores Apoſtolicæ Sedis Pœnitentiarij poſſunt, abſolvere, & Miſſam etiam, antequam dies illuceſcat, per ſe, vel per alium Sacerdotem idoneum celebrare.

V.

g HÆc vero omnia, quæ circa electionem Magiſtri ſtatuta ſunt, abſque contradictione volumus, & præcipimus firmiter obſervari. *h* Quicumque autem auſus fuerit contradicere pertinaciter, vel rebellare; tanquam excommunicatus, & ſchiſmaticus, & deſtructor noſtri Ordinis ha-

habeatur: & (quouſque non ſatisfecerit) à communione omnium ſit penitus alienus, & pœnæ grauioris culpæ ſubiaceat. Præcipimus autem in virtute Spiritus Sancti, vt nullus ante electionem Magiſtri Ordinis, circa ſtatum Ordinis aliquid audeat immutare.

V I I.

STatuimus autem, quod nec Magiſter Ordinis, nec aliquis Prior Prouincialis, aut quouis modo Præſidens in noſtro Ordine, aliquid accipiat, directè, vel indirectè etiam ſponte oblatum, à quacunque perſona, ſiue prælata, ſiue ſubdita, prætextu litterarum, ſigilli, regiſtri, licentiæ, confirmationis, & vniuerſaliter cuiuſcumque gratiæ, aut iuſtitiæ conceſſæ, aut concedendæ: ſed quilibet ſit communibus contributionibus, & viſitationibus contentus. Priores autem Prouinciales, & alij inferiores contrafacientes, in pœnā à ſuis officijs abſoluantur indiſpenſabiliter. Magiſter vero Ordinis, ſi in hoc exceſſerit, à Deffinitoribus Generalis Capituli corrigantur; & ſi obſtinate reſtiterit, deponatur.

g Hæc vero omnia, quæ circa electionem Magiſtri, ſtatuta ſunt &c.) Declaramus, quod omnes Fratres, ſub præcepto tenentur ea obſervare, quæ circa electionem Magiſtri ſtatuta ſunt, & maxime electores.

h Quicumque autem auſus fuerit contradicere pertinaciter.) Declaramus, quod qui his, quæ circa prædictam electionem ſtatuta ſunt, pertinaciter contradicere, vel rebellare auſus fuerit; ipſo facto eſt excommunicatus: & tamquam deſtructor noſtri Ordinis carceri eſt mancipandus; & quouſque non ſatisfecerit, pœna gravioris culpæ puniendus eſt.

CAP. V.

De Electione Deffinitorum Capituli Generalis, & Prouincialis.

I.

a STatuimus, quod ſingulis annis, in ſingulis Capitulis Prouincialibus, Hiſpaniæ, Toloſanæ, Franciæ, S. Dominici, Romanæ, Prouinciæ, Regni Siciliæ, Hungariæ, Teutoniæ, Angliæ, Poloniæ, Daciæ, Græciæ, Terræ Sanctæ, Aragoniæ, Bohemiæ, Prouinciæ Lombardiæ, Saxoniæ, Dalmatiæ, Trinacriæ, Portugalliæ, Scotiæ, Bethicæ, Germaniæ inferioris, S. Thomæ, Calabriæ, S. Crucis, Hiberniæ, S. Iacobi, S. Ioannis Baptiſtæ, S. Vincentij; & S. Antonini &c. quatuor Fratres de diſcretioribus, & magis idoneis, a Prouinciali Capitulo per diſquiſitionem Prioris Prouincialis, vel eius Vicarij: & Prioris, & Supprioris eiuſdem loci; vbi Capitulum celebratur; vel ſi vnus defuerit, per diſquiſitionem duorum, quod ſi duo defuerint, loco ipſorum per diſquiſitionem duorũ antiquiorum in ordine præſentium in Capitulo, hoc modo eligantur.

II.

PRædicti ſiquidem tres vel duo, ſi tertius defuerit, voluntates ſingulorum ſigillatim, & ſeorſim aliquantulum in eadẽ Domo, coram oculis omnium diſquirant, & conſcribant fideliter. Deindè incontinenti in loco eodem, antequam Fratres diſcedant, & ad inuicem colloquantur, ſcripturam publicent in medium, expreſſis nominibus eligentium, & Electorum: & in quibus plures concordauerint, illi pro Deffinitoribus habeant. Si autem par-

partes fuerint æquales, tunc eodem modo per diſquiſitionem voluntatum vnus de Fratribus, qui vocem in prædicta electione non habuerit, eligatur, & cui parti ille conſenſerit, illi pro Diffinitoribus Capituli recipiantur. Quod ſi in electione ipſius adhuc diſcordauerint, alius eligatur per eundem modum: & ſic deinceps, donec in parte altera maior poſſit numerus inueniri.

III.

b PRædicti igitur quatuor Deffinitores eligantur in die proximo, præcedente diem aſſignationis Capituli Prouincialis, & ex tunc incipiat authoritas eorumdem. Quod ſi aliquem de dictis quatuos Deffinitoribus, durante Prouinciali Capitulo, mori contigerit, vel alia legitima cauſa impediri: Electores ſupradicti, ſecundum dictam formam poſſint ſtatim alium Deffinitorem eligere dicti Capituli: qui mox electus, eandem habeat poteſtatem, quam cæteri Deffinitores habent, & loco mortui, vel impediti, omnia Capituli negotia, cum alijs pariter deffiniet, & tractabit.

a Statuimus &c. *et infra*. Et in quibus plures concordauerint,) Declaramus, quod ad hoc, vt aliquis ſit Deffinitor, non ſolum oportet, quod habeat plures voces, quam alij; ſed oportet, quod habeat plures vltra medietatem: iuxta Capit. Bonon. 1564 declarationem; vbi poſtquam de electione Prioris Provincialis præmiſerat, quod fieri deberet per vota ſecreta, & vltra medietatem omnium eligentium, ſubdit hæc verba: Et idem modus eligendi ſervetur in electione Prioris Conventualis, & Magiſtri Ordin. & Deffinitorum Capituli Generalis, & Provincialis, & Socij Prioris euntis ad Capitulum Provinciale.

Item ordinamus, vt in omnibus Provincijs, in quibus

Deffinitores Capituli Provincialis eliguntur per Nationes, examinatores ſcrutiniorum Patrum Vocalium Electorum pro Capitulo Provinciali, eligantur etiam per Nationes a P P. Provinciæ tantum: qui ſcrutatores in natione Prioris Provincialis proponantur ab eodem Provinciali; in alijs autem nationibus a PP. Magiſtris antiquioribus ſecundum profeſſionem. In Provincijs vero, in quibus Deffinitores non eliguntur per nationes, præfati examinatores ſcrutiniorum proponantur a Provinciali, ſeu Vicario Generali Provinciæ de conſilio P P. Provinciæ: præcipientes omnibus tam Prælatis, quam ſubditis, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ; ne quidquam in contrarium attentare audeant, quacumque conſuetudine non obſtante. Pariſijs 1611. ordinat. 11. Porro per patres Provinciæ tam in Conſtitutionibus, quam in declarationibus intelliguntur, non modo illi, qui fuere ipſius Provinciæ Provinciales; verum etiam Magiſtri in Theologia rite inſtituti: qui a Provincia fuere acceptati, & potiuntur gratijs, & privilegijs Magiſtrorum. Valentiæ 1596. declarat. 3.

Declaramus etiam, quod ante electionem Deffinitorum, acta Capituli Generalis, & litteræ Magiſtri Ordinis debent legi omnibus vocalibus in ipſo Provinciali Capitulo congregatis: & ille, qui fuit Deffinitor præcedentis Capituli Generalis, debet in ipſo Capitulo Provinciali, cauſas Conſtitutionum inchoatarum, & approbatarum, & admonitionum exponere; ſicut fuit declaratum Florentiæ 1257. & Argentinæ 1260. Item Pariſ. 1611. conceſſum fuit, vt ſi quæ circa acta Capituli Generalis immediate celebrati difficultates, aut dubia ſuboriantur; Deffinitores poſt Capitulum Deffinitorum, & Provinciales poſt Capitulum Provincialium, ea explicare, & declarare poſſint; quorum explicationi, & declarationi ſtandum erit, quouſque à Magiſtro Ordinis aliter fuerit determinatum.

b Prædicti igitur quatuor Deffinitores eligantur in die proximo præcedente &c.) Declaramus, declaratum fuiſſe in Capitulo Romano 1553. declarat. 4. quòd prædicti Deffinitores omnes ipſa die ſimul eligi debent, non autem ſigillatim, niſi per Nationes eligantur; Provincialem verò poſtea in ipſo Capitulo eligi debere: ipſos autem Deffinitores ſtatim poſt

ſuam

ſuam electionem habere locum ſuper omnes Fratres, inter ſe autem ſecundum ordinem ſuorum graduum, vel Conventuum dignitatem.

I V.

STatuimus etiam, vt per duos annos in dictarum triginta vnius Provinciarum Capitulis, aliquis de magis idoneis, *c* a maiori parte Capituli eligatur, per diſquiſitionem Prioris Prouincialis, vel eius Vicarij, & Prioris, & Supprioris illius loci, vbi Capitulum celebratur: & ſi vnus defuerit, per diſquiſitionem duorum; quod ſi duo defuerint, loco ipſorum per diſquiſitionem duorum antiquiorum in Ordine præſentium in Capitulo, qui ſit Generalis Capituli Deffinitor ſecundum formam ſupradictam in electione Deffinitorum Capituli Prouincialis. Cui Socius competens a Priore Prouinciali, & Deffinitoribus aſſignetur; *d* qui Deffinitor, & Socius, ſolum de ſuis Prouincijs, quarum ſunt filij, aſſumantur. Quod etiam de Electoribus Magiſtri Ordinis, volumus inuiolabiliter obſeruari. Socij etiam Priorum Conuentualium ad Prouinciale Capitulum, & Electores Prioris Prouincialis; tantum de Conuentibus, in quibus ſunt aſſignati, eligantur.

V.

QVod ſi ſuperſedeatur in illo anno a Capitulo Generali: qui in ſequenti Capitulo Provinciali electus fuerit, habeatur Generalis Capituli Deffinitor. Valliſoleti 1523. Si vero nullus alius legitimus electus fuerit, ille qui in Capit. præcedenti fuerit electus, legitimus ſit Deffinitor. Et idem dicimus de illius Socio, quod va-

valeat, & ſit eodem modo legitimus Socius, & in anno electionis Magiſtri Ordinis ſit Elector, ſi non eſt alius Elector electus. Et tam Deffinitor, quam Socius, habeant litteras teſtimoniales, non tantum a Priore Prouinciali, ſed a toto deffinitorio; alias nullo modo admittantur, neque ad deffinitionem, nec ad electionem Magiſtri Ordinis in anno electionis; niſi aliter de iure conſtiterit.

VI.

NOlumus tamen, quod is, qui in præcedenti Capitulo electus fuerit, ad idem officium eligi valeat in anno Deffinitorum proxime ſubſequente: ſi vero medio tempore deceſſerit, vel in Priorem Prouincialem electus fuerit, & confirmatus, vel aliquo modo fuerit impeditus, quod venire non poſſit ad Capitulum Generale; ipſo iure Socius eius loco ipſius Deffinitor habeatur, niſi tunc ſuperueniat Deffinitor, qui non obſtante deffinitione incepta per Socium, ipſe illa vice deffiniat, & Socius illius cedat. Quod ſi alterum ipſorum ſupradicto modo impediri contigerit; primus Conuentus, ad quem declinauerit, teneatur ei de competenti Socio itineris prouidere. Fratres, qui in vno anno electi ſunt in Deffinitores Capituli Prouincialis, ſequenti anno ad idem officium, non eligantur. Idem dicimus de Deffinitoribus Capituli Generalis.

c A maiori parte Capituli eligatur per diſquiſitionem Prioris Prouincialis, vel ejus Vicarij, & Prioris, Supprioris.)
Declaramus fuiſſe prohibitum, ne vocales in Capit. Provinc. committant Priori Provinciali, & Deffinitoribus Provincialis Capituli, electionem Deffinitoris

toris Capituli Generalis, nec etiam Electorum Magiſtri Ordinis: ſed tam Deffinitor, quam Electores prædicti, debent eligi, ſecundum formam in Conſtitutionibus expreſſam, a maiori videlicet parte vltra medietatem omnium eligentium; ſicut fuit declaratum Florentiæ 1257. ordinat. 3. & Argentinæ 1260. confirm. 8.

d Qui Deffinitor, & Socius ſolum de ſuis, Prouincijs, quarum ſunt filij aſſumantur.) Declaramus, quod Frater de illa Provincia proprie dicitur, pro qua profeſſus eſt; vel ad quam a Generali Capitulo, vel a Magiſtro Ordinis, non ſolum aſſignatus, ſed ſimpliciter tranſlatus, ſeu incorporatus eſt; ſicut fuit declaratum Coloniæ 1428. Et ideo quamvis Frater, qui eſt ex aliena Provincia poſtquam ſteterit per vnum annum continuum, aſſignatus in aliquo Conventu alicuius Provinciæ, ſi habuerit ſex annos a profeſſione ſua, & fuerit Sacerdos, ad electionem Prioris Provincialis admitti poſſit: non tamen eligi poterit in Deffinitorem Gener. Capitul. nec Socius eius eſſe, nec Elector Magiſtri Ordinis; niſi ſit illi Provinciæ incorporatus, atque ad eam ſimpliciter tranſlatus, Provincijs Gregiæ, & Terræ ſanctæ exceptis. Item declaramus ex mandato Clementis VIII. fuiſſe Romæ 1601. ordinat. 28. ordinatum, & Valliſoleti 1605. accept. 1. acceptatum, ne titulares Provinciales vllo modo creentur (excepto Provinciali Terræ ſanctæ) nec vocales Electores. Quod ſi contigerit conſtituere in aliquibus Provincijs, quaſi deſolatis, habentibus tamen aliquos Conventus, aliquem Provincialem, qui non ſit illius Provinciæ filius: ſic volumus providere in hac parte, ne ſint duo Provinciales harum Provinciarum, vnius eiuſdemque Provinciæ. Idem dicimus de Deffinitoribus, ſi pro illis Provincijs conſtitui debeant. Ita denique vt alicuius Provinciæ vltra tria vota non poſſit ſuperaddi ex quacumque cauſa, niſi tantum vnum votum pro Capitulo Generali.

e Ad idem officium eligi ualeat.) Declaramus, quod Deffinitor, qui in aliquo Generali Capitulo deffinivit, non poterit aliquo modo in alio Capitulo immediate ſequenti ad idem officium eligi, aut quocumque modo deffinire: ſicut expreſſe in noſtris Conſtitutionibus continetur, fuitque declaratum apud Caſtras 1352. Hoc autem

tem ita fuit declaratum Romæ 1546. declarat. 2. ad eum modum, quod qui in Capitulo Provinciali fuerit electus Capituli Generalis Deffinitor, poſſit in ſequenti Capitulo reeligi, ſi non deffinivit.

CAP. VI.

De Capitulo Quotidiano.

I.

a Finitis Matutinis, teneatur Capitulum, vel aliquando poſt Primam, vel etiam intermittatur, ne ſtudium impediatur; ſecundum quod Prælato videbitur. Ingreſſo Conventu Capitulum, Lector pronunciet Lunam, & quæ de Calendario pronuncianda ſunt: & Sacerdos proſequatur, Pretioſa eſt &c. Deinde reſidentibus Fratribus, Lector pronunciet lectionem de Inſtitutionibus, vel de Euangelio, pro tempore: præmiſſo, Iube Domne: & Hebdomadarius ſubiungat benedictionem: Regularibus diſciplinis, vel Diuinum auxilium, pro tempore. Et facta abſolutione pro Defunctis, dicat, qui tenet Capitulum, Benedicite, & reſponſo, Dominus; inclinent omnes. Deinde recitatis beneficijs, & dicto a Priore. Retribuere dignare &c. dictis etiam a Conuentu Pſalmis. Ad te leuaui &c. & De profundis &c. Kyrie eleiſon, cum Pater noſter: ſubſecutis etiam tribus verſiculis, Oremus pro Domino Papa; Saluos fac ſeruos tuos, & ancillas tuas; Requieſcant in pace; Dominus vobiſcum, ab Hebdomadario dicendis; cum his tribus Collectis, Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis &c. Prætende &c. Fidelium Deus &c. reſedeant Fratres.

Tunc

II.

TVnc Prælatus poterit dicere breuitèr, ſi quid ad honeſtatem Ordinis, & correctionem Fratrum viderit expedire. Poſt hæc autem egrediantur Nouitij, quibus egreſſis dicat, qui preeſt: *b* Faciant venias ſuas, qui ſe reos exiſtimant. Continuò, qui ſe reos intellexerint, proſtrati veniam petant. Deindè ſurgentes, *c* humilitèr confiteantur culpas ſuas: & quorum culpa talis eſt, quæ digna ſit correctione, præparent ſe ad correctionem; quam Prior faciat vel ille cui iniunxerit.

III.

IN Capitulo verò Fratres, niſi duabus de cauſis, non loquantur; ſcilicet culpas ſuas, vel aliorum dicendo ſimpliciter, & Prælatis ſuis tantum ad interrogata reſpondendo. Vno etiam Fratre loquente, alius non loquatur. Nullus faciat proclamationem ſuper aliquem ex ſola ſuſpicione. Itē nullus accuſet de auditu, niſi dicat, a quo audierit, & ille ſit præſens in Domo. Auditis vero culpis dicatur Pſalmus, Laudate Dominum omnes Gentes, cum verſiculo, Oſtende nobis Domine &c. Dominus vobiſcum, & Collecta Actiones &c. In fine dicat Prior, Adiutorium noſtrū in nomine Domini, & ſic ſoluitur Capitulum.

a Finitis Matutinis teneatur Capitulum.) Declaramus, quod Capitulum de culpis, ſi non poſſit teneri quotidie propter ſtudium, vel alias occupationes, debet tamen ſaltem ſemel in qualibet ſeptimana, vel ad ſummum ſemel intra quindenam haberi: vt beneficia recitentur, & Benefactores Fratrum orationibus commendentur; ſicut fuit declaratum Saviliani 1439. Romæ 1501. & in multis alijs Capitulis. Et noviſſime Romæ 1601. con-

confirm. 2. & Valliſoleti 1605. confirm. 1. confirmata fuit ordinatio de Capitulo habendo ad minus de quindena in quindenam; in quo inter reliqua tenebuntur Præſidentes culpas ſubditorum audire, vnius ſaltem Chori; & Provinciales, quos in hoc invenerint negligentes, a ſuis officijs abſolvant. Summopere autem Prælatis cavendum eſt, ne ira perciti Fratres corripiant, ſed omnem benignitatem, & Religioſam erga eos pietatem oſtendant, ſicut fuit ordinatum Venetijs 1592.

b Faciant venias ſuas, qui ſe reos exiſtimant.) Declaramus, quod venia eſt totius corporis ſuper latus extenſio, ſicut ſuperius cap. 2. *de Inclinationibus* dictũ eſt. Hanc igitur veniam Fratres, qui ſe reos eſſe intellexerint, debent in Capitulo facere proſtrati ſuper tarram, ſignificando ſe veniam petere ſuarum culparum.

c Humiliter confiteantur culpas ſuas.) Declaramus, quod Capitulum de Culpis, ideo de culpis appellatur, quia Fratres in eo de Conſtitutionum omiſſione, & tranſgreſſione ſe debent accuſare. Quæ quidem omiſſio, ac tranſgreſſio dicitur eſſe culpa, non eſſentialiter: ſed ſolum antecedenter, vel conſequenter, ſicut ſuperius Capit. *de Levi, & Gravi Culpa* explicatum eſt. Debent ergo Fratres ſe accuſare de defectibus manifeſtis commiſſis contra Regulam, & Conſtitutiones. Quod ſi non ſe accuſaverint, vel pœnitentias taxatas, ſive taxandas non fecerint; diſponunt ſe ad aliquam culpam, & eam incurrunt; venialem quidem ſi ex negligentia, vel levi malitia, mortalem vero, ſi ex contemptu pœnitentias illas omiſerint.

CAP. VII.

De Capitulo Provinciali.

I.

a CApitulum Provinciale poſt Capitulum Generale (quando, & vbi Prior Prouincialis, cum conſilio Deffinitorum elegerit) celebretur. Conuentuales cum ſingulis ſocijs, a pluribus de Capitulo ſuo ultra medietatem eligentium electis, per diſquiſitionem Supprioris, vel vices eius gerentis, & duorum Fratrum, qui primi-

mitus Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt, & Prædicatores Generales. Si qui tamen, qui non ſunt de Capitulo; in Deffinitores eligantur, ad omnia acta eiuſdem dumtaxat Capituli admittantur. Prædicatores autem Generales dicimus Magiſtros in Theologia, *b* & qui per Priorem Prouincialem, & Deffinitores Capituli Prouincialis fuerint inſtituti. *c* Quos inſtituendi nullus Vicarius, (etiam cum Definitoribus) habeat poteſtatem. Dicti autem Prædicatores Generales, dicto officio non fungantur, niſi in Prouincia, in qua fuerint inſtituti.

a Capitulum Prouinciale, poſt Capitulum Generale &c.) Declaramus, quod antiquitus, quando ſingulis annis celebrabatur Generale Capitulum, tunc Capitulum Provinciale celebrabatur poſt Capitulum Generale: & in illo recitabantur acta Capituli Generalis, ac pro futuro Generali Capitulo, Definitor eligebatur; & ſic non erat niſi vnum Capitulum Provinciale inter duo Capitula Generalia. Sed poſtea in Capitulo Florentino 1374. ex authoritate Gregorij XI. ſtatutum fuit, vt Generale Capitulum de biennio in biennium, vel de triennio in triennium celebraretur: Capitula autem Provincialia eſſent biennalia: & ita inter duo Capitula Generalia debent mediare duo Provincialia Capitula. Quorum primum poſt Generale Capitulum quanto citius fieri poteſt, celebrandum eſt; in ſecundo autem, quod erit poſt duos annos à primo, debet eligi Definitor Generalis Capituli: & ſcrutinium fieri, ſuper amotione, vel retentione Prioris Provincialis ad Generale Capitulum deferendum; per Definitorem Capituli Generalis in anno Definitorum, & per Socium Provincialis in anno Provincialium. Et licet tunc ſtatutum illud editum fuerit, tamen non fuit poſitum in praxi, niſi poſt annum Domini 1421.

b Et qui per Priorem Prouincialem, & Deffinitores Capituli Prouincialis fuerint inſtituti.) Declaramus, quod ſine Prioris Provincialis aſſenſu, Definitores Capituli Provincialis non

non poſſunt Prædicatores Generales inſtituere: ſicut fuit declaratum in Capitulo apud Montem Peſulanum 1294 declarat. vnica. Prior autem Provincialis, poteſt cum duobus Definitoribus præfatos Prædicatores generales inſtituere.

c Quos inſtituendi nullus Vicarius, (etiam cum Definitoribus,) habeat poteſtatem.) Declaramus, quod quicumque hactenus inter Definitores conſtitutus, ſeipſum de aſſenſu duorum, alijs diſſentientibus, Prædicatorem fecerit generalem; pro non Prædicatore habeatur. Prohibentes diſtricte, ne ſuper hoc de cætero aliquid attentetur; ac ſine conſenſu Prioris Provincialis, nullus Prædicator Generalis inſtituatur, ſicut fuit declaratum apud Londonas 1263. ordin. 3. & apud Montem Peſulanum 1265. & apud Perpinianum 1327. Item declaramus, quod Prædicatores Generales, quando inſtituendi ſunt, debent in actis Capituli Provincialis promulgari, non per litteras fieri. Et ſi qui hactenus per litteras facti ſunt, pro non factis habeantur, ſicut fuit declaratum Florentiæ 1321. Barcinonæ 1323. declar. 4. & Pampilonæ 1355.

I I.

NVllus Prior Conuentualis ducat ſecum plures Fratres ad Capitulum Generale, vel Prouinciale, ſine cauſa legitima. Quod ſi Priorem Prouincialem abeſſe contigerit, nec vices ſuas alicui commiſerit, vel ille cui commiſerit, aliquo caſu abſens fuerit: Prior illius loci, vbi Capitulum fuerit celebrandum; cum Definitoribus Capituli, in celebratione procedat eiuſdem. *d* Quilibet autem Vicarius Generalis Prouinciæ (per quemcumque modum fuerit legitime inſtitutus) locum Prouincialis teneat: Fidelium dicat, licentiam loquendi tribuat, & poſſit concedere litteras de beneficijs illius Prouinciæ; durante CapituloProuinciali dumtaxat. Vicarij vero particulares, ſiue Nationum, ſiue Conuentuum, nec Fidelium dicant:

cant:

cant ; nec locum ſuum mutent : niſi in Capitulo dum ibidem ſuum officiũ exercuerint.

I I I.

PRædicti igitur Deffinitores tractabunt omnia, & definient cum Priore Prouinciali. Quod ſi in ſuis definitionibus in partes æquales ſe diviſerint, illorum ſententia præualebit, in quorũ parte Prior Prouincialis concordauerit ; alias enim ſententia plurium præualebit. Si autem per adiunctionem, vel abſentiam Prioris Prouincialis, vel eius Vicarij ; vel caſu aliquo contingente, partes fiant æquales ; vnus ab eiſdem de Capitulo eligatur : & in quorum partem declinauerit, illorum ſententia præualebit. Iſti autem quatuor Deffinitores, exceſſum Prioris Prouincialis confeſſi, vel proclamatĩ in Capitulo Prouinciali coram Fratribus audiant, & emendent, ei pœnitentiam iniungentes. Si autem (quod abſit) incorrigibilis extiterit, ipſum vſque ad Capitulum Generale ſuſpendant ab officio Prioratus, aliquem idoneum loco eius ſubſtituentes : & eius exceſſum referant ad Capitulum Generale, ſcripto communiter ſigillato.

I V.

CApitula Provincialia deinceps fiant biennialia, ſi & in quantum Prouinciali, & Diffinitoribus in ſua Prouincia videbitur expedire. In ſingulis autem Capitulis Prouincialibus, auditis culpis fiat ſecretum ſcrutinium in conſpectu omniũ ſuper retentione, vel abſolutione Prioris Prouincialis ; cum expreſſione nominũ : & officiorum Fratrum exprimentium vota ſua, per Deffinitores Capituli

Pro-

Prouincialis. Et hoc ſcrutinium non publicetur, nec alicui oſtendatur; ſed ſtatī ſigillis omnium Deffinitorum in conſpectu omnium ſigilletur, & per Deffinitorem Generalis Capituli, vel eius ſocium, vel per ſocium Prioris Prouincialis (in anno Prouincialiū) ad Generale Capitulum deferatur. Et hæc eadem formam ſcrutinij faciendi de Priore Conuentuali, per Suppriorem, vel eius Vicarium, (in abſentia Supprioris) & duos antiquiores in Ordine de Conuentu præſentes in Capitulo, in tractatu eorum, quæ mittenda ſunt ad Capitulum obſeruetur: & ſigillo Conuentus ſigilletur, & per ſocium Prioris, ad Prouinciale Capitulum tranſmittatur.

d Quilibet autem Vicarius Generalis Prouinciæ, &c.) Declaramus, quod licet quilibet Vicarius Generalis Provinciæ, per quemcumque modum legitime fuerit inſtitutus, locum Provincialis debeat tenere, *Fidelium* dicere, licentiam loquendi ſecum comedentibus, in illa Provincia dare, & etiam litteras de beneficijs concedere: Vicarij tamen Magiſtri Ordinis, vel Priorum Provincialium, non generales, ſed particulares, ſive Nationum ſint, ſive Conventuum, ſive miſſi ad aliquam Provinciam viſitandam; debent vbique ſuum locum tenere, niſi in Capitulo, dum officium correctionis exercuerint, ſicut fuit declaratum Londonis 1263. ordinat.9. & apud Montem Peſulanum 1265. Nec debent ſe de viſitandis, & ordinandis Monaſterijs Ordinis, quovis modo intromittere, niſi in eorum litteris hoc ſpecialiter expreſſum fuerit, ſicut fuit declaratum Argentinæ 1307. ordinat.3.

Item declaramus, Vicarios tam generales, quam particulares, ita ex ordine eſſe collocandos. Primus eſt Vicarius Generalis Ordinis, qui mortuo; vel amoto Magiſtro Ordinis, vniverſæ Religionis adminiſtrationem habet. Secundus eſt Vicarius Generalis Magiſtri Ordinis, ab ipſo Magiſtro Generali inſtitutus. Tertius eſt Vicarius Generalis alicuius Provinciæ, qui ſcilicet miſſus eſt à Generali Magiſtro, ad aliquam, vel aliquas Provincias. Quar-

Quartus eſt Vicarius Prouinciæ, videlicet Prior Prouincialis, vel præteritus ante confirmationem Prouincialis nouiter electi; vel nouus electus ante ſui confirmationem, iuxta priuilegia, & conſuetudines diuerſarum Prouinciarum. Quintus Vicarius Prouinciæ eſt, qui mortuo, vel amoto Prouinciali, curam de iure gerit illius Prouinciæ. Sextus Vicarius Prouinciæ eſt, qui a Prouinciali abſente, præficitur toti Prouinciæ. Poſt hos Vicarios ſunt Vicarij Congregationum. Deinde Vicarij Nationum, vbi Prouinciæ ſunt diſtinctæ per Nationes. Poſtea Vicarius, qui quandoque conſtituitur in capite ſuper Priorem, vel abſente Priore. Vltimi ſunt Vicarij locorum, ſeu Domorum.

Item declaramus, quod Vicarij Congregationum, extra ſuam Congregationem non habent locum ſuper Magiſtros: Vicarij autem locorum, in Domibus ſuis præcedunt quidem ſubditos, & debent habere ſuperiorem locum, non autem ſuper Magiſtros; vt fuit declaratum Barcinonæ 1574. declarat. 15. Vbi etiam expreſſum eſt, quod ſi contigerit vt Prior Conuentualis veniat ad illam Domum, debet Vicarium eiuſdem Domus præcedere, & eo præſente *Fidelium* dicere: quod & Romę 1589. confirmat. 9. confirmatum fuit.

V.

DIctis autem Scrutatoribus voluntatum in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, quod dictum ſcrutinium alicui per modum aliquem non reuelent. *e* Quod ſi aliquis, vel aliqui de prædictis Scrutatoribus Prioris Conuentualis impedimentum haberent, iudicio maioris partis, medietate Conuentus, ad audiendum; vel videndum, ſeu ſcribendum ea, quæ in ſcrutinio deponuntur, vnus de Fratribus ad ipſam electionem pertinentibus, (quem, ut dictum eſt, maior pars Conuentus nominauerit,) loco illius, qui impeditus fuerit, ad recipiendum dictũ ſcrutinium admittatur, & tunc ad ſeruandum ipſum ſcrutinij ſecretum, ex vi præcepti teneatur, vt alii. Et hæc eadem forma circa ſcrutinium Electorum

Prioris Prouincialis, & electionis Prioris Conventualis, in omnibus obſeruetur.

V I.

ACcuſationi vero, & correctioni, profeſſi poſt triennium ab ingreſſu Ordinis potuerunt intereſſe. *f* Infra vero quinquennium ab ingreſſu Ordinis, Fratres alij non admittantur ad diſcuſſionem eorum, quæ ad Capitulum Generale, vel Prouinciale ſunt mittenda: nec ad electionem Socij Prioris Conventualis, nec ad electionem Electorum Prioris Prouincialis. Priores cum ſuo Conuentu, Capitulo Prouinciali ſingulis annis ſcribant debita Domus ſuæ,& cauſas etiam debitorum. Similiter etiam Prouinciales, & eorum Deffinitores, ſuarum debita Provinciarum, cum ſuis cauſis Capitulo ſcribant Generali. Item nulla petitio offeratur Capitulo Prouinciali, niſi a Conuentu, nec Generali, niſi a Capitulo Prouinciali fuerit approbata. Nullus vero Religioſus alterius Ordinis, vel profeſſionis, nulluſque ſecularis cuiuſcumque cōditionis, vel dignitatis, vel vitæ; ſecretis, vel tractatibus Capituli aliquatenus admittatur. *g* Prior autem Provincialis, & Deffinitores, in quolibet Capitulo Prouinciali determinent tempus, ante quod Fratres ad Capitulum ſequens non veniant.

e Quod ſi aliquis, vel aliqui de prædictis Scrutatoribus Prioris Conuentualis, impedimentum haberent.) Declaramus, quod ſi in ſcrutinio faciendo circa abſolutionem, vel retentionem Prioris Conuentualis, vel Prouincialis, vel circa electionem Electorum Prioris Provincialis, vel electionis Prioris Conuentualis, vel Socij eius, aliquis ex prædictis Scrutatoribus impedimentum habuerit, vel

vel ſurditatis, vel cæcitatis, vel alterius infirmitatis: tunc ea occaſione: ad audiendum, vel videndum, ſeu ſcribendum ea, quæ in ſcrutinio deponuntur, admittendi ſunt, non ille, vel illi, qui poſt eos, qui impedimentum habent, antiquiores ſunt; ſed ille, vel illi, quem, vel quos maior pars vltra medietatem omnium Vocalium elegerit, qui tamen ſint ex eorum numero, qui pertinent ad prædictam electionem.

f Infra vero quinquennium ab ingreſſu Ordinis &c.) Declaramus, quod quando hæc Conſtitutio fuit edita, Priores ſub pęna abſolutionis a ſuis officijs, non poterant aliquem ad Habitum Religionis, ante quintumdecimum annum recipere: ideo poſt quinquennium ab ingreſſu Ordinis habebant quatuor annos a ſua profeſſione tacita; vel expreſſa. Quamobrem ad omnem tollendam ambiguitatem, in Capitulo apud Valencenas 1337. declaratum fuit, illud quinquennium ita eſſe intelligendum; vt in ipſo ſemper quatuor anni a tempore profeſſionis computandi ſint: itaut omnes anni tempus profeſſionis præcedentes (quod dicitur tempus Novitiatus) etiam ſi plures anni fuerint, pro vno tantum anno computentur; & poſt quatuor annos a profeſſione, & non ante, admitti debent ad prædicta omnia, ſicut etiam declaratum fuit apud Biſuntium 1353. Verum vt ſæpius dictum eſt ſuperius, nunc requiruntur ſex anni a profeſſione, & quod ſint Sacerdotes, iuxta ordinationem Romæ 1608. ordinat. 4. & Pariſijs 1611.

g Prior autem Provincialis, & Deffinitores in quolibet Capitulo Provinciali determinent tempus &c.) Declaramus, quod Priores Provinciales, vel Vicarij Generales Provinciarum, a tempore, quo Definitores Provinciarum iter arripuerint ad Generale Capitulum, non poſſunt Capitula Provincialia de loco ad locum, vel quoad tempus mutare; neque Priores Conventuales, vel Prædicatores Generales abſolvere; quouſque de ipſo Generali Capitulo certiores facti ſint a ſuis Definitoribus, vel a Socijs eorum iam reverſis: ſicut fuit declaratum Bononiæ 1380.

Item declaramus in Capitulo Pariſienſi 1611. conceſſum fuiſſe omnibus Provincijs habentibus Provinciales quadriennales, & non habentibus Capitulum intermedium) ſi tamen hæc conceſſio toti Pro-

vinciæ in primo Capitulo Prouinciali congregatæ propoſita placuerit, & ab omnibus fuerit acceptata) vt poſſint conuocare Congregationem ex Prioribus præcipuorum Conuentuum, & Magiſtris antiquioribus, & Patribus, qui fuerunt Prouinciales: in qua fieri poſſent Definitores ad inſtar Capituli Prouincialis, & haberi ſcrutinium de retentione, vel amotione Prioris Prouincialis; eligi Definitor Capituli Generalis, ſi in præcedenti Capitulo non fuerit electus: denique tantam habeat hæc Congregatio authoritatem, quantam haberet Capitulum intermedium formaliter conuocatum.

CAP. VIII.

De Capitulo Generali.

I.

CApitulum Generale, vna vice vltra montes, altera vice citra montes, alternatim (Auenione 1561) de triẽnio in triennium celebretur: niſi Magiſtro cum Deffinitoribus, vel cum diſcretorum maturo conſilio, ex legitima, & urgentiſſima cauſa illud alibi aſſignare, aut aſſignatum transferre, vel per annum præuenire, aut etiam prorogare, neceſſarium videatur; & niſi obitus Magiſtri Generalis acciderit. Quo eueniente fiat, ſicut Capitulo quarto de Electione Magiſtri Ordinis eſt decretum. Prædicti autem triginta vnius Prouinciarum Deffinitores in duobus Capitulis, triginta & vnus Prouinciales in tertio Capitulo cum Magiſtro Ordinis omnia definient, conſtituent, & tractabunt. Quod ſi in partes æquales ſe diuiſerint, illorum ſententia prævalebit, in quorum partem Magiſter Ordinis declinauerit. Si autem in partes inæquales; obtineat ſententia plurium. Si autem per adiunctionem Magiſtri partes fiant æquales, vnus eligatur a Deffinitoribus, ſecundum quod in electione Deffinitorum

Pro-

Prouincialium eſt ſtatutum. Quod ſi ad Capitulum aliquo caſu præpediti non omnes venerint, illi, quos ex ipſis venire contigerit, cum Magiſtro Ordinis omnia pertractabunt.

a Capitulum Generale, &c.) Declaramus, quod iſta Conſtitutio a principio Ordinis, ſcilicet ab anno 1220. ſic habebat: Vno anno Pariſijs, altero anno Bononiæ celebretur. Et ſervata fuit vſque ad 1244. in quo fuit ordinatum, quod etiam alibi poſſet Capitulum celebrari: celebratumque fuit Coloniæ, ac ſingulis annis celebrabatur vſque ad annum 1370. in quo celebratum eſt Capitulum Valentiæ in Provincia Aragoniæ; vbi aſſignatum fuit Capitulum Toloſæ poſt biennium celebratum, & inde Florentiæ etiam poſt biennium. Florentiæ vero authoritate Gregorij Papæ XI. in Conſtitutiones redactum eſt, & poſitum infra *Capite decimo ſeptimo de Capitulo Generali, biennali, vel triennali*. Deinde in Capitulo Romano 1553. inchoatum, & Romæ 1558. approbatum, & demum Avenione 1561. in Conſtitutionem redactum eo modo, quo ponit hic textus: & Capitulum decimumſeptimum de biennali, vel triennali Capitulo abrogatum ac deletum eſt; nec in hoc defuit authoritas Iulij Papæ III. quando inchoatum eſt, prout infra ſuo loco clarius dicetur.

II.

b SI vero Magiſtrum aliqua occaſione abeſſe contigerit, vnus de Deffinitoribus eiuſdem Capituli, ab ipſis Deffinitoribus, vel maiori parte eorum aſſumatur in Magiſtri Ordinis Vicarium: qui durante Capitulo, vices Magiſtri gerat in omnibus dumtaxat, quæ ad tractatus, & Acta Capituli pertinebunt. Qui etiam locum Magiſtri vbique teneat, Fidelium dicat, licentiam loquendi tribuat, & poſſit concedere litteras de beneficijs Ordinis, vt Magiſter; in deffinitionibus vnam tantum habeat vocem. Quod ſi in eius aſſumptione in partes æquales ſe diuiſerint, vnus

de præſentibus Fratribus eligatur ab ipſis: & in quorum ſententiam iſte declinaverit, ille pro Vicario habeatur; cum quo Vicario, cæteri Deffinitores in deffinitione procedant. Quod ſi in ipſa deffinitione iterum in partes æquales ſe diuiſerint, forma ſuperius poſita teneatur.

b Si vero Magiſtrum aliqua occaſione abeſſe contigerit; vnus de Deffinitoribus eiuſdem Capituli aſſumatur in Vicarium.) Declaramus, quod ſi Capitulo Generali Magiſter Ordinis, ex quacumque cauſa intereſſe non poterit, poterunt Deffinitores vnum ex ipſis in Vicarium Magiſtri Ordinis eligere: non autem aliquem extraneum ab ipſis poterunt ad illud officium aſſumere. Talis autem Vicarius poterit etiam licentiam loquendi ſecum comedentibus tribuere.

III.

ISti autem Deffinitores habebunt plenariam poteſtatem ſuper exceſſu Magiſtri Ordinis corrigendo, vel de eo penitus remouendo: ipſorum vero ſententia tam in his, quam in alijs inuiolabiliter obſeruetur; ita quod a nemine ab illorum ſententia *c* liceat appellare, & ſi appellatum fuerit, friuola, & nulla appellatio habeatur. Appellationem enim intra noſtrum Ordinem, ſub interminatione anathematis fieri inhibemus, *d* cum non venerimus contendere, ſed potius delicta corrigere.

IV.

ITem ne delicta maneant impunita, & obedientia in noſtro Ordine per appellationes friuolas infringatur: ſtatuimus, quod quicumque Frater noſtri Ordinis contra obedientiam appellare præſumpſerit in futurum; niſi ipſi appellationi infra duos menſes renuncia-

ciauerit, vel etiam infra annum proſequi non inceperit, aut ab incepta proſecutione deſtiterit, vel in ipſa ſuccubuerit; adiudicatus carceri ſit ipſo facto: nec poſſit cum ipſo, niſi per Capitulum Generale, ante annos duodecim diſpenſari.

V.

APpellans autem ab abſolutione facta, vel facienda ab officiis Prioratus Prouincialis, vel Conuentualis, aut Vicariatus (etiam prætextu grauaminis) ipſo facto ſit abſolutus ab illo officio. Volentes quod in iſtis ratio gravaminis tam proprij, quam communis, non habeat locum quoad appellandum. Item ad nullum Judicem extra Ordinem, niſi ad Sedem Apoſtolicam (cui immediate Ordo ſubditus eſt) aliquod membrum Ordinis, illique ſubditum, pro iuſtitia recurrat: ſub pœna abſolutionis ipſo facto, ſi eſt Prælatus; & priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ etiam ipſo facto, quoad alios.

c Liceat appellare.) Declaramus, quod licet appellatio ſit de iure naturali, nihilominus modus, & ordo vtendi hoc iure præſcribitur à lege poſitiva, ne irrepat abuſus, pro vſu rei licitæ. Vnde in Capitulo Carcaſſonæ 1312. ſic dicitur: Volumus, & ordinamus, quod quicumque Frater repertus fuerit (iudicio eius ad quem ſpectat, ſine cauſa rationabili à quocumque ſuo Superiori appellaſſe; carcerali cuſtodiæ mancipetur. Denunciantes Fratribus vniverſis, quod de iure communi, & ex ſpeciali Ordinis privilegio, nulli Fratrum licitum eſt a correctione, vel ab officiorum amotione appellare; ſicut fuit declaratum Cenomanis 1491.

d Cum non venerimus contendere, ſed potius delicta corrigere.) Declaramus, quod Religioſi appellatio à correctore iuxta ſui Ordinis diſciplinam, videlicet ſecundum Regulam, & Conſtitutiones, & approbatas conſuetudines non valet: vt habetur

betur *in capit.* Cum ſpeciali. *extra* de Officio Ordinarij; niſi forte corrigens modum in corrigendo excedat. Et propterea Bonifacius VIII. in ſuis Conſtitutionibus ſic dicit: *Authoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia indulgemus, quod prædictus Magiſter, & alij Præſidentes in dicto Ordine, ad quos id pertinuerit pro tempore; in correctionibus Fratrum eiuſdem Ordinis, iuris ordine poſtpoſito ſecundum conſuetudines approbatas, & inſtituta Ordinis antedicti, procedere libere, & licite poſſint, & valeant. Quodque nullus ex Fratribus, & Sororibus Prædicatorum Ordini ſubiectis, aliquem ex Fratribus, vel aliquam ex Sororibus huiuſmodi, coram quocunque iudice, qui non ſit de dicto Ordine, ex quacunque cauſa conuenire; nec à correctione quacunque, ſeu alias ab aliquo Prælato, vel Fratre dicti Ordinis, quavis occaſione appellare, aut contra eos querelam proponere valeat: niſi prius coram Conuentuali, ſeu Prouinciali Priore, ſeu Magiſtro Ordinis, & ſucceſſiue in Generali Capitulo dicti Ordinis cauſam, & querelam ſuam propoſuerit verbo, vel ſcripto.* Hæc autem Conſtitutio Bonifacij explicata, & ampliata fuit à ſacra Epiſcoporum, & Regularium Congregatione, quemadmodum ſuperius *diſtinct.* 1. capit. 18. fol. 136. relatum eſt.

Item Iulius II. conceſſit Breve Fratri Vincentio Bandello Magiſtro Ordinis, infraſcripti tenoris. *Iulius Papa II. Dilecte filij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. A fide dignis accepimus, quod nonnulli Fratres Ordinis tui, & nonnullæ Moniales Ordinis ſancti Auguſtini, ſub Habitu, & cura Fratrum tuæ curæ ſubiectorum degentes, vt debitam correptionem, & abſolutionem à ſuis officijs ſubterfugiant; ad Cancellariam Auenionenſem, & alias curias ſeculares vel Eccleſiaſticas, à tuis, & aliorum Prælatorum ordinationibus, & mandatis appellare non erubeſcunt. Quo circa huiuſmodi ſubterfugijs obuiare quantum cum Deo poſſumus cupientes Fratribus, & Monialibus antedictis, ne appellationes hactenus interpoſitas proſequi, aut in poſterum à mandatis huiuſmodi appellare iudicibus vero quarumcunque Curiarum, ne appellationes huiuſmodi recipere, aut illas cognoſcere quoquo modo præſumant; ſub excommunicationis pœna, diſtrictius inhibemus. Irritum quoque & inane decernimus, quidquid ſecus à quocunque quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & cæteris in contrarium facientibus*

tibus non obſtantibus quibuſcunque &c.

Item declaramus ſimilem Conſtitutionem editam fuiſſe Romæ 1558. contra Fratres, qui ad quodcunque tribunal, aut iudicem extra ordinem recurrerint. Et Barcinonæ 1574. confirmat. 42. confirmantur, & innovantur omnes pœnæ, tum per ſacras noſtras Conſtitutiones, tum per acta Capitulorum Generalium inſtrictæ, contra appellantes ad quodcunque ſeculare tribunal.

VI.

DEffinitores itaq; prædicti, poſtquam fuerint accuſati, quando eis videbitur expedire, exceſſum Magiſtri Ordinis ſeorſim corrigant, & emendent: Qui coram ipſis humiliter ſe proſternens veniam faciat, & ſtans de ſuis exceſſibus ſe accuſet, & Deffinitores audiant accuſantem. Auditis vero accuſationibus, ſecedat, & eo abſente Deffinitores de eius correctione conferant, & diſponant. *e* Quod ſi præuaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, aut adeo negligens, & remiſſus, quod Ordinis diſſolutionem, & deſtructionem inducat: moneatur a Deffinitoribus, vt Magiſtratui cedat, & aliquem locum ad manendum, ſibi eligat; vt poſſit honeſte conuerſari. Alioquin amouendi eum ab officio Magiſtratus, liberam habeant facultatem.

VII.

CEſſio autem Magiſtri a Deffinitoribus non admittatur, niſi propter aliquod prædictorum; aut defectum; aut impotentiam, quæ ipſum ab executione officij Magiſtèrij perpetuo impediret. Perpetuum autem dicimus, quod Deffinitores de prudentum conſilio perpetuum iudicabunt. Magiſter vero Ordinis cedens, vel amatus, poſt Magiſtrum

ſtrum Ordinis in Deffinitoriis Capitulorum Generalium, & Prouincialium, & in abſentia Magiſtri poſt Prouincialem, in cujus Prouincia fuerit; & in abſentia Prioris Prouincialis, poſt principalem Prælatum, primam vocem, primumque locum vbique, & in omnibus obtinebit.

c Quod ſi prævaricator Ordinis fuerit, & contemptor.) Declaramus, quod Deffinitores Capituli Generalis, non habent poteſtatem removendi Magiſtrum a ſuo officio, niſi in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus: videlicet ſi fuerit contemptor, hoc eſt ſi ita ſpernit, & nihil curat de Regula, & Conſtitutionibus, vt pro nihilo reputet tranſgredi illas, & eius voluntas renüat ſubijci Regulæ, & Conſtitutionibus; immò nulla ſubſiſtente cauſa eas continue tranſgreditur, & habet firmum propoſitum in huiuſmodi tranſgreſſione perſeverandi. Vel ſi fuerit prevaricator, hoc eſt, ſi frequenter, & quaſi ex habitu Regulam, & Conſtitutiones tranſgrediatur: nam prævaricator dicitur ille, qui præ alijs pluſquam debeat legem tranſgreditur. Similiter ſi ſit adeo negligens, & remiſſus, vt Ordinis diſſolutionem, & deſtructionem inducat; quando videlicet non hortatur Fratres verbis, litteris, ordinationibus, & exemplis, ad honeſtè, religioſeque vivendum. Si defectus non corrigeret, & nullo modo puniret: ſi nunquam celebraret, & neque ad Chorum, neque ad Refectorium accederet. Si autem nihil horum haberet, quamvis quandoque Conſtitutiones tranſgrederetur, (non tamen ex contemptu, neque pluſquam alij) eſſetque aliquantulum negligens circa Divina, & ea quæ ad communitatem pertinent; non poſſet ab ipſis Deffinitoribus deponi.

VIII.

DEffinitores autẽ Capituli Generalis. Dominica infra Octavas Aſcenſionis Domini, vel Sabbato præcedenti; locum Capituli intrare teneantur, & ex tunc in Choro, & alibi ordinate ſua loca teneant; quouſque tempus ſuæ diffinitio-

tionis expiret *f* Prouinciales quoque abſoluti, loca in Prouinciis, in quibus præfuerunt, ſuper omnes alios vbique habebunt: (Romæ 1558.) & ſimiliter vocem in omnibus electionibus Prouincialium, & Deffinitorum, & electorum Magiſtri Ordinis; dummudo Magiſtri in ſacra Theologia, non Magiſtris ex hoc minime poſtponantur, nec actualium Præſidentium locis minime derogetur. *g* Magiſtris vero in ſacra Theologia; immediate poſt Priorem, in cuius Conuentu fuerint, locum damus. *h* Baccalaureis, qui legitime incorporati in Vniuerſitate ſententias ſolemniter legerint, aut legunt, poſt Suppriorem vbique in toto Ordine locum damus.

f Prouinciales quoque abſoluti, loca in Prouinciis, in quibus præfuerunt ſupra omnes alios vbique habebunt.) Declaramus, quod Priores Provinciales, ſi ſint Magiſtri ſacræ Theologiæ, poſtquam fuerint abſoluti, habebunt locum ſuper omnes Fratres Magiſtros, & Priores illius Provinciæ, infra tamen Priorem illius Conventus in quo ſe repererint. Si vero non fuerint Magiſtri, habebunt locum immediatè poſt Magiſtros, ſupra tamen omnes Fratres, & Priores non Magiſtros: & hoc in Provincia cui præfuerunt, non autem in alia Provincia. Hoc autem de illis Magiſtris Provincialibus intelligendum eſt, qui antequam eligerentur in Provinciales, erant Magiſtri Provinciæ. Sed ſi peracto eorum Provincialatu, vel in Provincialatu promoveantur ad Magiſterium, locum non habebunt ratione Provincialatus, ſuper omnes alios Magiſtros, qui non fuerunt Provinciales; ſicut fuit declaratum Neapoli 1600. declarat. 7. & confirmatum Romæ 1601. declarat. vbi etiam dictum fuit, ſic eſſe intelligendam hanc Conſtitutionem. Item in Capitulo Romano 1553. declarat. 6. ſic dicitur: Declaramus conformiter ad ea, quæ iam a duobus Reverendiſſ. Magiſtris Ordinis declarata ſunt: ſi in aliqua Provincia contingat, inferiorem Magiſtrum prius fieri Provincialem, & poſtea antiquiorem,

rem; debere vtrumque completo Provincialatu tenere locum inter ſe ſecundum ordinem Magiſterij eorum. Similiter ſi duo non Magiſtri Provinciales fiant, inter ſe locum ſuæ profeſſionis tenebunt poſt Provincialatum, etiam ſi iunior ante antiquiorem Provincialis fuerit.

g Magiſtris vero in ſacra Theologia &c. locum damus.) Declaramus, quod Magiſtri in Theologia vbique tam in Conventibus, quam in Capitulis, locum habent ſuper omnes Fratres, & Priores Conventuales non Magiſtros: infra tamen Priorem, dumtaxat illius Conventus in quo reperiuntur. Priores vero conventuales ſi non ſint Magiſtri in Theologia, vbique teneant loca ſua, ſecundum antiquitatemConventuum quibus præſunt; infra Priorem illius Conventus in quo ſe repererint, & infra Magiſtros in Theologia.

Item circa locum, & vocem Magiſtrorum, Romæ 142. ſic declaratur: quod graduati aliter quam per viam Ordinis, aut per Breve, aut per ſaltum, non habeant locum quouſque approbentur per Capit. Generale, & ex tunc ratio ſui loci incipiat: quod fuit etiam confirmatumRomæ 1546.confirm.7. & Salmant. 1551. confirmat.3 Et Romæ 1539. declaratur, quod Magiſtri, qui primo fuerint laureati via iuridica, & ſine dolo in Ordine noſtro præcedant Priores profeſſos, laureatos tamen poſtea: ita quod non habeatur reſpectus ad profeſſionem; ſed ad coronam primo iuridice acceptam. Bonon. etiam 1564. declaratur, quod Magiſtri in Theol. qui in eodem Capitulo acceptati fuerint, aut approbati, inter ſe locum obtineant ſecundum antiquitatem, quam in Ordine habuerint, quod fuit confirmatum Romæ 1589. declarat.10. & 1608. In quorum vltimo ſic habetur: Declaramus iuxta declarationem 10. factam in Cap. Rom. 1589. quod Magiſtris in Theol. qui ſtatim in ſua Provincia gaudere ſolent loco, & voce, & alijs privilegijs Magiſterij: quamprimum promoventur, antequam etiam acceptentur à ſua Provincia; computanda eſt eis antiquitas loci, & Magiſterij, tam in ſua Provincia, quam in toto Ordine, à die promotionis eorum: Magiſtris verò qui in ſua Provincia non gaudent loco, & voce, & alijs privilegijs Magiſterij, antequam acceptentur à Provincia; (vbi vſus eſt acceptandi Magiſtros ex privilegio Apoſt. ſpeciali) etiamſi ante fuerint pro-

promoti, non eſt computanda in ſua Provincia antiquitas loci, & Magiſterij eorum, niſi à die acceptationis in ſua Prouincia: in aliis verò Prouincijs computabitur ipſis à die promotionis eorum. Nec in ordine loci Magiſtrorum, attendenda eſt antiquitas profeſſionis, vel Habitus; ſed promotionis, vel acceptationis reſpectiuè, uti dictum eſt quomodocumque gradum Magiſterii cum voce, & loco in Prouincia ſua obtinuerint: Siue per acceptationem, ſiue per promotionem ad Regentatum in ſtudio Generali Prouinciæ. Sic tamen, ut qui ſimul promoti: vel ſimul acceptati fuerint, habeant locum ſecundùm antiquitatem ſuæ profeſſionis. Idem prorſus ſeruari volumus in Baccalaureis, ſive Præſentatis.

Item in Capitulo Pariſien. 1611. ſic habetur. Confirmamus, id quod in declaratione 3. Generalis Cap. Romæ 1608. circa præcedentiam Magiſtrorum habetur: videlicet quòd Magiſtris in Theologia qui ſtatim in ſua Prouincia gaudere ſolent voce, & loco & aliis priuilegijs Magiſterij; cùm primum promouentur, antequam etiam à ſua Prouincia acceptentur; computanda eſt antiquitas vbique à die promotionis eorum. Declarantes prædicta verba (à die promotionis eorum) ita intelligi debere: id eſt à die, quo ſubſcriptæ ſunt litteræ patentes à Reuerendiſſimo Magiſtro Ordinis, vel à die quo Reuerendiſſimus ſua manu aliquem gradu Magiſterij ſolemniter decorauit; ſi litteræ patentes ejuſdem Magiſterij non fuerint ante expeditæ. Si autem in eodem Capitulo ſint promoti, aut extra Capitulum eodem die ſubſcriptæ litteræ patentes, tunc locum inter ſe teneant ſecundum antiquitatem profeſſionis.

Item declaramus, quòd ſi Priores ſint Magiſtri, ſua loca teneant inter ſe iuxta Magiſterij rationem. Cæteri vero Fratres loca tenebunt ſecundum antiquitatem ſuæ profeſſionis: ita vt illi, qui poſt ſuam profeſſionem Habitum Ordinis diutiùs portauerunt, eos, qui non tanto tempore poſt profeſſionem Habitum prædictum portauerunt præcedere debeāt. Declarantes, quod nullus Frater noſtri Ordinis, Magiſter in Theologia exiſtens omiſſo nomine Fratris, pronuncietur Magiſter, dicendo, *Magiſter talis*, ſed ſemper dictio *Frater*, præferatur nomini, & cognomini: & ſubſequi poterit in nominatione hæc dictio *Magiſter* dicendo: Fr. Antonius de Florentia, Magiſter: ſicut fuit de-

declaratum Florentiæ 1321. & Toloſæ 1371.

b Baccalaureis, qui legitime incorporati &c.) Declaramus, iuxta ea quæ in Cap. Romano 1530. & 1532. declarat. 4. declarata ſunt: quod nullus Baccalaureus ordinarius incorporatus locum Baccalaurei teneat; niſi actu legat Sententias, vel Bibliam, vel legerit in aliquo Studio ordinario, in quo per annum ſolemniter lecturam fecerit. In Cap. etiam Romano 1542. dicitur: Confirmamus quod Inquiſitores non Magiſtri, teneant primum locum poſt Supppriorem, & Baccalaureos, in Conuentibus.

Poſtea tamen ex S. Congregationis decreto, ſupra Supppriores illum obtinuere. Immo ex noua eiuſdem Sac. Congregationis conceſſione, illum ſuper omnes Magiſtros: immediate autem ſub Prioribus Conuentuum, in quibus reſident, intra ſuam iuriſdictionem conſequuntur.

I X.

ITem in virtute Spiritus S. & ſanctæ obedientiæ, percipimus firmiter obſeruari: ne quis cauſam depoſitionis Magiſtri, vel Prioris Prouincialis, vel eorum exceſſum, vel correctionem, *i* vel ſecretum Capituli, ſeu diſſentiones Deffinitorum, vel Fratrum, vnde Ordo noſter poſſit turbari, vel infamari; audeat ſcienter extraneis publicare. Si quis autem ex deliberatione contra fecerit, tanquam excommunicatus, & ſchiſmaticus, & deſtructor noſtri Ordinis habeatur: & (quouſque ſatisfecerit) a communione omniũ ſit penitus alienus; & pœnæ grauiori culpę debitæ ſubiacebit. Eadem diſtrictione præcipimus, *k* nequis verbo, vel facto ad diuiſionem noſtri Ordinis audeat laborare: quod ſi fecerit, pœnæ ſubiaceat ſupradictæ.

i Vel ſecretum Capituli.) Declaramus, quod ſecreta Capitulorum Generalium, & Prouincialium reuelare, nos intelligimus perſonis extraneis: ex quorum reuelatione Ordo noſter, vel per

perſonæ Ordinis lædi poſſent, vel infamari.

Vnde in Capitulo Bononienſi 1235. admonit.4. & Placentino 1310. admonit. 9. & apud Carcaſſonam 1312. ordinat.8. ſic fuit ordinatum: Cùm ex revelatione criminum viſorum, vel auditorum, indebita, & incauta ſequatur Fratrum infamie, contra ordinem charitatis, & nihilominus de tali reuelatione multiplex ſcandali, & turbationis materia miniſtretur: volumus, ac diſtrictè iniungimus; ut quicumque viſum, vel auditum de Ordine, vel de Fratribus Ordinis, exprimendo Fratris perſonam, vel nomen, ſcienter & ex propoſito cuicumque perſonæ alias neſcienti reuelauerit, ad quam prædictorum correptio non pertinet, vel quæ non creditur probabiliter in illo caſu poſſe prodeſſe; per Priorem Provincialem, vel eius Vicarium, vel per Provinciale Capitulum (poſtquam legitime conſtiterit) pœna criminoſo debita de Deffinitorum conſilio puniatur, ſi tamen alias de talibus ſit notatus.

k Ne quis verbo, vel facto, ad diviſionem noſtri Ordinis audeat laborare.) Declaramus, quod ille dicitur ad diviſionem Ordinis laborare, qui verbo, vel facto per perſonas extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutas, mutationem quærit generalis ſtatus noſtri Ordinis; & Conventus ab Obedientia Magiſtri Ordinis ſubtrahere: cum vnitas Ordinis ex vnitate vnius profeſſionis dependeat; qua ex ſolemni voto tenentur omnes Fratres vni Generali Magiſtro in his; quæ ſecundum Regulam, & Conſtitutiones ſunt obedire. Quapropter in Capitulo apud Ferrariam 1290. dicitur: Volumus, ordinamus, ac mandamus, ne quis verbo, vel facto ad diviſionem Ordinis noſtri audeat laborare, vel ad abſolutionem cuiuſcumque Prælati, vel etiam mutationes generalis ſtatus noſtri Ordinis, verbo, vel ſcripto, vel quocumque alio modo directe, vel indirecte, mediate, vel immediate per perſonas extra eiuſdem Ordinis obedientiam conſtitutas præſumat procurare. Quicumque vero ſcienter contra hoc fecerit, ipſum ex nunc prout ex tunc omni voce, præterquam in ſui accuſatione; omni gradu, Prælatura, Doctoratu, alijſque omnibus gratijs Ordinis privamus: nec ei poſſint reſtitui, niſi a Magiſtro Ordinis, vel Deffinitoribus Capituli Generalis; & nihilominus pęnam ſubeat culpæ debitam graviori.

Item declaramus, quod Provin-

uinciæ, vel Conuentus, Prioribus Prouincialibus, vel Conuentualibus ſatiſfacere teneantur, pro impenſis factis cauſa impugnandi appellationes malignorumque turbationes, & reſecandis ſeditionibus, & ſcandalis peruerſorum Fratrum, propter Ordinis tuitionem, & iuſtitiam, & famam defendendam: ſicut fuit declaratum Toloſæ 1372. Item Romæ 1383. ordinat. 5. ſic dicitur: Ordinamus de communi totius Ordinis conſenſu: & prohibemus, quod nullus procuret Ordinis diviſionem, ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ, ac aliјs pęnis gravioris culpæ: a quibus non poſſit abſolvi, niſi a Magiſtro Ordinis. Mandamus quoque ſub eadem pęna, quod nullus procuret inſtitutionem Vicarij Generalis Indiarum. Quam ordinationem valere volumus, quaſi haberet tria Capitula. Quod idem Romæ 1589. confirmat. 7. Venetijs 1592. con firmat. 3. & iterum Romæ 1601. & Pariſijs 1611. his verbis confirmatur: confirmamur ordinationem, in quamplurimis Capitulis Generalibus repetitam, quod nullus ſub pęnis in Capitulo *de Graviori culpa* contentis, ac etiam ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ, ac vna pro trina Canonica monitione præmiſſa, (cuius abſolutio Magiſtro Ordinis reſervatur) directe, vel indirecte diviſionem Ordinis, aut inſtitutionem Vicarij Generalis Indiarum, quovis prætextu audeat, vel præſumat procurare. Quam ordinationem ſub eiſdem pœnis volumus obſervari.

X.

STatuimus; vt ſi in anno Deffinitionis Priorum Provincialium, electio Magiſtri celebretur, illo anno *l* vnus de Fratribus Electoribus de qualibet Provincia, qui in Provinciali Capitulo ad hoc electus fuerit, ad deffinitionem cum eis pariter admittatur. Quod ſi ad Capitulum non venerit, tunc ad deffinitionem Elector alius admittatur. Si vero in anno Deffinitorum Priores Provinciales conveniant, vtrorumque deffinitio ſit communis.

Sta-

XI.

STatuimus autem, & in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione anathematis prohibemus diſtrictè; ne Priores Prouinciales Fratribus, vel Deffinitoribus, vel Fratres Deffinitores Prioribus Prouincialibus, per ſuas Deffinitiones, *m* præiudicium aliquod audeant generare. Quod ſi facere attentauerint, eadem diſtrictione prohibemus, ne in hoc aliquis præſumat eis obedire. Priori vero Prouinciali eunti ad Capitulum Generale, detur Socius à Deffinitoribus Capit. Prouincialis (Romæ 1558.) Qui (ſi Priorem Prouincialē impediri contigerit, quòd ad Capitulum Generale in anno Prouincialium non accedat) loco ipſius cum Prioribus Prouincialibus admittatur ad omnia tractanda, & deffinienda.

XII.

STatuimus inſuper, quòd omnes Priores Conuentuales cum Sociis ſuis, & Prædicatores Generales illius Prouinciæ, in qua Generale Capitulum celebratur, illo anno veniant ad Capitulū Generale: nec eodem anno in illa Prouincia ad celebrandum aliud Capitulū Prouinciale teneantur; & quòd idem faciant Prouinciæ propinquæ. *n* Licentiandi, & mandandi Magiſter Ordinis liberam habeat facultatem.

l Vnus de Fratribus Electoribus.) Declaramus, quòd quando electio Magiſtri Ordinis in anno Prouincialium celebranda eſt, tunc vnus ex duobus Electoribus, qui in Prouinciali Capitulo ad hoc electus fuerit, in deffinitionem vna cum eis debet admitti. In anno vero Deffinitorum, Priores Prouinciales cum eis deffinient; & quilibet Deffinitor, cum alio Electore ad electionem Magiſtri Ordinis pariter admittetur. Et intelliguntur

prædicta, quando mors, vel amotio Magiſtri Ordinis nunciata fuerit ante Prouincialis Capituli celebrationem: quia ſi poſt Capitulum Prouinciale nunciata fuiſſet, tunc, & in eo caſu. in anno Deffinitorum, Generalis Capituli Deffinitor, & eius Socius ad electionem Magiſtri Ordinis erunt admittendi. In Anno vero Prouincialium, duo ex Deffinitoribus Prouincialis Capituli immediate præcedentis, antiquiores in Ordine, ad electionem eiuſdem Magiſtri admittentur; quorum antiquior in Ordine erit illo anno Generalis Capituli deffinitor.

m Præiudicium aliquod audeant generare.) Declaramus, quod tunc ſolum Definitores Prioribus Prouincialibus, & Priores Prouinciales Deffinitoribus per ſuas deffinitiones præiudicium generarent: ſi in ſuis deffinitionibus ſtatuerent aliquid, per quod Prouincialium authoritas, vel tolleretur, vel minueretur, vel etiam limitaretur, & e contrario. Hoc autem fieri non poteſt, nec per tria Capitula, nec per vnum Generaliſſimum; ſed ſolum authoritate Papæ. Non autem præiudicium aliquod generatur, ſi quod ordinatum, vel ſtatutum in vno, vel pluribus Capitulis per Priores Prouinciales, poſtea in alio, vel alijs Capitulis per Diffinitores ex cauſa rationabili reuocetur: & è contrario, ſicut quotidie fieri conſueuit.

n Licentiandi, & mandandi Magiſter Ordinis liberam habeat facultatem.) Declaramus, quod illo Anno, quo Generale Capitulum in aliqua Prouincia celebratur, debent vocales illius Prouinciæ ad Generale Capitulum venire, & ibi ſuum Prouinciale Capitulum celebrare. Atque idem facere debent propinquæ Prouinciæ, quæ illo eodem anno aliud celebrare Capitulum non tenentur. Magiſter tamen Ordinis liberam habebit poteſtatem mandandi eiſdem Prouinciis, vt ad Capitulum accedant: & etiam concedendi, vt poſſint ad idem Capitulum non venire, atque alibi ſuum Prouinciale Capitulum celebrare.

CAP. IX.

CAP. IX.

De ſolemni celebratione Capituli.

I.

a CApitulum Generale (quantùm ad authoritatem Deffinitorum) incipiat celebrari in Vigilia Pentecoſtes. Cùm autem in ſecunda Feria poſt Pentecoſtem, vel in ipſo eodem Feſto, Fratres in Capitulum venerint; primo omnium deuotè inuocetur Spiritus Sanctus, à quo filij Dei aguntur: & dicatur. ℣. Emitte ſpiritum tuum, &c. cum Collecta de Spiritu Sancto. Deindè reſidentibus Fratribus, & loca ſua tenentibus omnibus (vt verbo Dei cæli firmentur) Verbum Dei in communi fiat. Sermoni autem intereſſe poterunt, qui ad ædificationem intereſſe voluerint.

II.

FInito ſermone, quia indigentibus quantocyùs ſubueniendum eſt, obitus Fratrum poſt præcedens Capitulum Defunctorum in communi recitentur, & fiat eis communis abſolutio: & dicatur pro eis Pſalmus De profundis, & Kyrie eleiſon. Pater noſter. Cum ℣. A porta inferi, &c. cum Oratione Abſolue &c. Poſtmodum, ſi litteræ legendæ ſunt legantur; & eis ſuo tempore cum conſilio reſpondeatur. Perlectis autem litteris, & facta recommendatione Virorum, dicatur Pſalmus; Ad te leuaui &c. Kyrie eleiſon. Pater noſter cum ℣. Saluos fac ſeruos &c. cum Oratione, Prætende &c. & tunc omnes, qui non ſunt de Capitulo, egrediantur. Quibus egreſſis, qui miſſi ſunt ad excuſandum eos, qui non

adſunt, ad quid venerint loquantur; deindè culpæ audiantur.

III.

b SI qui verò ſine licentia ad Capitulum Generale, vel Prouinciale venerint, primo culpæ eorum audiantur, & recepta pœnitentia à Capitulo excludantur. Vt autem modus in eundo ſeruetur, nullus exeat ſine licentia, & neceſſitate. Egreſſus autem non diſcurrat; ſed expleta neceſſitate, citiùs reuertatur. Qui autem in præſenti anno viſitare debuerant, & non ſicut oportuit fecerunt; culpam ſuam dicant, & dignæ vindictæ ſubiaceant. Tunc etiam abſentibus, qui adeſſe debuerant, & his qui peccauerunt, & non ſatisfecerunt; pœnitentia ſcripta mittatur.

a Capitulum Generale.) Declaramus, quod licet Generale Capitulum quantùm ad authoritatem Deffinitorum incipiat in Vigilia Pentecoſtes celebrari, tamen quoad ſolemnitatem celebrationis Feria ſecunda poſt Feſtum Pentecoſtes habeat initium: quia tunc Capitulum dicitur habere Magiſtrum antiquum, vel nouum, præſentem, vel abſentem ne acephalum iudicetur. Tunc etiam Fratres locum intrent Capituli, & Spiritus Sancti gratia inuocetur: & tunc oretur pro viuis, & defunctis, & verbum Dei per vnius ſermonem omnibus explicetur.

b Si qui vero ſine licentia ad Capitulum Generale &c.) Declaramus, quod Fratres ſine ſpeciali licentia Magiſtri Ordinis, vel Prioris Prouincialis Capitulum Generale, vel Prouinciale adire non poſſunt. Et ſolus Magiſter, & Prouincialis eius Prouinciæ in qua Generale Capitulum celebraretur, licentiam ad idem Capitulum veniendi poſſunt concedere; videlicet Fratribus ſuæ Prouinciæ. Qui autem venerint ſine licentia, grauiter puniri debent: ſicut fuit declaratum apud Treuerim 1289. ordinat. 2. & apud Toloſam 1304. & 1504. ordinat. vltima.

Con-

I V.

CONuentus autem, qui mittit accuſationes ad Capitulum Generale, vel Prouinciale, *c* ſcribat numerum, & nomina accuſantium; & ſi accuſant de viſu; vel auditu. *d* Accuſatio autem vnius tantum ad Capitulum Generale, vel Prouinciale non mittatur: & tractatus eorum, quæ mittenda ſunt ad Capitulum, ultra vnam diem non prolongetur. Qui autem habent facere proprias quęſtiones, vel communes ad Ordinem, vel prædicationem pertinentes; proponant Fratribus a Magiſtro, & Deffinitoribus ad hoc ſtatutis, ut pro loco, & tempore ſoluantur, & terminentur.

c Scribat numerum, & nomina accuſantium.) Declaramus, quod illi, qui accuſationes mittunt ad Generale, vel Prouinciale Capitulum, debent modum exprimere, quo ſciunt crimen illud fuiſſe commiſſum; vtrum ſcilicet ex viſu, vel ex auditu. Et ſi ex auditu, vtrum per aliquem qui illud viderit, ſciant: ſicut fuit ordinatum Lugduni 1274. Et nullus debet aliquem accuſare de re criminoſa, quam audivit, niſi probare poſſit: non ſolum ſe illam audiviſſe, ſed etiam veram eſſe; ſicut fuit ordinatum Toloſæ 1258.

Item declaramus, quod quando contra Fratrem habentur ſecularium teſtimonia, talis Frater arctari poteſt ad dicendam veritatem, & ad quæſtiones poni potiſſimum quando ipſe laborat infamia, non tamen poteſt per ſententiam condemnari, niſi convictus, aut iudicialiter confeſſus ſit, ſicut fuit declaratum Toloſæ 1304. Similiter ſi accuſatur a pluribus non conteſtibus, ab vno quidem de vno actu, ab alio vero de alio actu eiuſdem ſpeciei; talis non eſt convictus, neque ſententialiter condemnari poteſt, ſed bene ad quæſtiones poni, ſicut fuit declaratum Perpiniani 1327. & Ferrariæ 1362.

d Accuſatio autem vnius tantum &c.) Declaramus, quod ideo accuſatio vnius non videtur eſſe mittenda ad Capitulum Generale, quia

quia ea adeo nulla cenſetur eſſe vt ex ea ſola ad ſententiam aliquam procedi non poſſit: niſi præter accuſatorem, vel proponentem, duo ſaltem idonei teſtes ſcilicet conteſtes advocentur, ſicut fuit declaratum Biſuntij 1353.

Item declaramus, quod ſi quis Frater de aliquo occulto crimine accuſetur, quod iuridice probari non poteſt, vel quod neſcitur, niſi ab accuſato, & accuſatore, non propterea Prælatus accuſato præcipere poterit, vt coram accuſante, vel coram alijs, ſiue in Capitulo, ſive extra Capitulum, vel ſeorſim ſibi ſoli dicat veritatem: & ſi pæcipiat, graviter peccat, quia ſibi eam, quam non habet authoritatem vſurpat, non enim eſt iudex occultorum; quia occulta Divino iudicio relinquuntur; manifeſta autem, humano. Et in tali caſu accuſatus non tenetur dicere veritatem, nec ſeipſum infamare, nec prodere. Si tamen præter accuſantem infamia contra accuſatum vrgeret, poſſet Prælatus ei præcipere, & illum ad quæſtionem ponere; atque ipſe tenetur veritatem dicere, de eo tamen ſolo crimine, cuius ipſe laborat infamia.

Item declaramus, quod ſi accuſator deficit a probatione, illius criminis, de quo aliquem accuſavit; eadem pœna puniri debet, qua puniendus fuiſſet accuſatus ab accuſatore convictus, ſicut fuit ordinatum Valliſoleti 1605. confirmat. 34. prout iam ſuperius pag. 139. dictum eſt.

Item declaramus, quod ſi aliqua ſint alicui commiſſa ſub ſecreto, ex quorum retentione imminet periculum ſcandali, vel ruinæ, vel grave præiudicium alicuius, vel magnum damnum communitatis, cui poteſt obviari per revelationem ſecreti, Prælato præcipienti in genere: tenetur ſubditus tale ſecretum revelare; quia ſicut iuramentum non eſt vinculum iniquitatis; ſic ſecretum commiſſum, vel promiſſum, non debet eſſe vinculum, aut velamen ſcandali, ruinæ, & maximi damni proximi, vel communitatis. Non tamen tenetur de illo crimine ſibi ſub ſecreto commiſſo illum accuſare, niſi poſſit hoc ſufficienter probare, quod pertinet ad officium accuſatoris: quia nullus tenetur ad id, quod nequit perficere. Negotium autem accuſationis non perficitur, niſi accuſatus legitime puniatur. Non autem punitur legitime, niſi in iudicio fuerit legitima probatione convictus, vel confeſſus. Si autem ex obſervatione ſecreti non imminet ſcandalum, vel periculum aliquod

præ-

prædictorum ; niſi præceſſerit infamia, non poteſt Prælatus præcipere, nec ſubditus tenetur tale ſecretum Prælato præcipienti revelare. Vnde in Capitulo Generali Pariſijs 1279. ordinat.5. ſic fuit ordinatum : Quia ſic ſub ſecreti pallio plerumque vitia occultantur, & per conſequens correctio enervatur : monemus, & diſtrictè omnibus Fratribus iniungimus, quod nullus eorum ſuſcipiat aliquid ſub ſecreto ; quod ſit impedimentum correctionis, ſeu quod quovis modo vergat in præiudicium, vel periculum Ordinis, ſeu perſonæ particularis.

V.

SI quæ verò diſſenſio inter Fratres noſtri Ordinis (quod abſit) emerſerit de libris, vel de alijs : cum præponenda ſint ſpiritualia temporalibus, non inde agatur in Capitulo ; ſed dicti Fratres extra Capitulum diſcuſſa veritate diſſenſionem dirimant, & inter Fratres pacem reſtituant. De ſolutione autem, & terminatione quæſtionum, de correctione Fratrum, de modo pœnitentiarum, & de Prædicatoribus ad prædicandum, & ſtudendum mittendis Prælatus maior cum alijs qui ad hoc ſtatuti ſunt, tractabunt. *e* Et quidquid inde Spiritu Sancto dictante ordinauerit Capitulum ; vniuerſaliter, vnanimiter, ac deuote ſuſcipiant : nullus murmuret, nullus reclamet, nullus contradicat. In fine fiat communis confeſſio, & abſolutio, & perſeuerantibus benedictio, Et hæc eadem forma in Capitulo Prouinciali ſimiliter obſeruetur.

V I.

f POrro Magiſter Ordinis, aut Priores Prouinciales non mutent Acta Capituli Prouincialis, aut Generalis ; niſi forte in ſpeciali ex cauſa neceſſaria, & vtili. Item Generale ſtatutum Ordinis,

vel conſuetudinem diu obtentam, & communiter approbatam in Ordine, nec Magiſter Ordinis, nec Priores Prouinciales aliquatenus audeant immutare; niſi per tria Capitula fuerit approbatum. Ea vero, quæ de Capitulo Generali dicta ſunt, in Vigilia Pentecoſtes debent inchoari.

V I I.

CApitulum autem Generale vltra Sabbatum infra Octauam Pentecoſtes non prolongetur: niſi ex cauſa rationabili Magiſtro, Definitoribus videatur: quod per vnum diem, vel duos ad plus debeat prolongari. *g* Capitula etiam Prouincialia eodem modo infra taxatum numerum dierum terminentur. Neceſſitate vero vrgente, Magiſter Ordinis, vel eius Viceſgerens, cum aſſenſu Prioris Prouincialis, in cuius Prouincia Capitulum Generale celebrandum fuerit, de conſilio diſcretorum ad alium Conuentum eiuſdem Prouinciæ poſſit illud transferre. Quod ſi in eadem Prouincia commode celebrari non valeat, eodem anno Magiſter Ordinis, vel eius Viceſgerens, ipſo mortuo, vel amoto, dictum Capitulum ad aliam Prouinciam mutare poterit, ſi expediens iudicauerit de Fratrum conſilio Diſcretorum.

e Et quidquid inde, Spiritu Sancto dictante ordinauerit Capitulum; vniuerſaliter, vnanimiter, & deuote ſuſcipiant.)

Declaramus, quod in Capitulo Romano 1589. declarat. 12. ſic fuit ordinatum: Conformiter ad ea quæ in pluribus Capitulis Generalibus ſancita fuerunt, non eſſe in poteſtate alicuius Provinciæ prætextu cuiuſuis privilegij, aut conſuetudinis, Generalium Capitulorum ſtatuta, val acta non acceptare: ſed Provincias omnes, & ſingulas, decretis, & ordinatis factis in eiuſdem Capitulis, ita eſſe ſubiectas; vt vna-

vnaquæque illarum eadem acta in Conventibus ſingulis publicare, acceptare atque inviolabiliter obſervare teneatur, vtpote quæ pro communi Fratrum, Conventuum, Provinciarumque bono facta ſunt. Et quatenus opus eſſet, authoritate Apoſtolica conſuetudinem quamcunque aut privilegium quomodolibet prætenſum, aut in contrarium exiſtens revocamus, & annullamus: & hoc confirmatum fuit in ſubſequentibus Capitulis, Pariſijs 1611. admonit. 2. Vlyſſiponæ 1618. admonit. vltima, & Mediolani 1622. admonit. 5.

f Porro Magiſter, aut Priores Prouinciales non mutent Acta Capituli.) Declaramus, quod Magiſter Ordinis quamprimum electus fuerit, ſtatim plene, & libere curam gerit animarum Fratrum totius Ordinis; eoſque propria authoritate ligare, & abſolvere poteſt: nec non in ipſo Ordine ea agere valet, quæ ipſe, & Definitores Generalis Capituli juxta Ordinis Conſtitutiones, & ſecundum Deum Fratribus, & Religioni viderint expedire; ac Fratres omnes in ijs, quæ ſecundum Regulam, & Conſtitutiones ſunt, tenentur ei devote, atque humiliter obedire, ſicut habetur in *Mari magno*. Et quamvis ordinationes, atque Acta Capitulorum non debeat mutare, illa tamen quoad aliqua in particulari ex vtili, vel neceſſaria cauſa limitare vel tollere poteſt. Similiter quamvis Generale ſtatutum Ordinis, vel conſuetudinem diù retentam, & communiter in Ordine approbatam, non poſſit auferre; poteſt tamen ex rationabili, vtili, vel neceſſaria cauſa in prædictis omnibus diſpenſare.

Item ex commiſſione, quæ a Definitorio Provincialis Capituli conceditur Priori Provinciali, vt poſſit facere omnia, quæ poſſet, & ipſum Definitorium; Prior Provincialis non poteſt Fratrem aliquem abſolvere a pœnis gravioris culpæ, & ab alijs pœnis, quæ alias Provinciali ex vi Conſtitutionum non conceduntur; ſicut fuit declaratum in Capitulo Romano 1518. declarat. 3.

g Capitula etiam Prouincialia eodem modo infra taxatum mumerum dierum terminentur.) Declaramus iuxta Bononienſis Capituli 1564. declarationem, quod Definitores Capituli Provincialis ſuam authoritatem vltra duos alios dies prorogare non poſſunt: ac propterea a die electionis eorum, vſque ad diem quo eorundem expirat authoritas, nunquam ſint

niſi

niſi decem dies; cum in Conſtitutionibus noſtris hic dierum numerus Generalis Capituli Definitoribus aſſignetur, & habeatur ibidem, quod Capitula Provincialia infra prætaxatum dierum numerum terminentur.

CAP. X.

De Capitulo Generaliſſimo.

I.

CApitulum Generaliſſimum non conuocetur niſi quando maior pars Prouinciarum petierit; vel Magiſtro cum media parte Prouinciarum viſum fuerit expedire. Prouinciæ vero, quæ petunt, ſcribant cauſas, quare petunt. De his tamen Capitulum Generale non habebit iudicare, vtrum ſufficientes ſint, vel non; ſed tamen ſcribantur, vt Fratres de his ante Capitulum conferre valeant. Priores autem Prouinciales ſinguli cum duobus Socijs à Capitulo ſuo Prouinciali electis à pluribus medietate omnium eligentium, tale Capitulum celebrabunt. Duobus autem annis ante pronuncietur, niſi vrgens fuerit neceſſitas.

II.

a ANno ab Incarnatione Dñi 1228. conuenerunt Pariſijs in Domo Sancti Iacobi, Priores Prouinciales, vna cum Venerabili Patre Fratre Iordano bonæ memoriæ Magiſtro Ordinis noſtri ſinguli cum duobus Definitoribus a Capitulis Prouincialibus deputatis: in quos Fratres omnes vota ſua vnanimiter tranſtulerunt; eiſdem poteſtatem plenariam concedentes, vt quidquid ab eis fieret, ſiue in conſtituendo, ſiue in deſtituendo, mutando, addendo, vel minuendo, de cætero firmum, ac ſtabile permaneret: nec liceret ali-

alicui quantæcunque authoritatis, aliquid eorum immutare, quæ ipſi ſtatuerunt perpetuis temporibus permanſura.

III.

PRiores igitur præfati cum ſuis Deffinitoribus, gratia Spiritus Sancti invocata, quaſdam Conſtitutiones ad vtilitatem, & honeſtatem, & conſeruationem Ordinis, (præmiſſa diligenti examinatione) vnanimiter, & concorditer ediderunt; quas in ſuis locis inter Conſtitutiones alias inſerere procurarunt. *b* Inter alias autem, quaſdam voluerunt inuiolabiliter, & immutabiliter in perpetuum obſeruari: videlicet de poſſeſſionibus, & reditibus nullatenus habendis, vel recipiendis, de appellationibus remouendis; & quod non poſſit per Fratres Definitores Prioribus Prouincialibus, neque per Priores Prouinciales Fratribus Definitoribus, in ſuis Definitoribus in aliquo præiudicium generari.

IV.

QVaſdam vero voluerunt ſic immobiles permanere, vt nonniſi à Conſimilibus Capitulis, nouis emergentibus articulis, caſibus, vel negotijs, de ipſis poſſit aliquid pro tempore immutari: videlicet de Conſtitutionibus non faciendis, niſi per tria Capitula Generalia continua fuerint approbatæ: de non equitando, de expenſis non portandis, de carnibus (niſi cauſa infirmitatis) non comedendis; ita tamen vt in his pro loco, & tempore Prælato liceat diſpenſare.

a Anno ab Incarnatione Domini 1228.) Declaramus, poſt hoc Generaliſſimum Capitulum, de quo hæc

hæc Conſtitutio ſermonem habet, aliud Capitulum Generaliſſimum Pariſijs itidem ſub eodem Reverendiſſimo Magiſtro Iordano Anno Domini 1236. fuiſſe celebratum, de quo ſupra mentio facta eſt. Nullum autem aliud Generaliſſimum Capitulum vſque ad hæc tempora celebratum fuit etiam ſi bis, tempore videlicet Magiſtri Vincentij Bandelli, & demum tempore Magiſtri Sixti Fabri Lucenſis, necnon tertio, tempore Magiſtri Nicolai Rodulphij indictum fuerit; neutrum tamen celebratum fuit, ſed vtrumque factum eſt Generale Capitulum: & in vnoquoque duobus electis Definitoribus pro Generaliſſimo Capitulo antiquior poſt longam diſcuſſionem, fuit ad definiendum admiſſus.

b Inter alias autem quaſdam voluerunt inviolabiliter, & immutabiliter in perpetuum obſeruari: videlicet de poſſeſſionibus, & reditibus nullatenus recipiendis.) Declaramus, quod propter iſtam Conſtitutionem multa dicta, & ſcripta ſunt, a quam plurimis viris doctis, & pijs, de quibus mentio ſupra facta eſt. At in primis in Trident. Concilio omnis ſcrupulus removetur, dum in Seſſione 25. titulo de Regularibus capit. 3. *Sancta Synodus concedit omnibus Monaſterijs, & Domibus tam virorum quam mulierum, etiam Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum Sancti Franciſci Capucinorum, & eorum qui Minores de Obſervantia vocantur, etiam quibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum; vt deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat. Quod ſi aliqua loca ex prædictis quibus authoritate Apoſtolica ſimilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint: eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit.* De quo ſupra in hac 2. diſtinctione dictum eſt pag.165. colum.1.

CAP. XI.

De Viſitatoribus.

I.

a STatuimus, vt quatuor Fratres ad viſitandam Prouinciam in Capitulo Provinciali, a Priore Provinciali, & Definitoribus aſſignentur; vel plures, ſecundum quod Ca-

Capitulo Prouinciali videbitur expedire. *b* Qui exceſſus Priorum Conuentualium, & Fratrum audiant, & emendent, abſque conſtitutione, & immutatione ſtatus Domus. Loca verò ſua vbique tenebunt, niſi in Capitulo, dum ab eis officium ſuæ correptionis exercetur: *c* quod in tribus diebus continuis terminetur. Si quæ autem grauia, & periculoſa inuenerint emerſiſſe, à tempore Viſitationis vltimò factæ per Viſitatorem præcedentem, licet correcta fuerint, nihilominus cum teſtimonio maioris partis Capituli ſtudeant denunciare Magiſtrò, & Definitoribus Capituli Generali, vel Priori Prouinciali, & Definitoribus Capituli Prouincialis, ſi ibi Generale Capitulum non fuerit celebrandum.

II.

Viſitatores præſentes verbo, abſentes ſcripto, referre debent Definitoribus Prouincialis Capituli, vel Generalis (cùm in ſua Prouincia celebratur) de his quos viſitauerint Fratribus: ſi in pace continui, in ſtudio aſſidui; in prædicatione feruentes; quæ de eis fama, quis fructus, ſi in victu, & veſtitu, & alijs ſecundùm tenorem inſtitutionum Ordo ſeruetur. Priores autem, ſiue Lectores, & Suppriores, in Viſitatores nullatenùs eliganturQuòd ſi quis Viſitator antequam viſitet, vel in ipſa viſitatione in Priorem fuerit electus, & confirmatus, vel mortuus, vel aliàs impeditus, prouideat Prior Prouincialis de alio Fratre qui viſitet loco eius.

a Statuimus, vt quatuor Fratres &c.) Declaramus, quòd Conſtitutio hæc

Bo-

Bononiæ fuit edita 1244. ſed poſtea Bononiæ pariter 1275. facta fuit alia Conſtitutio, quæ *ſupra de electione Prioris Prouincialis* habetur: quod videlicet Prior Prouincialis totam ſuam Prouinciam per ſe ſi poterit; vel per idoneos Vicarios teneatur quotannis viſitare &c. Ex qua Conſtitutione patet, Priorem Prouincialem poſſe per ſe, ſine Definitoribus conſtituere Viſitatores, eiſque committere authoritatem ſuam, iuxta quod iudicauerit expedire.

Item declaramus, quod Viſitatores inſtituendi, non debent eſſe iuuenes, ſed antiqui in Ordine, graues, & maturi, qui moribus, & vita probati ſint. Qui in ſuis viſitationibus de iuuenum, ac ſtudentium profectu, quomodo in moribus, & ſcientia ſe gerant, & an Fratres caſte, & ſine proprio viuant, & ſilentium, ieiunia, abſtinentiam a carnibus & alia regularia inſtituta obſeruent, debent quam diligentiſſime inquirere: & omnia Priori Prouinciali, vel Definitoribus Prouincialis Capituli, fidelitèr exponere; ſicut in pluribus Capitulis Generalibus fuit ordinatum.

Item declaramus in Capitulo Lugdunenſi 1536. ordinat. 1. ſic fuiſſe ordinatum: Quoniam per negligentiam Viſitatorum maxime declinat Regularitas, & reformatio retardatur; ordinantes præcipimus ſub pœna abſolutionis ab officijs, omnibus RR. Prouincialibus noſtri Ordinis; quatenus ſemel in anno infallibiliter per ſe ipſos, vel per alios idoneos Patres experientia, & zelo Religionis præditos, viſitent omnes Conuentus, & loca ſuarum Prouinciarum: & quantum poſſunt obſeruantiam noſtrarum Conſtitutionum inducant. Præſertim vero infraſcripta, in quibus, (vt vidimus,) valde Religio infirmatur, volumus toto conatu inuiolabiliter, & penitus obſeruari.

In primis, vt dicti Viſitatores ſtudeant diligenter reparationi Diuini cultus, debitæ clauſuræ, & communitati Conuentus; pœnis etiam, & præceptis adhibitis. Diligenter etiam curent vt vniformitas veſtimentorum, celebrationis Miſſarum, Diuinorumque officiorum, & cunctarum Ordinis cæremoniarum vbique teneatur. Item facient, vt cura non deſit infirmis, quemadmodum habetur ſupra, *capite de Infirmis*.

Item inhibeant vagationes inutiles; Et Rom. 1571. ordinat. 13. ſic dicitur: Ordinamus, & præcipimus omnibus Prouincialibus, & Vicarijs Generalibus Congregationum, & Vica-

Vicariatuum; vt infra quadriennium teneantur Provinciales quadriennales ſuas Provincias, ſeu Congregationes, vel Vicarias, & ſingulos ſuos Conuentus, ſaltem bis per ſeipſos, niſi legitimum impedimentum habuerint, viſitare. Quodnam tamen impedimentum ſit legitimum, à diſcretis Prouincialibus iudicandum eſt. Si autem eorum officium fuerit biennale, ſaltem ſemel Prouinciam, vel Congregationem per ſeipſos viſitare teneantur. Quod fuit confirmatum Barcinonæ 1574. confirm. 26. & in vtroque Capitulo nuper relato. Ac Romæ 1571. & 1580. ordinatum, & ſtricte præceptum eſt omnibus Prælatis, & Viſitatoribus Ordinis noſtri: ne vel pecuniam, vel prætioſa munera à Fratribus, vel Sororibus accipiant; maxime vero ab ijs, qui aut gratiam, aut iuſtitiam ab eis expectant, ſed obſeruetur ab illis conſtitutio Clementis VIII. *de largitione munerum*. Contra hoc autem facientes authoritate Ordinis priuamus eos largitis muneribus, quæ Divino cultui (quæcunque fuerint) harum ſerie applicamus. Declarantes tales Prælatos in crimen proprietatis incurriſſe, & pœnis à Sacro Tridentino Concilio, & a noſtris Conſtitutionibus ſtatutis ſubiectos eſſe; præter alias pœnas quæ in Conſtitutione Clementis VIII. continentur.

Item declaramus, quòd Viſitatores, & multo magis Prouinciales, in viſitatione admonere debent, & operam dare, vt ordinatio facta in Capitulo Bononienſi 1564. executioni mandetur; videlicet, quod cæremoniæ omnes, quæ ad Divinum miniſterium, atque ad alia diuina officia in noſtris Ordinarijs notatæ ſunt, prorſus obſeruentur; & quod earum executioni iuvenes incumbant, ita vt eas optime addiſcant. Et quoniam ex Rubricis noſtris maxima dubia oriri ſolent, curet Reuerendiſſimus Generalis, vt a tribus ab ipſo deſignandis, omnia explicentur, quo in ſacro illo Altaris miniſterio maxime vniformitas inter Fratres noſtros vbique appareat. Sacrarum quoque veſtium, & corporalium, quoad fieri poteſt, eadem ſit forma, & ea mundities, quæ tantum decet ſacrificium. Et præſertim in Capitulo Ianuenſi 1513. & Neapolitano 1515. ordinat. 6. mandatum fuit vniuerſis Fratribus, vt exhibeant reverentiam debitam in Miſſis, Sacramento ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti: vt ſcilicet ante oris abſterſionem, digitorumq; ablutionem, ſumant ablutionem calicis, faciendam cum vino, & poſtea digitos abluant &c.

At-

Atque vt hoc omnino obſeruetur, Prælati id publicent, & contrafacientes a Viſitatoribus grauiter puniantur.

b Qui exceſſus Priorum Conuentualium, & Fratrum audiant, & emendent.) Declaramus, quòd Viſitatores in ſua viſitatione poſſunt omnes Fratres ad ſuam viſitationem pertinentes ligare præcepto, & in eos ferre excommunicationis ſententiam, quando præcepto non poſſunt veritatem extorquere; ſicut fuit declaratum Perpiniani 1327.

Item declaramus, quòd omnes Fratres ſuis Prælatis, & Viſitatoribus præcipientibus, tenentur etiam ſecreta ſibi commiſſa quæ in periculum communitatis, vel aliarum perſonarum vergunt, reuelare. Quapropter in iuramento fidelitatis continetur, quod ſerui debeant huiuſmodi ſecreta Dominis reuelare. Prælati ergo præcepto Religioſus obſtringatur ad pandendum tale ſecretum, etiam ſi promiſiſſet ſe non reuelaturum, dicentibus Auguſtino, & Iſidoro: *In male promiſſis reſcinde fidem*. Quare in Capitulo apud Montem Peſulanum 1283. ordinat, 4. ſic dicitur: Seueriſſime inhibemus Fratribus noſtris, aliquid ſub ſecreto recipere, quod vel correptionem impediat, aut vergat in præiudicium, vel periculum Ordinis, vel quarumcunque perſonarum. Quod ſi quis tale ſecretum receperit, teneatur illud ſuo Prælato, ipſo requirente, fideliter reuelare. Et hoc etiam ordinatum fuit Pariſiis 1279. ordinat 5. Si autem ſecretum illud in confeſſione Sacramentali audiuiſſet, non tenetur, immo nec poteſt ex Præcepto Prælati illud vllo modo revelare. Quare in Capitulo Mediolanenſi 1278. ordinat. 10. ſic dicitur. Strictiſſime prohibemus, ne Fratres ſecreta in confeſſione Sacramentali accepta, directe, vel indirecte, nutu, vel ſigno, vel quovis alio modo alijs revelent. Hæc ibi. Si vero ſecretum eis commiſſum non vergat in præjudicium communitatis, aut alterius perſonæ, & tale ſit quod abſque peccato celari poſſit; nullo modo tenentur, nec debent Prælato percipienti, illud reuelare: ſi enim reuelarent, peccarent frangendo fidem, nam lege naturæ, & promiſſione in Baptiſmo facta obligantur ad ſeruandum ea, quæ ſunt fidei, & charitatis; qualia ſunt illa, quæ & nulli nocent, & ſub ſecreto fidei committuntur.

Item declaramus, quod ſi Viſitatores, vel Prælati præcipiant Fratribus, vt quæcumque cri-

crimina à Fratribus commiſſa revelent, & crimen illud ſit omninò occultum, & nullo modo ad multorum notitiam pervenerit, ac tale ſit, vt nulli noceat niſi committenti; ille qui tale peccatum occultum ſcit, ad hoc ſolum mentem debet intendere, vt peccantis Fratris ſaluti proſpiciat, ſervato ordine correctionis fraternæ: vt ſcilicet prius eum ſecreto corripiat inter ſe, & ipſum ſolum, poſtea adhibeat duos, vel tres Fratres & tandem ſi ſe non correxerit, dicat Eccleſiæ, id eſt Prælato. Et tale crimen occultum ante correctionem fraternam, non tenetur ſubditus Prælato præcipienti revelare, quia potiùs Deo, quam hominibus obedire oportet. Ille tamen qui ſcit tale crimen, ſi firmiter credit, quod ille correptus non ſe emendet, immò ex adverſo in ipſum indignetur, & præterea exiſtimet correctionem illius multo facilius eſſe futuram ex admonitione Prælati, qui pius, diſcretus, & ſpiritualis ſit, non habens indignationem, ſeu odium contra illum ſubditum: tunc poſſet etiam non accedente præcepto, crimen illud occultum ei tanquam Patri denunciare: & tunc non dicit Eccleſiæ, quia non dicit ei tanquam Prælato, & Iudici; ſed ſicut perſonæ intendenti ad correctionem, & emendationem proximi, ad quam ſemper debet voluntatem intendere ille, qui denunciat. Secus denunciando peccabit, quia facit contra præceptum Evangelij: Si autem peccatum Fratris, non ita ſit occultum quin aliquibus ſuſpicantibus innoteſcat multis, ex qua notitia multi ſcandalum ſumant; tale quidem peccatum non ſolum nocet committenti illud, ſed etiam multis. Et quoniam multitudinis bonum præfertur bono vnius, debet Prælatus inquirere veritatem, vt vel per pœnam peccantis, vel eius purgationem, & excuſationem, ſcandalum à multitudine auferatur. Et in tali caſu ſubditus, qui ſcit Fratris crimen, tenetur Prælato præcipienti obedire, peccatum illud ei manifeſtando; vt docet Sanctus Thomas quodlibeto primo, articulo 16. & 17.

(Quod in tribus diebus continuis terminetur.)

Declaramus, quod Viſitatores primum debent Priorum, Fratrumque exceſſus audire, atque illa, quæ eis manifeſtantur, ſi alicuius fuerint momenti, in ſcriptis redigere. Nec poteſt eis præfiniri tempus audiendi defectus huiuſmodi, ſed ſatis eſt vt cum diligentia, & ſollicitudines Fratres audiantur ab

eis, vt tempus inaniter non conteratur. Vt autem audierint Fratres, eos ſeorſim, vel in Capitulo debent corrigere, & hoc corrigendi officium poſt tres dies continuos terminare. Ea autem, quæ in ſua viſitatione corrigenda invenerint, debent Magiſtro, Generalis Capituli Definitoribus (ſi anno illo in eorum Provincia celebratur) verbo, vel ſcripto denunciare: ſi vero alibi celebretur Priori Provinciali, & Definitoribus Provincialis Capituli denuntiabunt.

CAP. XII.

De Prædicatoribus.

I.

a PRouideant diligentiſſime Priores, ne committant Prædicationis officium, niſi Fratribus ad hoc idoneis; ac moribus, & ſcientia approbatis: ne eorum inſufficientia, Prædicantium Ordo veniat in contemptum; & vergat in periculum animarum.

Statuimus autem, quod in qualibet Prouincia à Præſidente, & Definitoribus inſtituantur aliqui viri docti, & zelum Religionis habentes; examinatores, & approbatores omnium eorum Prædicatorum, & Confeſſorum, quos non conſtat manifeſte eſſe doctos: ita quod nullus talium (niſi approbatus à duobus eorum in ſcriptis, vel declaratus à Definitoribus in ſcriptis, ſufficiens, & idoneus ad prædicandum, vel confeſſiones extraneorum audiendum,) prædicet populo, etiam in villulis; aut audeat confeſſiones extraneorum ſub pœna carceris: & nihilominus Præſidentes hoc permittentes ab officijs ſuis abſolvantur.

I I.

NVllus aſſumatur ad Prædicationis officium extra clauſtrum, & Fratrum conſortium, infra

fra viginti quinque annos: nec prædicet populo, *b* nec confeſſiones audiat extraneorum ſine licentia Prioris in Capitulo de conſilio Diſcretorum ſibi data. Illi vero, qui apti ſunt, cum in prædicationem exire debuerint, eis Socij dabuntur a Priore, ſecundum quod moribus eorum & honeſtati iudicaverit expedire. Qui accepta benedictione exeuntes, vbique (tanquam viri qui ſuã, & aliorum ſalutem procurare deſiderant) religioſe, & honeſte ſe habeant, ſicut viri Euangelici, ſui ſequentes veſtigia Salvatoris; cum Deo, vel de Deo, ſecum, vel cum proximis vtiliter loquendo, vitabunt ſuſpicioſi comitatus familiaritatem. Placitis, & cauſis (niſi pro fidei negotijs) non interſint.

III.

CVM Fratres noſtri Diœceſim alicuius Epiſcopi ad prædicandum intraverint, primo (ſi poterunt) viſitabunt Epiſcopũ, vt ſecundum conſilium eius in populo faciant fructum, quem facere intendunt. Et quandiu in eius Epiſcopatu fuerint, ipſum devote obedientes erunt. Prædicare vero non audeat aliquis in Diœceſi illius Epiſcopi, qui ne prædicet, interdixerit ex cauſa rationabili: niſi litteras, & mandatum habeat Summi Pontificis. *c* Caueant etiam Fratres noſtri, ne (ponendo os in cælum) in ſuis prædicationibus Religioſos, & Clericos ſcandalizent: Sed ea, quæ in ipſis emendanda viderint, obſecrando, vt patres, emendare procurent. *d* Socius autem datus Prædicatori, ipſi vt Priori ſuo obediat.

a Provideant diligentiſſime Priores.) Declaramus, quod cum prædicationis officium in Eccleſia præcipuum ſit, multiſque privilegijs do-

ta-

tatum, ut habetur in cap. *Ex iniuncto* extra *de Hæreticis* & cap. primo ſecundo, extra. *De Exceſſibus* Prælatorum Prædicator in primis, vt digne prædicet, debet habere ardentem dilectionem, atque in omnibus ſuis ſtudijs, & operibus animarum ſalutem, & ad eam ſuas vires, intendere. Deinde foris debet præſeferre mores Religioſos, vitæque honeſtate, & Chriſtianæ pietatis exemplo populos ædificare. Tandem ſcientia, atque intelligentia ſacrarum ſcripturarum ſatis eruditus eſſe debet, & vtilia potius, quam curioſa docere, ſicut in multis Capitulis ordinatum fuit.

Item declaramus, quod in Capitulo Bononien. 1564. ordinatum fuit, vt in exponendis, & examinandis Prædicatoribus, & Confeſſoribus, magna diligentia adhibeatur: & quod non niſi in matura ætate ad audiendas ſecularium confeſſiones aliquis exponatur; & quod iuvenes non ſacerdotes ad prædicandum etiam in villulis non mittantur. Et Prælati qui contrarium permiſerint, gravius puniantur. Et idem fuit confirmatum Romæ 1566. & 1571. & Barcinonæ 1574. & Romæ 1589. inter alias ordinationes authoritate Apoſtolica confirmatas, vna eſt, in qua ſic decernitur. Ordinamus & ſub formali eodem præcepto, eademque cenſura (videlicet latæ ſententiæ) præcipimus; vt nullus titulo, vel officio Prædicatoris donetur, ſeu Prædicator inſtituatur; niſi ſaltem per completum triennium ſacram Theologiam audiverit: & a quinque deputatis examinatoribus (qui ipſum concionantē audiverint, & nedum de litteris, & moribus, ſed de eiuſdē ad prædicandum aptitudine iudicium facere poſſint) idoneus fuerit iudicatus, & approbatus. Cui ordinationi additum fuit, (quod & confirmatum fuit Romæ 1601. confirmat. 5. & Valliſoleti 1605. confirmat. 3.) vt Prædicatores per vota ſecreta approbentur. Venetijs vero 1592. ordinat. 12. ſtatutum fuit, vt in qualibet Provincia, Congregatione, ſive Vicaria teneantur Præſidentes illarum reſpective, de graviorum earumdem Patrum conſilio infra vnum menſem ab harum Conſtitutionum publicatione, deputaſſe vnum, vel plures Conventus, in quo, vel in quibus, a deſignandis Patribus idoneis erudiantur iuvenes de prædicationis officio: præſertim ij, qui ad tale munus exequendum ſunt aptiores; qui debito tempore ad Dei gloriam, ſalutemque animarum prædicantes, iuſte ſibi nomen Prædicatorum vendicaturi

turi videantur. Et nullus in poſterum Prædicatoris titulo donari poſſit, niſi confecerit curſum Artium, ſacramque Theologiam per triennium audiverit, caſibus conſcientiæ operam dederit, & in modo concionandi in aliquo Conventu ad id conſtituendo, iudicio examinatorum per vota ſecreta ferenda in Generali ſtudio, non parum profecerit; & morum ſit denique religioſorum, vt virum decet Evangelicum. Similiter nullus admittatur ad ſecularium confeſſiones audiendas, niſi pariter a quinque examinatoribus (& vbi tot non ſuppetunt idonei Fratres, ſaltem a tribus) aptus atque idoneus fuerit iudicatus. Præcipientes ipſis, Prædicatorum, ſive Confeſſorum examinatoribus reſpective, ſub eodem formali præcepto, eademque excommunicationis latæ ſententiæ pœna; vt per vota ſecreta ſua dantes ſuffragia, excluſo quolibet particulari affectu, ineptos excludant, & aptos admittant.

b Nec confeſſiones audiat extraneorum.) Declaramus, quod ad confeſſionum audientiam nullus exponi debet, niſi ſit in vita, & moribus, & ſcientia approbatus: maturus, diſcretus, ſecurus, & in caſibus Sedi Apoſtolicæ, & Epiſcopis reſervatis, ac etiam alijs ad ſalutem pertinentibus animarum, ſatis eruditus: ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1235. ordinat. 1. Pariſijs 1236. & ibidem 1239. Nec ſecularium confeſſiones, maxime mulierum, ante trigeſimum annum debent audire; ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1244. & Neapoli 1600. & niſi habeant ſpecialem licentiam ab Epiſcopo, & a ſuo Prælato: ſicut fuit ordinatum Budæ 1254. Nec vllo modo debent implicare ſe negotio caſuum de iure Ordinarijs reſervatorum, vel quos præfati Ordinarij ex rationabili cauſa duxerint eſſe reſervandos; niſi ex eorum beneplacito, & licentia; ſicut fuit ordinatum Viennæ 1282.

Item declaramus felicis memoriæ Gregorium XIII. vivæ vocis oraculo, & etiam de conſilio Congregationis ſuper Concilium Tridentinum declaraſſe, ac ſtatuiſſe; facultate per *Mare magnum*, & per alia privilegia conceſſa, non poſſe Regulares abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis. Et Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium de ſpeciali mandato Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis VIII. iubet omnibus Confeſſarijs, tam ſecularibus, quam Regularibus, quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium, & So-

Societatis Ieſu, ne quis eorum ſub prætextu quorumcumque privilegiorum a Sede Apoſtolica ductorum, quibuſcumque, etiam ſingularibus perſonis, ab vllo ex caſibus dubie, vel clare contentis in Bulla Cœnæ Domini, vel alias Sedi Apoſtolicæ reſervatis, nec etiam a caſibus Ordinarijs reſervatis, vel reſervandis quocunque caſu, niſi in mortis articulo, ſine nova licentia a Sede Apoſtolica, vel ab Ordinarijs reſpective obtenta, abſolutionis beneficium impendere audeat. Quam licentiam a ſancta Sede Apoſtolica obtentam, teneantur Ordinariis oſtendere, etiam ſub pęna excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, & inhabilitationis ad audiendas confeſſiones; & ad quæcumque officia, & Prælaturas, ipſo facto incurrenda abſque alia declaratione &c. A quibus nonniſi a Romano Pontifice abſolutionem obtinere valeant, & quatenus opus ſit Sanctitas ſua tales facultates nullas eſſe voluit. Sed poſtea eadem Congregatio ſpeciali mandato eiuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis VIII. ſimiliter vivæ vocis oraculo ſuper ea re habito, ipſum Decretum ita moderatur, & declarat etiam ſub eadem prohibitione: eos tantum comprehendi caſus, qui in Bulla Cęnæ Domini legi conſueta continentur; ac prǣterea violationis immunitatis Eccleſiaſticæ, in terminis Conſtitutionis Gregorij XIII. violationis clauſuræ Monialium ad malum finem, provocantium, & pugnantium in duello, iuxta Decretum Concilij Tridentini, & Conſtitutionem Gregorij XIII. iniicientium manus violentas in Clericos, *juxta Canonem. Si quis &c.* ac iuris diſpoſitionem: Simonię realis ſcienter contractæ, ac etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes caſus, quos ſibi Ordinarij locorum reſervarunt, ac impoſterum reſervabunt, In quibus omnibus enumeratis caſibus dumtaxat, & ſublata etiam pœna inhabilitationis audiendi confeſſiones, eadem Sacra Congregatio vult, & mandat dictum Decretum in ſua firmitate, & priſtino robore permanere. Et prætereą declarat eos Sacerdotes, tam ſeculares, quam Regulares, qui aliquo privilegio in dicto Decreto expreſſo ſuffulti fuerint, poſſe iuxta eorum privilegia, indulta, & facultates vſu ante idem Decretum receptas, & quæ ſub alijs revocationibus non comprehenduntur, tantum, & non aliter abſolvere a caſibus in præſenti declaratione non comprehenſis: alijs vero Sacerdotibus talia privilegia non habentibus, nihil

hil de novo concedit.

Item in Capit. Rom. 1569. admonit. 1. iuſſu Sanctiſſimi Domini noſtri Pij V. debent omnes Provinciales facere, vt ex eorum mandato publicetur in Conventibus Bulla Cœnæ Domini, & omnes Confeſſarij penes ſe habeant exemplar illius, eiuſque tenorem fideliter obſervent: & ſi qui illam non habuerint, confeſſionum audientia priventur. Et Romæ 1571. confirmat. 13. id confirmatur, & additur, vt bis anno legatur coram toto Conventu, & in Sacriſtia affixa maneat. Et Barcinonæ 1574. confirmat. 11. & Venetijs 1592. ordinat. 1. ſtatuitur: vt in ſingulis Sacriſtijs loco patenti pendeant duæ tabellæ, in quarum vna ſit Bulla Cœnæ Domini; in alia vero ſit nota caſuum Summo Pontifici, & Epiſcopis quovis modo reſervatorum. Et Romæ 1608. ordinat. 21. ſtatuitur, vt cum in actu confeſſionis, vel proximo, pœnitens eleemoſynam dare voluerit, eam non accipiat Confeſſarius, ſed ei ſignificet reponendam eſſe in communi arca Eccleſiæ: & qui contra hoc fecerit, ipſo facto ſit privatus officio Confeſſarij per trienniū & idem confirmatur Pariſijs 1611.

Item declaramus in Capit. Bononienſi 1564. ex Trident. Concil. ſic fuiſſe ſtatutum: Prælati Ordinis diligenter attendant omnia, quæ circa Reverendiſſ. Epiſcoporum obſervantiam a Sancta Synodo fuerunt ſtatuta. Et ſi expoſitos ad confeſſiones, aut promovendos ad Ordines velint examinare; humiliter pareant; neque ipſis contradicentibus, etiā in Eccleſijs noſtris prædicare præſumant. Et ſi in aliquo horum durius aliquando cum Fratribus noſtris agere videantur, æquo animo ſuſtineant: nec de ea re quæſtiones habeant, vt lites intentent. Cæterum ſi non ferenda gravamina interim occurrant, conſulatur Reverendiſſimus Generalis Magiſter, vel illius Provinciæ ſuperior Prælatus, & ſecundum eorum conſilium de opportuno remedio provideatur. Item declaramus in Capitulo Romæ 1612. admonit. 2. ordinatum fuiſſe, vt Præſidentes noſtrorum locorum non permittant Clericos ſeculares habere conciones in Eccleſijs noſtris tempore tum Adventus, tum etiam Quadrageſimæ. Similiter nec permittant Regulares alterius Ordinis, tempore, vel Adventus, vel Quadrageſimæ, vel infra annum regulariter habere conciones in Monaſterijs Fratrum, & multo minus Monialium.

c Caveant etiam Fratres noſtri &c.) Declaramus, quod omnes Fratres noſtri, tum Priores, tum Prædicatores, tum etiam alij, erga Dominos, & Prælatos Eccleſiæ, & verbis, & factis debent obſervantiam habere, & quoad poſſunt lites in Clericos inferendas vitare: nec quæſtiones, aut cauſas contra eos agere, a quibus ſcandalum, & perturbatio poſſet oriri; ſicut fuit ordinatum in Capitulo Bononienſi 1252. & Viterbij 1268. ordinat. 2. & Florentiæ 1272. ordinat. 2. & Palentiæ 1291. & Pariſijs 1306. ordinat. vltima. Et cum cauſa ſervandi, vel non ſervandi interdictum contingat, vt inter Fratres, & Clericos diſcordia, & diſſentio oriatur: debent Fratres omnes, integris Dei honore, & privilegijs Ordinis; matrici Eccleſiæ morem gerere: ſicut fuit ordinatum apud Cæſarauguſtam 1309. ordinat. 11.

d Socius autem datus Prædicatori &c.) Declaramus per hanc Conſtitutionem non dari aliquam iuriſdictionem Prædicatori ſupra Socium, ſed ſolum intelligi Socium debere ei tamquam Superiori ſervire: atque in his, quæ ad perſonam, & ad officium pertinent, ſponte. ac libenter parere, & obedire, ſicut fuit declaratum Victoriæ 1331.

IV.

STatuimus etiam, ne Fratres noſtri in prædicationibus ſuis *e* dari, vel colligi pecuniam admoneant pro domo, vel aliqua perſona ſpeciali. Nullus Frater audeat quæſtus facere; aut Bullas aliquas prædicare, niſi de licentia Magiſtri Ordinis ſub pœna excommunicationis latæ ſententię, quam ſedētes pro tribunali proferimus in his ſcriptis; & ſub pœna privationis omnium bonorum eis ab Ordine conceſſorum, & communitati applicandorum.

e Dari, vel colligi pecuniam &c.) Declaramus, quod cum Prædicatores debeant ſe tamquam veros Religioſos, & viros Apoſtolicos in omnibus exhibere, & nulli materiam ſcandali præbere, & abſtinere ſe ab omni ſuſpicione criminis: ideo nullo modo debent permittere, vt dum ipſi

ipſi actu prædicant, pecuniæ, ſive pro Domo, ſive pro alia quacumque perſona colligantur: ne cupiditatis, & avaritiæ crimine notētur, & prædicationis officium contemnatur. Idem fuit ordinatum Pariſijs 1236. & proinde in multis Capitulis præſertim Saviliani 1439. ſub pęna excommunicationis fuit prohibitum omnibus Fratribus, prætextu cuiuſcumque extranei quæſtus, & indulgentiæ prædicandę, vagari extra ſuos Conventus: vel pretium, aut mercedem cauſa huiuſmodi prædicationum accipere; vel ad hoc Fratrem alium inducere. Et nihilominus tales Divini verbi corruptores, qui labe cupiditatis, & quæſtuaria illuſione ſplendorem noſtræ Religionis offuſcant, officio prædicationis, & bonis ad vſum eis conceſſis, ſtatim privati ſint: & per annum ad carceres deputentur. Poterunt tamen Prædicatores Conventus, & Fratres Populo commendare & eis paupertatem, & neceſſitatem illorum exponere: atque vt tempore opportuno eis eleemoſynas largiantur, hortari.

V.

STatuimus etiam, vt *f* nullus fiat Prædicator Generalis, antequã Theologiam audierit per tres annos, & niſi ſit maturus, & diſcretus ad negotia Ordinis pertractanda in Capitulis: & niſi in Provincia illa glorioſe prædicet; ita quod ſaltem per tres quadrageſimas in aliqua bona Civitate, ſeu terra, ſeu aliquibus bonis Civitatibus, ſeu terris prædicaverit. *g* Idem dicimus de Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis non inſtituendis qui ſufficienter in locis ſuæ Inquiſitionis neſciunt prædicare: Quod ſi ſecus factum fuerit, nullius ſit roboris, vel momenti.

f Nullus fiat Prædicator Generalis.) Declaramus in Capitulo Lugdunenſi 1536. ordinatum fuiſſe, vt Provincialis Capituli Definitores per ſe, vel per alios teneantur examinare eruditionē, tempus, & locum illius, qui petit vt fiat Prædicator Generalis: quantum ſcilicet, & vbi Theologiam audierit. Quod ſi tempus a Conſtitutionibus taxatum non compleverit, & idoneus minus reperiatur; illum

lum præſenti ſtatuto a promotione prohibemus, & promotum de cætero tali privamus officio, & Salmanticæ 1551. dicitur: Ordinamus, vt in creandis Prædicatoribus Generalibus debitæ conditiones contentæ in Conſtitutionibus obſerventur; quibus, & hanc addimus, quod ſit ætatis ſaltem triginta quinque annorum. Quod ſi contrarium fiat, vel factum fuerit, totum decernimus eſſe irritum, & inane. Et Romæ 1589. authoritate Apoſtolica ſub formali præcepto mandatum fuit, vt nullus poſtuletur Prædicator Generalis, qui actus legitimos non fecerit, ac requiſitas conditiones non habuerit, locuſque vacaverit: & ſtantibus æqualibus meritis, & æquali idoneitate, antiquiores iunioribus præferantur, in quorum petitionibus exprimi debet quot annis prædicaverint, & an; atque vbi vacet locus; ſecus petitiones illorum non admittantur. Item declaramus, quod Prædicatores Generales numerum Conventum non poſſunt excedere, vt conſtitutio *infra* cap. 16. diſponit, & in Capitulo Veneto 1592. declarat. 5. fuit pariter ordinatum: ita ſane, vt in numero Conventuum, domus Vicariatuum non comprehendatur, vt habetur in Capitulo Romæ 1589. declarat. 2. Et ſi qui modo vltra prædictum numerum reperiuntur inſtituti, decernitur eos non eſſe Prædicatores Generales, ac eorum gratijs, & privilegijs non poſſe vti. Hi tamen in decedentium locum gradatim ſuccedent ſecundum ordinem ſuarum inſtitutionum ſemper tamen habitis requiſitis. Item Romę 1537. ſic habetur: Ordinamus in toto Ordine, vt Lectores, & Baccalaurei, vel Præſentati fieri non poſſint Prædicatores Generales: & qui modo tales exiſtunt, volumus eos tali munere eſſe privatos: quemadmodum re ipſa, ac de facto privamus.

g Idem dicimus de Inquiſitoribus.) Declaramus, quod Inquiſitoris officium non eſt committendum, niſi Fratribus maturis, Religioſis, diſcretis, eruditis cuilibet negotio idoneis, atque ad tam ſalubre officium exercendum aptis, ſicut fuit ordinatum Argentinæ 1358. Inquiſitores autem, non exercentes actu Inquiſitionis officium, vel non actu occupantes ſe in illo, ſubiaceant poteſtati, & obedientiæ ſuorum Priorum Conventualium, quorum obedientias tenentur re ipſa adimplere eo modo, quo alij Fratres: atque etiam frequentare Chorum, & alia officia more cæterorum Fratrum

trum exercere ; nec debent a Conventu abſque licentia Prælatorum exire. Præſidentes etiam Conventuum tenentur ipſis inquiſitoribus dare Socios diſcretos providos, honeſtos, atque idoneos ad eorum officia exequenda. Et Inquiſitores tenentur: ſicut cæteri Fratres accedere ad Capitula, ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1275. & 1285. Quod ſi quis Inquiſitor fuerit electus Prior confirmari non poteſt, niſi Sacra Congregatio Sancti officij conſulatur. Item tenentur de perſonalibus, ſingulis annis reddere rationem ſui Priori Conventuali, vti iam ſupra pag. 95. column. 1. dictum eſt.

CAP. XIII.

De Itinerantibus.

I.

a EVntes ad Prædicationis officium exercendum, vel alias itinerantes: aurum, & argentum, pecuniam, aut munera (excepto victu, & neceſſarijs indumentis, & libris) nec accipient, nec portabunt. Si quis autem aliquid acceperit de prædictis teneatur Prælato ſuo) cum redierit libere præſentare. Fratres autem non recipiant a mulieribus munuſcula, nec dent: maxime Confeſſores. Item *b* Fratres non ſint diſpenſatores alienarum rerum, nec pecuniarum: nec extraneorum depoſita recipiant, niſi librorum, aut peramentorum Eccleſiaſticorum.

a Euntes ad Prædicationis officium exercendum, vel alias itinerantes, aurum, & argentum &c.) Declaramus, hæc omnia ita eſſe intelligenda; vt non fiant ſine licentia Prælatorum, iuxta id quod ſupra *cap. de graviori culpa* dictum eſt: ſicuti fuit declaratum Romæ 1558. & ibidem 1589. ſic fuit diſpoſitum. Admonemus omnes, & ſingulos Fratres ex Provincijs Indiarum advenientes, vt rationem ſemper habeant Apoſtolici Brevis editi a Pio IV. die 12. Augusti Anno 1562. infraſcripti tenoris. *Mandamus ſub pena excommunicationis latæ ſententiæ, per contrafacientes eo ipſo incurrenda, quod nullus Frater, vel Religioſus cuiuſvis dignitatis,*

tis gradus, vel conditionis exiſtat, ab Indiis, aliiſque partibus regrediens, pecunias vltra quam viatico ſuo veriſimiliter neceſſariæ fuerint, aſportare præſumat: omneſque pecunias per eos aſportandas, antequam naves aſcendant Superiori ſuo in partibus illis exiſtenti denunciare, oſtendere, literaſque taxationis viatici huiuſmodi ab eo recipere teneantur.

b Fratres non ſint diſpenſatores alienarum rerum &c.) Declaramus, quod (ſicut iam ſupra in Prologo Conſt. pag. 8. col. 2. inſinuatum eſt) Fratres non poſſunt ſuſcipere commiſſiones cauſarum, arbitria, ſive judicia, ſive executiones teſtamentorum, vel diſpenſationes aliarum rerum, niſi eis authoritate ſui Ordinis, vel alicuius Superioris commiſſa ſint, vt dicit Sanctus Thomas *quodlibeto* 3. quæſt. 6. art. 1. cum quo conſentit gloſſa in cap. *Non dicatis* 10. qu. 1. vbi dicitur. *Religioſos non habere velle, neque nolle, niſi quando eis actus aliquis a lege, vel a Superiore permittitur*. Et de hac re fuerunt expreſſe prohibiti Fratres noſtri in Capitulo Pariſijs 1234. ordinat. 2. & Bononiæ 1252. ordinat. 6. & Coloniæ 1301. & in multis alijs Capitulis. Atq; hoc ideo, quia ex talibus odia, damna, & ſcandala Ordini, ac Fratribus oriri ſolent. Hac etiam re prohibentur de iure communi Religioſi omnes 16. quæſt. 1. cap. *Monachi*, & cap. de præſentium, vbi dicit gloſſa, *Religioſum, niſi ex Superioris licentia iudicem, vel arbitrum, vel Advocatum eſſe non poſſe*. Abbas autem, ſive Prælatus bene hæc facere poteſt ſine licentia, vt ſentit *gloſſa* prima *in Clementina* Religioſus, & Bonifacius VIII. in privilegio concedit, vt Magiſter Ordinis, & Priores Provinciales, ac etiam dicti Ordinis Fratres inferiores, ex licentia eorum, vltimas voluntates, & teſtamenta quorumcunque, qui ab eis hæc requiſierint, ac eos deſignaverint; exequi poſſint, & debitæ executioni mandare. Item cum ex litigioſis, & arduis, ac per ſe odioſis cauſis frequenter perturbationes, ac ſcandala oriantur: volumus, ac diſtricte prohibemus aliquem Fratrem de cætero huiuſmodi cauſas aſſumere, neque matrimonijs procurandis, ſeu etiam magnis arduiſque negotijs pertractandis vllo modo implicari ſine Prioris Provincialis ſpeciali licentia. Contrarium autem facientes a Prioribus Provincialibus acrius, & ſeverius puniantur; ſicut fuit ordinatum apud Treverim 1266. Argentinæ 1307. & Metis 1313.

Præ-

I I.

PRædicatores, vel itinerantes, cum in via exiſtunt, officium ſuum dicant, prout ſciunt, & poſſunt: & ſint contenti officio Eccleſiarum, ad quas quandoque declināt. *c* Fratres autem viatores litteras teſtimoniales ſecum deferant, & in Conuentibus ad quos declinauerint, de exceſſibus ſuis corrigantur. *d* In quacumque autem Prouincia Fratres itinerantes deliquerint, Prior Prouincialis, vel Conuentualis, ſeu eorum Vicarij, Supprior, & Viſitator, & cæteri, in quorum terminis inuenti fuerint; corrigendi ipſos ſicut Fratres ſuos liberam habeant facultatem. *e* Prior in Ordine, ſit Prior in via; niſi fortè Prædicatori adiungatur, vel cum egrediuntur, Prior aliter ordinauerit de eis.

c Fratres autem viatores litteras teſtimoniales ſecum deferant.) Declaramus, quod cum ex nimio, & inordinato Fratrum diſcurſu, diſpendia, & perturbationis, ac diſtractiones plurimæ oriantur, regulariſque obſervantia plurimum relaxetur: Patres noſtri huiuſmodi diſcurſus inutiles, atque vagos compeſcendos, & ſubtrahendos curaverunt; atque id in multis Capitulis voluerunt, ſtatueruntque debere inviolabiliter obſervari. Et Priores Conventuales, eorumque Vicarij, Fratres eorum Conventibus aſſignatos, vltra terminos eorundem Conventuum, ideſt vltra dietam (vt declaratur in Capit. Romano 1569.) licentiare non audeant: niſi cauſa gravis infirmitatis ipſorum, vel ſuorum parentum, vel etiam evitandi grave ſcandalum Ordinis, vel propter evidentem neceſſitatem, vel vtilitatem Conventuum, ſive etiam ſingularium Fratrum; & tunc ex diſcretorum conſilio talis licentia concedatur. Qui verò huiuſmodi licentiam obtinent, conſtitutionem de litteris teſtimonialibus deferendis, & præſentandis obſervent; in quibus & cauſa ipſius licentiæ generaliter, vel peculiariter, & terminus itineris exprîmantur. Quicumque autem Prior, vel eius Vicarius prædicta non ſervaſſe

vaſſe repertus fuerit, teneatur infra quindenam in pane, & aqua triduò abſtinere; ita ſanè vt talis pœnitentia ſit Conventui manifeſta: quam ſi (abſque cauſa infirmitatis) non peregerit, à Provinciali, vel eius Vicario ſtatim, vt ipſi de exceſſu legitimè conſtabit, à ſuis officijs abſolvatur. Fratres vero, qui ad quoſcumque Conventus ſine huiuſmodi litteris teſtimonialibus porrexerint, à Prioribus, & Supprioribus eorundem Conventuum, ad quos pervenerint, noſtra authoritate ad vnum annum voce priventur, & pœna gravioris culpæ eis imponatur: & Conventui de quo ſunt, quod talis pœna eis impoſita ſit, litteris peculiaribus ſignificare teneantur: & ſi hoc facere neglexerint, à ſuis officijs abſolvantur, & poſt abſolutionem ſint ipſo facto ad vnũ annum voce privati; ſicut fuit ordinatum Placentiæ 1310. & apud Carcaſſonam 1312. & apud Montem Peſulanum 1316. ordinat.2. Et in Capitulo Romano 1558. ordinatum fuit, vt nullus Prior Provincialis, vel Conventualis, nulluſque Præſidens ſub pœna gravioris culpæ Fratres recipiat fugitivos, & vagos ſine illorum Provincialis licentia: niſi quantum, non quidem ſpecies fictæ pietatis, ſed vera neceſſitas infirmitatis religioſam exigit charitatem. Item declaramus in Capitulo Lugdunenſi 1536. ordinatum fuiſſe, vt ſi itinerantibus domos ſecularium adire, & in eis commorari opus fuerit; nunquam eis, niſi cum Religioſo ſocio, & adire liceat, & commorari.

Et in Capit. Romano 1589. ordinatum fuit, vt Fratres exeuntes de terminis ſuorum Conventuum litteras teſtimoniales ſemper deferant, alioquin non recipiantur. Quod & fuit confirmatum Bononiæ 1564. ordinat.3. & additum; quod Prælati litteras teſtimoniales Fratrum ad eos pervenientium legere teneantur. Similiter, quod nullus ſine ſui Prælati licentia à ſuo Conventu recedat, etiam cauſa eundi ad Superiorem, ſub pœna gravioris culpæ: quam tamdiu perſolvet, quamdiù extra Conventum ſine licentia fuerit cõmoratus. Et in Capitulo Romano 1580. ordinatum fuit, quod nullus Frater Ordinis noſtri, è ſuo Conventu, vel Provincia ſine dimiſſorijs litteris egrediatur; & quod Superiores, ad quos huiuſmodi Fratres ſine licentialibus litteris venerint, eos in carceribus includant, & penitus ad ſuas Provincias, ſuoſque Conventus redire compellant. Quod fuit confirmatum in ſequenti Capitulo Romano 1583. hoc inſuper

per addito; quod Præſidentes Conventuum ſub pœna abſolutionis ab officio tales fugitivos retinere non audeant. Et tandem Romæ 1589. ſic dicitur: Admonemus etiam, qualiter Sanctiſſimus D. N. Sixtus Papa V. ſua conſtitutione, & declaratione anno ſuperiori edita, prohibuit expreſſe; ne quis Regularis ex vna Provincia ad aliam, ſive ex vno ad aliud eiuſdem Provinciæ Monaſterium, Domum, vel locum ad habitandum, vel tanquam hoſpes recipi, aut ad modicum tempus divertere poſſit: niſi à Superiore illius loci, vbi reſidet, expreſſam licentiam diſcedendi in ſcriptis deferat, & exhibeat, vel niſi ita ſit cognitus, vt nulla omnino de eius perſona dubitatio, vel ſuſpicio oriri poſſit. Et illi, qui huiuſmodi Regulares ſine licentia in ſcriptis advenientes etiam ob cauſam pietatis, vel hoſpitalitatis receperint, eo ipſo ab eodem Sanctiſſimo D. N. privantur, & in perpetuum privati declarantur voce activa, & paſſiva: necnon officijs, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuſcumque per eos obtentis, atque indigni, & inepti ſint ad alia in poſterum obtinenda: præter id quod ſæpius in multis Capitulis ordinatum fuit, ne quis Frater adveniens ſine licentia, poſſit à Prælatis recipi, vel detineri, niſi in carceribus, vt punitus ad ſuum Conventum, & Provinciam remittatur. Quod quidem omnibus Prælatis, & Conventuum Præſidentibus ſub pœna abſolutionis ab officio mandatum fuit. Ordinamus præterea mandantes omnibus Fratribus Ordinis noſtri ſub pœna gravioris culpæ, ne quis extra terminos ſuæ Provinciæ, vel Conventuum prædicet, aut in noſtris, aut in Eccleſijs alienis; & ne etiam quæſtum faciat, ſine licentia Magiſtri Ordinis, aut Patris Provincialis, aut Prioris locorum, in quorum terminis prædicare, aut quæſtum facere voluerit. Quæ ordinatio alias facta in Capitulo Avenionenſi 1561. & Bononienſi 1564. confirmata fuerat.

d In quacumque autem Prouincia Fratres itinerantes deliquerint &c.) Declaramus, quod Fratres viatores, & hoſpites, Præſidentibus Ordinis, ad quos perveniunt, ratione iuriſdictionis ſubijciuntur: qui & eorum malefacta non ſolum ibi, ſed etiam alibi commiſſa caſtigare, & punire poſſunt, & debent, quia in ſuo crimine plectitur quis, vbi invenitur, Can. *Vbi de crimine agi oportet*, lib. 1. vbi gloſſa allegat illud: *Vbi te inuenero, ibi te iudicabo*. Et de hoc habetur

gloſſa

gloſſa 3. quæſt. 6. cap. 1. ſicut fuit declaratum, & in Capitulo Romano 1336. quod exiſtentes in pœna gravioris culpæ in vna Provincia non poſſunt in alia abſolvi, etiamſi in illa fuerint aſſignati.

e Prior in Ordine ſit prior in via.) Declaramus, quod per hanc Conſtitutionem Priori in Ordine, (niſi Prælatus ſit) nulla datur in via ſupra ſuum ſocium iuriſdictio, ſicut fuit declaratum Victoriæ 1331.

IV.

f NVllus Frater vadat ad Curiam, niſi de licentia Magiſtri Ordinis, vel Capituli Generalis: ſed mittatur nuntius ad Fratres; qui ſunt ibi, vel per aliquem alium (prout melius fieri poterit) negotium procuretur. *g* Prior Priorem ſupervenientem honoret: ſed & hoſpes per Civitatem ſine conſilio eius nõ diſcurrat, nec moram faciat.

f. Nullus Frater vadat ad Curiam.) Declaramus, in Capitulo Pariſienſi 1245. ſic fuiſſe ordinatum; Caveant diligentiſſime Fratres noſtri, ne quis eorum accedat ad Curiam ſine licentia Generalis Magiſtri: qui vero ex licentia ipſius iverint, vadant pedeſtres, ſecundum ſtatuta Ordinis; & litteras ſecum deferant, cauſas, & negotia, propter quæ vadunt plene continentes. Et in Capitulo Placentino 1310. ſic dicitur: Præcipit Magiſter Ordinis in virtute ſanctæ obedientiæ ex Definitorum conſilio, & aſſenſu: vt nullus Fratrum ad Curiam Romanam vadat, vel e ſuo Conventu cum intentione eundi ad Curiam iter capiat, etiam cauſa procurandi negotia Ordinis, abſque ipſius Generalis Magiſtri peculiari licentia. Quod ordinatum fuit in Capitulo Romano 1601. & ibidem 1608. denunt. 9. fuit denunciatum: felicis recordationis Clementem VIII. amplo Decreto Superioribus mandaſſe, ne permittant Fratrem quempiam Romam venire; niſi prius a Generali dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverit. Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa, & paſſiva ad biennium privatus exiſtat; ſubiturus etiam alias, arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint

perint, ſine vlla exceptione locum habeant. Inter pęnas autem arbitrarias hanc idem Sanctiſſimus expreſſit, vt huiuſmodi Fratres in carceribus per ſex menſes detineantur; prohibetque huiuſmodi pęnam poſſe ab eorum Superioribus remitti; cum earum diſpenſationem & relaxationem Sua Sanctitas ſibi reſeruauerit. Similiter in Capitulo Placentino 1310. ordinat. 12. præcepit Magiſter Ordinis in virtute ſanctæ obedientiæ ex Definitorum conſilio; vt nullus Frater accedat ad Curias Regum, ſeu Dominorum, Legatorum, ſeu ſecularium Principum, Poteſtatum, vel Baronum ob cauſas litigioſas, & propter negotia quæcumque procuranda, quæ per ſe ſecularibus odioſa ſint: qui autem contra hoc feciſſe comprehenſus fuerit, priuetur omni voce; & præterea pęnis alijs grauioribus puniatur: & hoc idem fuit ordinatum Carcaſſonæ 1312. ordinat. 13. & Bononiæ 1285.

Item Perpiniani 1327. & apud Claromontem 1339. declaratum fuit: quod quilibet Frater ad ſuum Prouincialem ſine licentia ſui Prioris, vel ad Magiſtrum Ordinis ſine licentia ſui Prouincialis accedens; niſi recto tramite, ſed ex aduerſo ſolus vagando, & hinc & inde curſitando iter habeat, tanquam apoſtata iudicandus, & in carcerem includendus eſt.

g Prior Priorem ſuperuenientem honoret, &c.) Declaramus, quod tum Prior, tum alij Fratres, qui hoſpites ſunt, & peregrini, ſub iuriſdictione, & obedientia illius Prioris ſunt, a quo in ſuo Conuentu hoſpites recipiantur; atque adeo eius ordinationibus, & mandati ſunt ſubiecti; nec debent abſque illius licentia e Conuentu exire, ſeu per villam, vel Ciuitatem pergere; vt Valentiæ 1596. confirmat. 5. ordinatum fuit, & Romæ 1601. confirmat. 3. confirmatum, vt hoſpites legi Depoſiti ita ſubiecti ſint; vt ſi poſt ſextum diem in Conuentu aliquo moraturi ſunt, teneantur quamlibet ſummam pecuniarum in communi Depoſito illius Conuentus reponere, nec ſine licentia Prælati illius, pro negotijs quibuslibet expendere. Debet etiam aduenientem Priorem humane benigneque recipere, eumque præ ceteris honorifice tractare; quia qui bene præſunt, duplici honore digni ſunt. Sed & ſi contingeret alienæ Prouinciæ Priorem Prouincialem in Refectorio comedere, abſente Præſidente Prouinciæ, Prior Conuentus debet illi dare locum nolę: cum ille non ſit locus iudicij, ſed di-

dignitatis, vnde & Abbatibus, & Epiſcopis datur, ſicut fuit declaratum in Capitulo Ianuenſi 1513.

Item in Capitulo Viennenſi 1282. ſic fuit ordinatum. Cum ex inſinuatione terminorum, & limitum aliorum Conuentuum, & Prouinciarum, perturbationes, & ſcandala oriri ſoleant: Magiſter Ordinis ex conſenſu Definitorum Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, cæteriſque Fratribus ſtricte iniungi; vt limitationes factas inter vnam Prouinciam, & aliam, & inter Conuentum, & Conuentum ſumma, & exacta diligentia obſeruari ſtudeant: & Fratres quoties oppoſitum fecerint, toties pęnæ grauioris culpæ ſubijciantur; & quidquid infra limites alterius Prouinciç, vel alterius Conuentus acquiſierint, teneantur ſtatim Conuentibus, in quorum præiudicium quæſtum fecerint, abſque vlla dilatione reſtituere. Et Treueris 1249. ſic dicitur: Stricte prohibemus Fratres vnius Prouinciæ audere infra terminos alterius Prouinciæ quæſtum facere, vel ibidem (niſi forte tranſeundo, vel iter agendo) prædicare, abſque licentia Prioris Prouincialis, vel Conuentualis, ad quos ſpectant prædicti termini: quod ſi contrarium fecerint, grauius puniantur. Et hoc idem fuit confirmatum Romæ 1605. ordinat. 23.

V.

b FRatres Minores, ſicut & noſtri charitatiue, & hilariter recipiantur; & ſecundum facultatem Domus pie, & honeſte procurentur. Quicumque autem Prior Prouincialis ſine licentia Magiſtri Ordinis, vel Frater alius quicumque, ſine licentia Prioris Prouincialis *i* Archiepiſcopatum, vel Epiſcopatum receperit; (niſi per talem obedientiā cogatur, quam tranſgrediendo peccaret mortaliter) ipſum præſenti ſtatuto ſuffragijs, ſocietate, ac omnibus beneficijs Ordinis, tam in morte, quam in vita priuamus.

b Fratres Minores, ſicut & noſtri charitatiue, & hilariter recipiantur.) Declaramus, quod Priores, & Fratres noſtri omnes diligentiſſime curare debent, vt amorem

rem maximum erga Fratres Minores ſemper, & vbique habeant, & corde conſeruent: ore eos laudent, opere benigniſſimeque recipiant, humaniſſimeque tractent; & de pace cum eis habenda quantum poſſunt ſolliciti ſint, qui autem contrarium auſi fuerint, grauiter puniantur. Et caveant Fratres, vt neque inter ſe, neque cum alijs quantumcumque familiaribus, de ipſis minus bene loquantur. Si qui vero amicitiæ, & familiaritatis ſpecimen præſeferentes, mala de prædictis Fratribus retulerint, Fratres noſtri non ſint faciles ad credendum: quin potius eos quantum poſſunt excuſare conentur. Quod ſi forte ipſi Fratres Minores de nobis male loquendo, nos quandoque prouocauerint; tamen nullo modo publice cum eis contendamus, ſicut fuit ordinatum Pariſijs 1236. & 1256. & Valentiæ 1647. ordinat. 18.

Item in Capitulo Mediolanenſi 1255. & Pariſienſi 1256. ordinat. 16. ſic fuit ordinatum: Fratres ſolliciti ſint, vt humaniter excipiant hoſpites, & charitative tractent, præſertim venientes ex Prouincijs extraneis, quibus omnia, quæ eis opus fuerint, vt neceſſitates itineris poſtulabunt, prouideant, & adminiſtrent; eiſque conſulant, & ferant auxilium, quod ad alios Conuentus tranſire poſſint, maxime ex his locis, in quibus ſit tranſeundi difficultas.

i Archiepiſcopatum. vel Epiſcopatum receperit.) Declaramus, quod ſolus Magiſter Ordinis, & Prior Prouincialis, non autem eorum Vicarij licentiam dare poſſunt recipiendi Epiſcopatum, non obſtante ordinat. Capit. Generalis Treuerenſis 1289. declarat. 2. vbi etiam Vicarijs Magiſtri Ordinis, & Priorum Provincialium tribuitur, quod poſſint dare licentiam recipiendi Epiſcopatum. Tamen hæc facultas; ex authoritate Apoſtolica ſolis Magiſtris Ordinis, Prioribus Prouincialibus fuit reſeruata: prout Innocentius IV. Clemens IV. & Nicolaus IV. in priuilegio conceſſo Ordini noſtro ſic dicunt. *Prohibemus, ne quis Frater Ordinis veſtri, ſine ſpeciali licentia Magiſtri Ordinis, aut Provincialis, aut mandato Sedis Apoſtolicæ, electioni, aut poſtulationi ad quamcumque dignitatem extra Ordinem de ſe factæ audeat conſentire; decernentes irritum, & inane quidquid ſecus contigerit attentari.*

V I.

k FRatres, noſtri Ordinis Epiſcopis, vel aliis quibuſcumque perſonis extra Ordinem aſſignatos, qui in ieiunijs, & abſtinentijs, victu, & veſtitu ſtatuta Ordinis non ſeruant; ſuffragijs, & beneficijs Ordinis tam in morte, quam in vita priuamus: quouſque ſuper huiuſmodi exceſſu adeo digne ſatisfecerint, quod per Magiſtrum Ordinis, vel Prouincialem ſuum ad huiuſmodi ſuffragia reſtitui mereantur.

k Fratres, noſtri Ordinis Epiſcopis &c.) Declaramus, quod Priores Prouinciales in ſuis Prouincijs debent Epiſcopos ex Ordine noſtro aſſumptos admonere, vt ſecundum Ordinis inſtituta, veſtibus, calceamentis, ieiunijs, & abſtinentijs alijſque rebus vtantur, quæ Epiſcopali officio non inferunt impedimentum, alioquin eis non concedant Fratres in munus Socij, & conceſſos reuocent; ſicut fuit ordinatum in Capitulo apud Montem Peſulanum 1247. ordinat. 2. Et in Capitulo Metis 1313. ſic fuit ordinatum: Cum ex Fratrum Ordinis noſtri promotione ad incertos, & vagos titulos Epiſcopatuum, idem noſter Ordo in contemptum adducatur; diligenter caueant Priores Prouinciales, ne propter cuiuſuis preces, & petitionem, alicui Fratri licentiam dare præſumant; Magiſtro Ordinis, vel Prouinciali Capitulo inconſulto. Nec talibus Epiſcopis, vel alijs quibuſcumque, vllos ex Ordine noſtro Socios niſi diſcretos, & maturos; moribuſque probatos concedant. Si qui autem Epiſcopi Ordinis noſtri inuenti fuerint, qui minus honeſte in detrimentum, & prçiudicium Ordinis viuant; Socios eis aſſignatos ſtudeant, quamprimum ad Ordinem reuocare.

Item Biſuntij 1353. ſic habetur. Declaramus, & denunciamus vniuerſis Fratribus noſtri Ordinis, Domiuum Papam noſtrum publice, & manifeſte denunciaſſe, quod Capellani honoris Domini Papæ, aliorumque Prælatorum nullam exemptionem habent a Superioribus ſuis: ſed Magiſter Ordinis alijſque Prælati poſſunt contra tales Capellanos procedere, illos corrigere, ad clauſtrũ redu-

reducere, & ſi opus fuerit, arreſtare. Idem dicimus de Fratribus, qui Regibus, Prelatis, Domicellis, atque alijs Eccleſiaſticis perſonis aſſignati ſunt; qui cum deliquerint, ac minus honeſte ſe geſſerint, a ſuis Prælatis pena plectantur, & reducantur ad Ordinis diſciplinam: & in eorum locum eiſdem Eccleſiaſticis perſonis alij maturi, atque honeſti Fratres tribuantur. Et Bonifacius IX. in privilegio Ordini conceſſo, ſic dicit: *Statuimus, & ordinamus vt omnes, & ſinguli Fratres Ordinis Prædicatorum Apoſtolicæ Sedis Capellani præſentes, & futuri, perinde ſuis Superioribus, eorumque correctioni in omnibus, & per omnia ſubiecti ſint; ac ſi prædictæ Sedis Capellani non eſſent; non obſtantibus exemptionibus, alijſque quibuſcumque priuilegijs, indulgentijs, gratijs, & litteris Apoſtolicis Capellanis dictæ Sedis coniunctim, vel diviſim ſub quauis forma, vel expreſſione verborum a dicta Sede conceſſis, vel in poſterum concedendis.* Hec ille; Et in Capitulo Bononienſi propter Concilium Tridentinum, ſic ſtatutum fuit: Nullus Fratrum noſtrorum alicuius Principis, vel Epiſcopi, vel Communitatis, ſiue etiam cuiuſuis alterius perſonæ obſequio ſe ſubijciat, vel legendi ſiue prædicandi officio, ſine ſui Prælati licentia ſuas operas locet; ſecus tanquam inobediens, & proprietarius pena plectatur. Neque cuiquam liceat abſque licentia Præſidentis recedere a Conuentibus ſuis, etiam cauſa adeundi Superiorem, niſi cum ab illo fuerit euocatus. Quod ſi quis contra hoc fecerit tandiu penæ grauioris culpæ ſubiaceat, quamdiu ſine licentia extra Conuentum fuerit commoratus. Illi vero, qui ſtudiorum cauſa ad Vniuerſitates mittuntur in quibus ſunt Conuentus Ordinis noſtri in ipſis dumtaxat habitent ſecus omni gradu acquirendo habeantur indigni, & inſuper Prælato eiuſdem Conuentus cauſa iuſte cognita, pena plectantur.

VII.

FRatres vero noſtri Ordinis, cum fuerint ad aliquam Eccleſiam, vel dignitatem extra Ordinem ad ſui inſtantiam a Sede Apoſtolica pronunciati, *l* ipſo facto ſint ab omni præſidentia, & officio intra noſtrum Ordinem ſibi commiſſo abſoluti: a quibus eoſdem tenore præſentium, abſolutos eſſe

decernimus. Alij vero, qui ſine ſui inſtantia, ſunt ſimiliter pronunciati, niſi infra quatuor dies a notitia dictæ pronunciationis ſibi factæ, ipſi publice renunciauerint, & per publicum inſtrumentum; ſimili modo, vt præfertur abſoluti exiſtant. Præcipientes omnibus, & ſingulis Fratribus præſentibus, & futuris, quatenus nulli prædictorum obedire præſumant, vel audeant quoquo modo. Fratres noſtros beneficiatos, vel etiam habilitatos ſolummodo ad beneficia, inhabiles reddimus ad prælationem, ſeu ſuperioritatem in Ordine noſtro. Nec aliquis eorum paſſivam, vel actiuam vocem quomodolibet in Ordine habere poſſit, niſi ante beneficio, & habilitationi renunciauerit: ita quod renunciatio ſit legitima acceptata inſtrumento teſtante. Renunciatio autem cum regreſſu, aut quacumque reſeruatione fructuum, niſi huiuſmodi fructus mere & integraliter proueniant ad noſtrorum vtilitatem Conuentuum, & non tantum alicuius particularis perſonæ; non acceptetur, nec alicuius momenti habeatur.

l Ipſo facto ſint ab omni præſidentia, & officio intra noſtrum Ordinem ſibi commiſſo, abſoluti.)

Declaramus, quod non ſolum illi, qui ſiue ad ſui, ſiue ad aliorum inſtantiam pronunciãtur deſignati ad aliquam dignitatem extra Ordinem, ſunt ipſo facto ab omni præſidentia & officio Ordinis abſoluti; verum etiam illi, qui per litteras Apoſtolicas, quodcumque Eccleſiaſticum beneficium, vel Capellaniam aliquam obtinuerint; nec activam, vel paſſiuam vocem habere, nec in Conuentibus reſidere, nec in eis cameras obtinere poſſunt ſine licentia Magiſtri Ordinis. Et idem dicimus de alijs prouectis ad Eccleſias titulares, vel ad quaſcumque Eccleſiaſticas dignitates; ſicut Sixtus Papa Quartus in *Bulla aurea* declaravit. Item in alio Breui eiuſdem Papæ Sixti recepto in

Cap.

Cap. Peruſino 1478. ſic habetur: *Nos, qui & ſcandala amputare, & quietem dicti Ordinis Prędicatorum prę ſeruare deſideramus: declaramus, quod Fratres prædictiOrdinis ad beneficia habilitati, donec beneficia ſint conſecuti, actiuam tantum vocem in dicto Ordine habent: quamprimum vero aliquod beneficium obtinuerint, etiam activam vocem ammittant, & neutra in dicto Ordine, vti poſſint, non obſtantibus quibuſcumque contrarijs.* Hæc ille. Et in prædicto Capitulo ſic dicitur: Statuimus, & ordinamus, quod Fratres, qui licentiam habent exercendi Divina officia extra Ordinem, quamdiu extra Ordinem ſic exercuerint, nec cellam, nec activam, vel paſſiuam vocem in Conuentibus eiuſdem Ordinis habere poſſint. Nec Conuentus ſit eis in aliqua re obligatus, niſi ſuffragijs in morte: & hoc idem fuit antea ordinatum Venetijs 1357.

Item in Capitulo Romano 1525. ſic ſtatutum fuit Ordinamus, vt Fratres manentes extra Ordinem ſine Superiorum licentia, ſi poſtea ad eundem Ordinem, etiam ex Superiorum licentia redierint; non poſſint habere infra decennium aliquod prælationis, vel Vicariatus officium, ſine expreſſa licentia Reuerendiſſimi Magiſtri Ordinis in ſcriptis obtenta. Et in Capitulo Romano 1508. ſic habetur. Fratres aliarum Prouinciarum niſi per trienniũ fuerint in Prouincia; aut alias habeantur cogniti, Conuentibus, aut locis non præficiantur nec Magiſtri Nouitiorum, nec Sacriſtæ fiant, nec ſimiles adminiſtrationes eis committantur. Et Romę 1553. ſic dicitur; Admonemus omnes, & ſingulos Fratres Ordinis noſtri, præſertim Prælatos, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus: ne eos, qui curata, aut non curata beneficia acceperint, retineant ad manendum in Domibus Ordinis: nec ad vocem activam, vel paſſiuam abſque Magiſtri Ordinis diſpenſatione admittant, niſi prius re ipſa eiſdem beneficijs renunciauerint. Et iterum Romæ 1585. ſic habetur: Ordinamus, vt Fratres, qui quacumque de cauſa, & quomodocumque extra Conuentum permanent; (præterquam ſi officio ſanctæ Inquiſitionis inſeruiant) non cenſeantur in Conuentibus aſſignati ad vocem quacumque ratione habendam: ſed omnino ab electionibus faciendis, ſicut dictum eſt, intelligantur excluſi; quod Romæ 1589. pariter confirmatum fuit.

VIII.

PRæcipimus autem in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac eorum Vicarijs: quod nulli Fratri electo, ſeu poſtulato extra Ordinem ad quācumque dignitatem, perſonatum, vel gradum infra dignitatem; Epiſcopalem, licentiam concedant huiuſmodi electiones, ſeu poſtulationes acceptandi, vel alio quomodolibet proſequendi. Eodem præcepto prohibentes, ne Fratres aliqui propter licentiam ſibi datam contra prohibitionem huiuſmodi, præmiſſas electiones, ſeu poſtulationes aliquatenus, vel per ſe, vel per alium proſequantur. Si quis autem in præmiſſis ſecus fecerit, incurrat excommunicationis ſententiam ipſo facto; quam ſententiam ferimus præſenti ſtatuto: & nihilominus *m* omnibus gratijs Ordinis ſit priuatus; ad quas reſtitui non valeat, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale.

IX.

n SI quis Frater noſtri Ordinis per ſe, vel per alium pro ſe, vel pro alio ordinationem de ſe, vel de alio factam, vel obedientiam ſibi, vel alii Fratri iniunctā per quamcumque perſonam extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutam quocumq; modo procurauerit revocari: vel in aliqua Prouincia, aut Conuentu, aut officio, ſiue etiam ſtudio generali poni, vel remanere, vel inde amoueri: ipſo facto ex vi præſentis ſtatuti in pœnam incidat grauioris culpæ; in qua, vel a qua cum tali diſpenſari non poſſit, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale.

Om-

m Omnibus gratijs Ordinis ſit priuatus.) Declaramus, quod privare Fratrem omnibus gratijs Ordinis, eſt ipſum privare Priotatu, Supprioratu, Lectura, Prædicatione generali, omnique gradu, & promotione, quæ in Ordine noſtro acquiri poteſt. Et volumus, atque ordinamus, vt talis Frater omnibus gratijs Ordinis ſic privatus; omni etiam voce priuatus ſit: & bonis omnibus ad proprium vſum ei conceſſis; quæ ad Conuentum illius applicanda erunt; ſicut fuit declaratum apud Narbonam 1354. & apud Rothomagum 1361. ordinat. 3. Quæ quidem gratiæ non poſſunt reſtitui, niſi a Magiſtro Ordinis, vel a Generali Capitulo.

n Si quis Frater noſtri Ordinis per ſe, vel per alium &c.) Declaramus, quod ſi quis Frater Ordinis noſtri per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro alio ordinationem de ſe, vel de alio factam, vel obedientiam ſibi, vel alteri Fratri impoſitam, quocumque modo per quamlibet perſonam extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutam reuocari conſenſerit: vel in aliqua Prouincia, ſeu Conuentu, ſiue etiam ſtudio generali poni, aut remanere, aut inde amoueri, vel cum perſonis extraneis commorari, vel in aliquo officio eſſe tentauerit; ipſo facto ex vi præſentis ſtatuti incidat in pœnam grauioris culpæ, a qua, vel in qua cum tali diſpenſari non poſſit, niſi a Magiſtro Ordinis, vel a Capitulo Generali. Talis autem quamdiu erit in hac pęnitentia, ſi Prædicator eſt prędicationis officium non exequatur, neque ad aliquod officium Eccleſiæ admitti debet, neque ei aliqua obedientia committatur, nec vocem habeat, niſi in ſui accuſatione: & ſi Sacerdos fuerit, vel Confeſſarius, his officijs non fungatur, atque adeo celebrare, & confeſſiones audire non poterit; ſed omnia debebit Sacerdotis officia prætermittere, ſicut fuit declaratum Ferrariæ 1362. Atque animaduertendum eſt prædictam Conſtitutionem correctam fuiſſe, apud Verdunum 1356. ſicut ſupra conſcripta eſt.

Item in Capitulo Lugdunenſi 1318. ordinat. 7. ſic dicitur: Cum Fratres aliqui in confuſionem Ordinis, & damnationem animarum ſuarum, correctionem de eis, vel alijs factam, ſiue etiam faciendam impedire, & per perſonas extra obedientiam Ordinis conſtitutas alijs Fratribus grauamine facere contendant: volumus, & ordinamus, vt quicum-

cumque repertus fuerit eſſe talis, pęnę grauioris culpę ſubiaceat, & omnibus gratijs Ordinis privatus ſit: quæ ei non poſſint reſtitui niſi a Magiſtro Ordinis, aut per Definitores Capituli Generalis. Et Romæ 1571. ordin.9. ſic dicitur: Ordinamus ne Fratres Ordinis noſtri ad ſeculares cuiuſcumque conditionis, aut dignitatis confugiant: vel ad euadendas pęnas à ſuis Prælatis impoſitas, vel ad reijciendum aliquid quomodolibet ab eis mandatum, vel ad obtinendum, quemcumque gradum, vel dignitatem. Declarantes præſenti ſtatuto Fratres noſtros eſſe inhabiles ad quaſcumque Ordinis dignitates, niſi a Magiſtro Ordinis fuerint reſtituti. Præcipientes inſuper Prælatis, vt Fratrem quemlibet huiuſmodi, tamquam præcepti tranſgreſſorem pęnæ grauioris culpæ ſubijciant. Quod Bononiæ 1574. & Romæ 1580. confirmatum fuit.

Item declaramus in eodem Romano Capitulo 1580. publicatum fuiſſe breue Gregorij XIII. in quo ipſe Summus Pontifex Prælatis omnibus Ordinis noſtri in virtute ſanctæ obedientiæ mandabat, ne ad inſtantiam, & petitionem quarumcumque perſonarum ſiue ſecularium, ſiue Eccleſiaſticarum extra eundem Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quamcumque ſeculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium; cuilibet dicti Ordinis Religioſo vllam gratiam concedere, vel pęnas aliquas remittere audeāt. Quinimmo quoſcumq; dicti Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta ſuarum Conſtitutionum hac via, & his medijs per conquiſitos favores, & ſuffragia aliquid ſibi procurauerint, ad talia, & ſimilia, ac etiam maiora in eodem Ordine conſequenda perpetuo inhabiles declarauit. Quapropter in Capitulo Romano 1589. poſtquam Breue Gregorij ad verbum relatum eſt *in* §. *Quamobrem*, ſic habetur: Quamobrem ſingulos noſtri Ordinis Prælatos admonemus, vt ſcientes ſe non poſſe abſque peccato mortali quidquam ad ſecularium, vel perſonarum extra noſtrum Ordinem conſtitutarum inſtantiam concedere, abſtineant prorſus, neque id vnquam faciant. Subditos vero pariter monemus, vt conſiderantes ſe inhabiles fieri ad munera omnia, caueant nè aliquid hoc modo procurent. Et quoniam ex huiuſmodi mendicatis ſuffragijs Religionis ruina patenter exoritur, ac eiuſdem ſtatus, atque tranquilitas ſummopere perturbatur, diſtributiuæ

tivæ iuſtitiæ aditus intercluditur, ambitioni via aperitur, & demum indigni (vtpote audaciores) virtute præditis, ac benemeritis in ſua ſe humilitate, ac modeſtia continentibus, interdum preferuntur, idcirco ad huiuſmodi abuſus tollendos, in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientię ſub formali præcepto, necnon ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, hac vna pro trina canonica admonitione præmiſſa, præcipimus, ne quiſquam directe, vel indirecte, per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro alijs eiuſdem Ordinis Fratribus apud perſonas extra noſtrum Ordinem conſtitutas, & de noſtro Ordine non aſſumptas, gratiam aliquam, vel penarum remiſſionem a Prælatis noſtri Ordinis obtinendam procuret. Et ſub eodem formali præcepto eademque cenſura prohibemus, quemlibet hac de cauſa aliqua munera ſecularibus promittere, vel exhibere.

Item declaramus, quod cum a nonnullis dubitaretur, an ſub gratiarum nomine, quo Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione vſus fuerat, gradus, honores, dignitates, officia, & munia prædicti Ordinis comprehendantur, fel. recor. Clemens VIII. per alias ſimiles litteras datas *ad diem* 23. *Maij* Priores Gregorij Conſtitutiones quoad omnia confirmauit: & quoad quoſcumque gradus, honores, dignitates, officia, adminiſtrationes, functiones Prælaturas eiuſdem Ordinis perpetuo amplificauit, atque ampliandas eſſe decreuit. Et vniverſis Ordinis Fratribus non ſolum in prædictis omnibus fauorem ſecularium minime procurare, ſed ne quidem ſponte oblatum recipere: & ſimiliter ne propter hanc cauſam munera aliqua ſecularibus elargiri, vel exhibere audeant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pęnis in dictis Gregorij prædeceſſoris litteris contentis precepit, interdixit, & expreſſe prohibuit. Item quæcumque contenta tum in Gregorij XIII. litteris, tum in illo § *Quamobrem*, Romani Capituli 1589. his pęnæ verbis in perpetuum confirmauit. *Nos Ordinis prædicti quieti, ac Religioſorum illius ſaluti opportunius conſulere, aliaſque in præmiſſis prouidere volentes, ad litterarum præfatarum, necnon Decreti Capituli Generalis eiuſdem Ordinis, in executionem earumdem litterarum facti quod incipit*; Quamobrē, ſingulos noſtri Ordinis Prelatos admonemus &c. *veriores, & totos tenores præſentibus pro expreſſis ac ad verbum inſertis habentes, motu proprio, ex certaque noſtra ſcientia, ac de Apoſtoli-*

ſtolicæ poteſtatis plenitudine, litteras, ac Decretum huiuſmodi, ac in eis contenta Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuo confirmamus, & approbamus; & illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omneſque, ac ſingulos tam iuris; quam facti, & alios defectus, ſi qui in eis internenerint, ſupplemus. Tandem Sanctiſſimus D.N Paulus Papa V. in alia Conſtitutione *ad diem 7. Ianuarii* 1608. motu proprio, & ex certa ſcientia prædictas Gregorij & Clementis litteras atque etiam in eis contenta in perpetuum confirmavit, & approbauit, & perpetuæ firmitatis robur adiecit. Quam poſtea Pauli V. Conſtitutionem, Patres Ordinis noſtri In Actis Romani Capituli 1608. inſertam eſſe voluerunt.

CAP. XIV.

De Studentibus.

a QVoniam circa ſtudentes diligens eſt adhibenda cautela, aliquem ſpecialem Fratrem habeant, ſine cuius licentia non ſcribant quaternos, nec audiant lectiones: & quæ circa eos in ſtudijs corrigenda viderit corrigat; & ſi vires eius excedant, Prælato proponat. In libris Gentilium, & Philoſophorum non ſtudeant, & ſi ad horam inſpiciant. *b* Sæculares ſententias non addiſcant, neque artes, quas liberales vocant; niſi aliquando circa aliquos Magiſter Ordinis, vel Capitulum Generale, vel Prior Prouincialis, vel Capitulum Prouinciale voluerit aliter diſpenſare, *c* ſed tantum libros Theologicos, tam iuuenes, quam alii legant. Ipſi vero in ſtudio taliter ſint intenti, vt de die, de nocte, in Domo, in itinere legant aliquid, vel meditentur; & quidquid poterunt retinere cordetenus nitantur.

a Quoniam circa ſtudentes diligens eſt adhibenda cautela &c.) Declaramus, quod ſtudium ſacrarum ſcientiarum Religioni noſtræ quam maxime congruit. Imprimis, propter illud quod vi-

vitæ contemplatiuæ proprium eſt: nam contemplatio ordinatur ad rerum Diuinarum conſiderationem, quæ recte ſtudio dirigitur. Etenim ſtudium liberat contemplantem a periculis, quæ ſunt errores; in quibus ſæpe verſantur ij, qui contemplantur, cum tamen Scripturas ſacras ignorẽt. Quapropter Greg. lib. Moralium dicit: *Nonnulli dum plus exquirunt contemplando quam capiant vſque ad peruerſa dogmata erumpunt*. Secundo, ſtudiũ Religioni noſtræ neceſſarium eſt, quoniam ipſa eſt inſtituta ad trahendum alijs contemplata per doctrinam; quæ ſane res fieri non poteſt ſine ſtudio ſcripturarum, earumque contemplatione. Quare Hieronymus 16. quæſt. 1. dicit *Multo tempore diſcas, quod poſtea poſſis docere: ne ſis miles, antequam tyro, & Magiſter antequam diſcipulus*. Et Apoſtolus de Epiſcopo, ad quẽ pertinent actus huiuſmodi, dicit: *Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*. Quamobrem diſtinct. 38. dicitur *Ignorantia quæ mater eſt cunctorum errorum, a cunctis vitanda eſt, & maxime ab his qui officium docendi in populo ſuſceperunt.* Tertio litterarum ſtudium Religioni noſtræ conuenit, quoad illud, quod ei cum omnibus Religionibus eſt commune: valet enim primo ad profligandam carnis laſciuiam: quapropter Hieronymus inquit: *Ama ſtudia litterarum, & carnis vitia non amabis* de conſacratione *diſtinctione* 5. cap. Nunquam. Deinde, valet ad comprimendam, atque reſtringendam, diuitiarum cupiditatem: quia, vt dicit Philoſophus, *Melius eſt philoſophari, quam ditari*. Ac proinde Hieronymus: *Crates ille Thebanus, cum ad philoſaphanum pergeret, magnum auri pondus abiecit* 12. quæſt. 2. capit. Gloria. Tandem valet ad exequendum ea, de quibus erudimur. Quare Aug. dixit: *Quæ peruerſitas eſt illi lectioni nollè obtemperare, qui vult ei continuo vacare. A ſacra etiam Scriptura docentur homines de modo, atque ordine obediendi*, vt habetur 8. quæſt. 1. capit. Sciendum.

b Seculares ſcientias non addiſcant.) Declaramus, quod quamuis liceat Fratribus noſtris ſtudere ſcientijs ſecularibus, non tamen diu in illis verſari debent: & omne ætatis ſuæ tempus conſumere ſed potius ſcripturarum ſtudio, atque eis quibus conſulere poſſunt ſaluti animarum, debent ſe aſſidue, ac ſollicite exercere; a curioſitate, & inani gloria cauendo, atque ex illis non ſibi ſolum, ſed etiam alijs ad bene, ſancteque vi-

viuendum documenta capere, ſicut fuit in plurimis Capitulis, ordinatum.

Admonemus etiam, ne per ſpeciem bonarum, vt ferunt humanarum artium, & excultioris, atque ornatioris linguę, libros maxime a Canone prohibitos legant; ex quibus corruptos mores, & dogmata peruerſa facile poſſunt imbibere, ſicut fuit ordinatum Romę 1569. & 1571. & confirmatum Barcinonæ 1574. Verum poſtea, quoad Hæbraicam, & Græcam linguam, Romæ 1608. ordin. 9. ſic iuſtis de cauſis fuit diſpoſitum. Ordinamus, vt poſt ſex menſes a præſentium notitia, Priores Provinciales ſinguli in ſuis Prouincijs, teneantur ſtudium linguarum, præſertim Hæbraicæ, & Græcæ inſtituere, perquirendo doctiſſimos harum artium Præceptores: quos ſi in Ordine habere nequiuerint, ex ſeculo accerſant, diſcipuliſque præficiant; decernendo illis annua ſtipendia; ex communibus ſumptibus ſuorum Conuentuum. Et hoc idem poſtea non ſolum ordinatum Pariſijs 1611. denunc. 3. verum etiam a SS. D. N. Paulo V. Apoſtolica authoritate ſtatutum fuit.

c Sed tantum libros Theologicos &c.) Declaramus, in S. Concil. Trident. Seſſ. 4. editum fuiſſe Decret. ad hanc ſpectans Conſtitutionem, his verbis *SS. Synodus ad coercenda petulantia ingenia, decernit; vt nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinę Chriſtianæ pertinentium, S. Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia (cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione S. Scripturarum) aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam S. Scripturam interpretari audeat: etiamſi huiuſmodi interpretationes nullo vmquam tempore in lucem edendæ forent, qui contra fecerint, per Ordinarios declarentur, & pęnis a iuribus ſtatutis puniantur.* Et Romæ 1569. habetur: Diſtricte præcipimus ſub pœna privationis cuiuſcumque gradus, vltra pęnas a iure ſtatutas: ne quis Magiſter, aut Regens, aut Lector, aut quivis noſtri Ordinis, audeat aſſerere, vel defendere publice, vel priuatim, vllum articulum pugnantem cum Decretis Sacri Concilij Tridentini; cum aſſertionibus ad dogmata fidei, vel ad bonos mores attinentibus: præſertim vero cum Canone illo de ſacramentali Confeſſione, ante ſumptionem Sacratiſſimi Corporis Chriſti neceſſario præmittenda, etiamſi aliquem ex noſtris Doctoribus inſi-

inſignoribus, nempe Durandum, Caietanum, ſeu quamuis alium patrocinantem habuerit. Quod quidem confirmatum fuit Romæ 1571. confirmat. 5. & Barcinonæ 1574. Inſuper prohibemus Fratres omnes recitare, aut confirmare ſingularem aliquam opinionem oppoſitam communi Doctorum ſententiæ, in his quæ ad fidem, aut ad honeſtos mores pertinere noſcuntur; niſi reprobando, ac ſtatim obiectionibus reſpondendo. Qui autem in hoc deliquerint, a Priore Prouinciali, vel ab eius Vicario in pœnam ſtudio atque officio Lectoratus priuentur; ſicut fuit ordinatum apud Cæſerauguſtam 1309. ordinat. 2. & Metis 1313. 8. & apud Ciſtericum 1329. Præterea diſtincte iniungimus Lectoribus omnibus, & Sublectoribus, vt præſtantiſſimam noſtri Angelici Doctoris Sancti Thomæ doctrinam ſemper legant, diſcant, & doceant: & iuxta eam omnia quæſita, & diſputata determinent, & deffiniant; ſuoſque diſcipulos in ipſa erudiant, & faciant vt ſtudentes in eam toto animi impetu diligenter incumbant. Eſt enim excellentiſſima hæc doctrina, ſana præ cæteris, culta a doctioribus viris, Ordini noſtro vtilis, ſalutaris vniuerſæ Eccleſiæ, & toti terrarum Orbi admirabilis, ac denique Chriſti Saluatoris noſtri iudicio comprobata. Lectores ergo atque ſtudentes eam in lectionibus atque diſputationibus non prætermittant, ſed in ea verſentur, eamque explicent & exhibeant: ipſi denique in fine ſuarum diſputationum, rationibus contrarijs ſolutis, & fractis, firmiſſime adhæreant, ſtricte probibentes ne Fratres legendo, determinando, reſpondendo, aſſerere audeant ex propria ſententia oppoſitum eius, quod communi omnium iudicio creditur aſſertum eſſe a Sanctiſſ. Præceptore.

Item in Capitulo apud Carcaſſonam 1342. ſic fuit ordinatum: Cum præclariſſima Doctoris Angelici S. Thomæ Aquinatis Doctrina, in toto Orbe terrarum tanquam lux ſolis eluceat, & vt firmiſſima, ac ſolidiſſima doctrinarum omniũ, a Sede Apoſtolica, & a principalibus Eccleſiæ Doctoribus, cum teſtimonio Epiſcopi, atque Vniuerſitatis Pariſienſis honorifice approbata fuerit, & Diuinis laudibus ornata: imponimus Lectoribus, & Studentibus, vt ſpretis, & poſtpoſitis vanis, & curioſis, ac friuolis doctrinis, quarum plurimæ a veritate adducunt, eiuſdem ſanctiſſimi Doctoris doctrinæ omnino dent operam, & aſſidue ſtudeant, iuxta quam quæſtiones õnes, & dubia determinent.

minent. Item in Capitulo Salmanticen. 1551. ordinatum fuit, in lectionibus Theologicis legatur totus artic. S. Thomæ, & ex eo declaretur, & manifeſtetur veritas. Quod Pariſijs 1611. confirmatum, & ampliatum fuit, ita tamen, vt ordinatum fuerit, articulum Sancti Doctoris legendum eſſe non compedioſe, & confuſe, ſed diſtincte, & articulate eſſe declarandum, & exponendum; rationem habendo non ſententiæ ſolum, ſed etiam Ordinis, atque connexionis textuum, & curando, vt diſcipuli hæc eadem omnia faciant, & memoriæ mandent, atque de eis in diſputationibus, & collationibus illos informent. Et Romæ 1553. & 1558. & 1569. ordinat. 5. & 1571. confirmat. 6. Aueniones 1561. confirmat. 5. & Bononiæ 1564. additum fuit, vt quicumque a ſolida doctrina S. Thomæ receſſerit, & vel verbo, vel ſcripto aliquid contrarium dixerit; officio Lectoratus, & quocumque alio gradu, & dignitate in perpetuum priuatus ſit, & eiſdem pęnis plectendus eſt quicunque aliquid contra S. Thomæ doctrinam prædicauerit; ſicut fuit ordinatum Valentiæ 1596. admonit. 1.

I I.

CVret Prior Prouincialis, *d* ſi habuerit aliquos vtiles ad ſtudendum, qui poſſunt in breui apti eſſe ad regendum, mittere ad ſtudendum ad loca vbi viget ſtudium, *e* extra ſuas Prouincias; de Deffinitorum Capituli Prouincialis, vel maioris partis eorum conſilio, & aſſenſu. Si vero aliquem miſſorum ſtudentiũ infra ſex menſes a tempore celebrati Capituli mori contigerit, vel alias legitime impediri, Prior Prouincialis loco illius poſſit alium ſubrogare. Et in alijs, illi, ad quos mittuntur, non audeant eos occupare, neque ad Prouinciam ſuam remittere, niſi fuerint reuocati. *f* Poſtquam autem in aliquo ſtudio per tres annos, ad plus, fuerint commorati, ipſo facto ſint ab ipſo ſtudio abſoluti: niſi de Magiſtri Ordinis licen-

licentia ſpeciali. Et hoc idem circa ſtudentes eiuſdem Prouinciæ obſeruetur.

d Si habuerit aliquos vtiles ad ſtudendum.) Declaramus, quod Priores Prouinciales debent diligenter exquirere iuuenes ad ſtudium aptos, qui breui tempore poſſint proficere; & eos Conuentibus, in quibus vigent ſtudia, aſſignare. Et Fratres non mittantur ad Studia Generalia, niſi qui bonis moribus præditi, atque ad proficiendum apti ſint: & iuuenibus ad ſtudium aptis non permittantur inanes vagationes extra Domum, & aliæ vagationes, quæ eis in ſtudio impedimentum inferunt. Nec concedatur illis licentia exeundi è Monaſterio, niſi ob maximam neceſſitatem: quæ ſi contingat detur eis Socius cum quo pergant, ſicut fuit ordinatum Valiſoleti 1605. Nequaquam autem moleſti, atque inepti Fratres mittantur ad ſtudia: & ſi quos tales miſerint, ſine dilatione ſtudeant reuocare. Nec imperiti Fratres, vt ſtudentes in aliquo Conuentu aſſignentur: ne ſtudij locum alijs eripiant, ſicut fuit ordinatum Metis 1251. ordinat. 7. Valencenis 1259. & apud Peſtum 1273. ordinat. 1. & Lugduni 1274. ordinat. 5. ac demum Pariſiis 1279. ordinat. 2.

e Extra ſuas Prouincias.) Declaramus, quod Fratres miſſi ad Studia Generalia extra ſuas Prouincias, ex illis Conuentibus ſunt, ex quibus erant, antequam recederent. Fratres vero qui conſtituuntur comites peregrinorum, ad eos Conuentus, & ad illas Prouincias pertinent; ex quibus Superiorum iuſſu profecti ſunt, atque ibi vocem habent, ſicut fuit declaratum Ferrariæ 1362. & Ianuæ 1513. & Neapoli 1515.

f Poſtquam autem in aliquo ſtudio per tres annos &c.) Declaramus, quod ille ſtudens, qui ex ea Prouincia eſt, in qua eſt ſtudium; poſt trienni ſpatium, præſcriptum ei à Conſtitutionibus noſtris, remanent Conuentualis in ipſo Conuentu in quo fuit ſtudens: at vero ſtudens ex alia Prouincia poſt elapſum ſuum triennium, remanet Conuentualis illius Conuentus, in quo manebat tunc, cum in ſtudio fuit aſſignatus; ſicut Perpiniani 1427. & Peruſij 1478. declaratum fuit. Item declaramus in Capitulo Romano 1571. fuiſſe Lectoribus præfinitum tempus Dialecticæ, Philoſophiæ,

ac Metaphiſicæ legendæ. Et Valliſoleti 1605. ſic fuit ſtatutum: Confirmamus, quòd ſtudij tempus formalium ſtudentium ſit triennium expletum: quo elapſo non poſſint amplius in eodem ſtudio permanere; vt detur locus alijs, ſicut iſta Conſtitutio poſtulare videtur. Sin autem ſine legitima cauſa extra Conuentum, cui ad ſtudendum fuit aſſignatus, vltrà quatuor menſes fuerit commoratus, ad Conuentum ſuum remittatur omnino; ſicut fuit ordinatum Romæ 1530.

III.

TRes Fratres tantùm mittantur Pariſios ad ſtudendum de Prouincia: exceptis Prouincijs, Hiſpaniæ, Toloſanæ, Prouincia S. Dominici, Teutoniæ, Lombardiæ, Saxoniæ, Dalmaciæ, Daciæ, Poloniæ, Græciæ, Terræ Sanctæ, Aragoniæ Bohemiæ, Prouinciæ: de quarum qualibet duo tantum mittantur. Quælibet autem Prouincia (exceptis Græciæ, Daciæ, Terræ ſanctæ) prouideat, vt ſemper in Conuentu aliquo idoneo ſit Generale Studium: & ad illum locum quilibet Prior Prouincialis poteſtatem habeat mittendi duos Fratres idoneos ad ſtudendum. g Quod ſi in aliqua dictarum Prouinciarum Lector ſufficiens pro tali ſtudio non fuerit, Magiſter Ordinis de Lectore prouideat cõpetenti.

IV.

STatuimus autem, vt quælibet Prouincia, Fratribus ſuis miſſis ad ſtudium ad minùs in tribus libris Theologiæ teneatur prouidere: videlicet in Biblia, Hiſtorijs, & Sententijs, & ipſi in his tàm in textu, quam in gloſſis, præcipuè ſtudeant diligenter, & intendant. Item nullus faciat ſcribi libros de rebus Domus, niſi ad communem vtilitatem. Nulli etiam certus vſus librorum concedatur,

datur, nec dedignetur a quocumq; auferantur, nec in cuius cuſtodia dimittantur. In diebus Dominicis, & in Feſtis præcipuis, à quaternis ſcribendis ſe contineant.

g Quòd ſi in aliqua dictarum Prouinciarum Lector ſufficiens pro tali ſtudio non fuerit.) Declaramus, quòd cum ex ſtudiorum profectu dignitas Ordinis, & animarum vtilitas propagetur. Priores Prouinciales, & Conuentuales debent dare operam quantum poſſunt, vt ſtudium ſemper vigeat, & ſtudentes diligentiſſimi ſint in lectionibus audiendis, nec à Gymnaſio abſint, niſi ex rationabili cauſa, & ex peculiari licentia. Et Lectores legant textum S. Thomæ, diſputent aſſiduè, & continuent lectiones: qui verò in his reperti fuerint negligentes, merita pœna plectantur. Curent autem inprimis Prælati, ne Fratres propter ſtudium artiũ, ſacrę Theologiæ ſtudium omittant: & ſi in aliqua Prouincia non ſit copia Lectorum, Fratres, & præcipue iuuenes, bonis moribus ornati, & ad ſtudium apti; mittantur ad loca in quibus Lectorum copia ſuppetat. Nec Lectores ijs officijs, & negotijs occupentur, quibus impediantur. Et ſi non inuenerint Lectores, qui ſint idonei ad lectiones publice habendas, ſaltem inueniant qui vel ſacræ Scripturæ, vel Summæ Caſuum, vel alicuius huiuſmodi rei priuatas lectiones habeant, ne Fratres marceſcant otio, & tempus inaniter perdant. Volumus autem, vt in Studijs tàm Generalibus quam particularibus, aliqui Lectores, qui ſint præ ceteris ad legendum magis idonei, nequaquam in officio regiminis occupentur: donec per aliquot annos Lectoratus officium exercuerint. Lectores autem actu legentes nullam habeant libertatem recedendi à Refectorio, ſed volumus, vt Priores pro ipſorum laboribus, poſſint aliquando cum eis in abſtinentijs diſpenſare. Et hæc omnia ſupradicta ordinata fuerunt in noſtris Capitulis, Bonon. 1240. Valencenen 1259. apud Montem Peſulanum 1265. Mediolani 1278. Pariſijs 1279. & Londonis 1314. Tandem Romæ 1553. & 1558. fuit ordinatum, & Auenione 1561. Bononiæ 1564. & iterum Romæ 1569. fuit confirmatum: vt ſi Lectores quarumcumque facultatum, etiam Caſuum Conſcientiæ, lectiones re ipſa, quacunque de cauſa prætermittant, aut à doctrina Sancti Tho-

mæ recedant; munere legendi omnino priuentur.

Item declaramus, in Capitulo Bononienſi 1564. ordinatum fuiſſe, vt in Conuentibus, in quibus ſtudia maiora non vigent, habeatur lectio de Caſibus Conſcientiæ. Vbi autem non vigent ſtudia Theologiæ, habenda eſt lectio de Caſibus ex Summa Caietani, vel ſimilis huic; ſicut fuit ordinatum Romæ 1671. & Barcinonæ 1574. Ad quam ſanè lectionem conuenire debent Sacerdotes omnes, & Confeſſarij, præterquam Graduati, & Lectores: ſicut fuit ordinatum Romæ 1580. & huiuſmodi lectiones ternæ per ſingulas hebdomadas eſſe debent, vbi hoc commodè fieri poterit. Vbi vero ob Fratrum paucitatem fieri non poterit, curent Superiores, vt pro lectione Fratres ſimul commorantes aliquem Conſcentiæ Caſum inter ſe conferant, vt fuit ordinatum Romæ 1569. & confirmatum 1571. & Barcinonæ 1574., & iterum Romæ 1601.

Item declaramus, in Capitulo Romano 1569. declarat. 6. ſic fuiſſe ordinatum: Quoniam ſæpiſſime, ea quæ ad ſtudium pertinent, vocantur in controuerſiam inter Prælatos, & eius officiales ſtudij, neceſſarium eſſe duximus declarare, quid ad Regentis, quid ad Baccalaurei, quid ad Magiſtri Studentium ſpectet officia: eo præcipue quod de nullis iſtis officijs quidquam ordinauerint Cõſtitutiones noſtræ, neque in Ordinario Religionis vlla fiat mentio de eis.

Et primo declaramus, quòd in omnibus Vniuerſitatibus noſtri Ordinis, Regens eſt caput Studij: & non modo ſtudentes cuiuſcunque facultatis, ſed etiam omnes alij officiales ſtudij, & Lectores, ſubditi ſunt ei in omnibus illis rebus; quæ ad ſtudium pertinent, cuiuſmodi ſunt lectiones, diſputationes publicæ, circuli quotidiani, Caſus Conſcientiæ, & quicunque alij actus litterarij.

Item declaramus, maxime pertinere ad eum terminare, reſoluere, & definire quaslibet quæſtiones in diſputationibus propoſitas, ſilentium imponendo omnibus: hac lege vt poſt datam ab eo reſolutionem, nulli omnino, exceptis RR. Prouincialibus, liceat quidquam in medium adducere. Item declaramus Regentes habere præcipuam Theologiæ lectionem, alijſque Lectoribus præſcribere debere quid legere debeant: ipſe vero legat hora, qua maluerit, eiuſque lectioni teneantur intereſſe non ſolum ſtudentes formales, ſed etiam dantes operam Metaphiſicæ. Alij autem Lecto-

res

res legant horis ab ipſo Regente conſtitutis. Declaramus etiam, ad ipſum primario pertinere illa omnia, quæ de Magiſtro Studentium, tum in Conſtitutionibus, tum in Ordinario Religionis, *Capite de Officio Magiſtri Studentium*, ſcripta ſunt. Cum autem ei in Generali, vel Provinciali Capitulo diſputandum eſt, in eius libertate omnino ſit poſitum, hunc, vel alium ſibi eligere in reſpondentem.

Deinde declaramus, ſecundum locum in ſtudijs (quantum attinet ad litteraria exercitia) Baccalaureum, ſiue ſecundum Lectorem Theologiæ tenere; præterquam in illis Vniverſitatibus, in quibus ſunt duo, vel plures Regentes: volumus enim in ipſis ita ſe Regentes habere, vt alter alterum iuxta ſuum ordinem, & omnes Baccalaureum, ſive ſecundum Lectorem Theologiæ antecedant. Et proinde abſentibus tum primario, tum alijs omnibus Regentibus, ad Baccalaureum ſpectat, omnia Regentis munia modo iam dicto obire. Præterea declaramus tertium locum pertinere ad Magiſtrum Studentium, quoad prædictas litterarias exercitationes. Præter illa vero, quæ de ipſo in locis commemoratis dicta ſunt, declaramus, ad eum peculiariter ſpectare concluſiones in quotidianis circulis diſputandas proponere, & reſpondentibus aſſiſtere; Caſus Conſcientiæ opportunis temporibus, ac dubia ſuper Epiſtolas, & Evangelia proponere, ac rationes adducere pro vtraque parte, ipſi Regenti vltima determinatione relicta. Debet etiam ex Regentis conſilio ſcribere litteras dimiſſorias Studentibus, poſtquam ſuum ſtudium expleverint; curando; vt illis Regens, & Baccalaureus vna ſecum ſubſcribant. Inſuper declaramus eundem Magiſtrum Studentium exemptum eſſe a ſequela Chori, ſicut alij Regentes, tametſi nulla lectio legenda ad ipſum pertineat. Debet etiam habere librum Regiſtri, in quo præſcribat continuate ſeriem Officialium, atque ſtudentium omnium, eorumque receptiones & remiſſiones: nec non ordinationes editas, circa ſtudium. Et hæc omnia confirmata fuerunt Romæ 1571. Barcinone 1574. & iterum Romæ 1580. vbi fuit additum: quod quamvis præcipuo Prælato Conventus, primus locus in ſedendo conveniat, in proponendis tamen, examinandis, recipiendis, & nominandis Studentibus convenit ipſi Regenti, cui etiam à Definitorio commemorati Capituli hoc fuit conceſſum, & tributum.

Item declaramus Romæ 1571. ordinat. 4. ordinatum fuiſſe, vt Regentes, Baccalaurei, Magiſtri Studentium, alijque Lectores, illi fiant; non qui ſunt maiores natu, ſed qui ad diſcipulos edocendos ſunt aptiores: nec pro his officijs ad determinatum tempus ſunt aſſignandi, ita vt illi in primis, qui in hoc docendi munere fuerint egregij, etiam Prælaturæ cauſa, a ſtudio non removeantur. Et hoc fuit confirmatum Barcinonæ 1574. Romæ 1580. & iterum Romæ 1589. In quo vltimo Capitulo ſub pœna excommunicationis præceptum fuit, vt omni peculiari affectu depoſito, non niſi idonei ad hæc exercenda litterarum officia eligantur. Item declaramus Neapoli 1600. fuiſſe ordinatum, vt nullus fiat Magiſter Studentium, qui non legerit curſum Artium, & ad legendam Theologiam idoneus per examinationem præviam non fuerit iudicatus. Ad legendum autem Logicam, Philoſophiam, & Metaphyſicam, nullus admittatur, niſi per tres annos eaſdem diſciplinas audierit, & per tres alios curſum Theologiæ confecerit, atque inſuper à Theologiæ Lectoribus, & Magiſtro Studentium aptus ad tale officium fuerit iudicatus.

Item declaramus Barcinonæ 1564. fuiſſe ordinatum, vt nullus admittatur ad legendam Theologiam, niſi prius artibus ſtuduerit, curſu non interpolato ſed continuato, ab ipſa Dialectica ducto exordio. Item declaramus, quod tempus habendarum lectionum, Romæ 1571. ſic fuit ſtatutum: Ordinamus, quod ſaltem decem menſes quotannis ad lectiones habendas conſtituantur: & neque ſtudentes, neque Lectores ad prædicandum mittantur; ſed in ſtudijs omne tempus conſumant, niſi quandoque aliter ipſe Prior Provincialis iudicaverit. Quod etiam fuit confirmatum Barcinonæ 1574. & Valliſoleti 1605. fuit ordinatum, vt nulla ratione intermittantur lectiones, & litterariæ exercitationes, a Feſto Sanctæ Crucis, vſque ad Feſtum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, exceptis hebdomada ante Adventum, & duabus hebdomadibus ante Quadrageſimam: ſummodo eo etiam tempore ſingulis diebus vna lectio habeatur. A Dominica autem in Ramis Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis, ceſſare poterunt omnia. Et Romæ 1601. & Valliſoleti 1605. fuit ordinatum, vt Lectores Artium tempore Quadrageſimæ non poſſint concionari: ita vt ob conciones habendas conſuetæ lectiones omittantur; & quod ambo

Theo-

Theologiæ Lectores eodem tempore concionibus non dent operam, ſed ſemper alter eorum, ſit qui in legendi munus incumbat. Item in vtroque Capitulo ordinatum fuit, vt quotidie lectionum omnium quæ habentur, concluſiones fiant, (quæ Circuli vulgari nomine appellari ſolent) niſi actus magis principalis impedimentum afferat.

V.

Bona Fratris defuncti, qnod ad illa, quæ ab aliqua Prouincia, vel Conuentu habuit, ſint illius: quæ vero aliter acquiſiuit, ſint Conuentus, cuius eſt filius; ſi in alio Conuentu non eſt aſſignatus in perpetuum, ſed ad tempus propter ſtudium, vel officium aliquod. Quæ vero hæreditario iure obtinuerit, vel ei obuenerunt, erunt Conuentus ſui originalis; *h* etiam ſi alterius Conuentus factus ſit filius. *i* Si vero eſt aſſignatus in aliquo Conuentu ſimpliciter, ac pro tali ibidem præſentialiter receptus: & Conuentus ille conſueuit (prout tenetur) prouidere talibus de toto victu, veſtitu, & alijs huiuſmodi, tam tempore ſanitatis, quã infirmitatis: diuident hæc taliter acquiſita mobilia, æquis portionibus, inter Conuentum in quo eſt aſſignatus, & Conuentum cuius eſt filius. Alioquin quarta pars tantum erit Conuentus, in quo ſimpliciter eſt aſſignatus; immobilia vero non hæreditario iure obuenientia, ſemper erunt Conuentus, cuius eſt filius.

V I.

In vtroque autem caſu (ſiue aſſignetur ſimpliciter, ſiue ad tempus) Conuentus cui aſſignatus fuerit, & ipſe eidem Conuentui ad ſuffragia teneatur. Si autem ex quo alij Prouinciæ aſſignatus fuerit, ipſum mori contingat: *k* antequam certo Conventui deputetur; Prior

eiuſdem Prouinciæ prouideat eidem de Conuentu, qui ſibi ad ſuffragia teneatur, ne conſuetis defunctorum ſubſidijs defraudetur.

h Etiam ſi alterius Conventus factus ſit filius.) Declaramus in Capitulo Romano 1542. ordinatum fuiſſe, ne filiationes intra eandem Provinciam ex vno Conventu in alium transferantur; niſi præcedente conſenſu Provincialis, & maioris partis Capituli eiuſdem Conventus. Et in Capitulo Romæ 1553. ordinatum fuit, vt non fiant niſi ex conſenſu maioris partis omniũ in Conventu præſentium Fratrum nativorum vtriuſque Conventus reſpectivè, congregatorum ſimul in Capitulo: & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane, præterquam in Provincijs Græciæ, Terræ Sanctæ, & cæteris deſolatis. Et hoc fuit confirmatum Romæ 1558. & fuit additum: quod huiuſmodi translationes filiationum non fiant niſi ex conſenſu Provincialis. Idem habetur Avenione 1561. Bononiæ 1564. Et poſtea Romæ 1580. ſic dicitur: Ordinamus, quod in poſterum non fiant in Ordine noſtro translationes filiationum ex vno Conventu in alium, niſi per vota ſecreta. Nolumus autem Prælatos poſſe recipi tamquam filios in illis Conventibus, quorum ſunt Prælati, quamdiu funguntur prælationis officio etiam ſi habuerint omnia vota. Quod Venetijs 1592. fuit confirmatum, declarando, hanc ordinationem vim ſuam habere etiam apud Vicarios Domorum. Tandem Romæ 1601. ordinat. 29. ex Clementis VIII. Decreto, huiuſmodi filiationum tranſlationes fuerunt omnino prohibitæ.

i Si vero eſt aſſignatus.) Declaramus, quod hæc recens Conſtitutio in hoc vſu verſatur; quod ſi quis Frater in aliquo Conventu ſimpliciter aſſignatus ſit, bona omnia poſt eius mortem apud ipſum inventa, quæ vivens ab alio Conventu non habuit, in duas partes dividantur: quarum altera datur Conventui originali illius, altera vero Conventui, in quo moritur aſſignatus. Et Barcinonæ 1574. ſic ſtatutum fuit: Declaramus, & declarando omnino præcipimus, vt in diſtributione bonorum defuncti Fratris, ſervetur Conſtitutio: videlicet, ſi contingat, vt aliquis non ſimpliciter, ſed ad tempus tantum cauſa ſtudij, vel alicuius officij aſſignatus moriatur; ex vi Conſtitutionum

Diſtinctione 2. Cap. 14. bona eius ſint illius Conventus, cuius erat filius: vt ſæpe contingit de Fratribus, qui ex ſuo originali Conventu, vel ex alio, in quo ſunt ſimpliciter aſſignati, ad Prioratus aſſumuntur. Declarantes, quod ſi quis profeſſus Conventus, fiat poſtea ex conceſſione Magiſtri Ordinis filius alterius Conventus; bona immobilia ad Ordinem ſpectantia per talem Fratrem, debent ad primum Conventum pertinere. Bona vero mobilia erunt ſecundi Conventus, ad quem aggregatus eſt, ſi in eo aſſignatus moriatur; ſicut fuit ordinatum Peruſij 1478. ordinat.11. Si quis autem Frater vnius Provinciæ moriatur in alia Provincia, dimidia pars bonorum, quæ ibi acquiſivit, pertinebunt ad eam Provinciã, in qua moritur: dimidia vero ad ſuum Conventum originalem, niſi Magiſter Ordinis aliter ordinaverit; ſicut fuit declaratum Venetijs 1387. Et in Capitulo Romano 1530. facta fuit infraſcripta declaratio circa acquiſitionem bonorum à Fratribus defunctis relictorum: quod ſerventur Conſtitutiones in his, de quibus ipſæ plane, & aperte loquuntur; quemadmodum de his qui ſunt aſſignati in Conventibus, & Provincijs. De his autem qui commorantur extra Conventum, nullam habentes aſſignationem à Provinciali, aut ſunt extra Ordinem; omnino declaramus, dimidiam partem ſuorum poſt eorum mortem ad Magiſtrum Ordinis, dimidiam vero ad Provincialem pertinere.

k Antequam certo Conuentui deputetur.) Declaramus, quod ſi quis Frater, vel verbo, vel ſcripto, alicui Conventui aſſignetur dicendo: Ex nunc, prout ex tunc, ſive præſentem, ſive abſentem, aſſigno tali Conventui; ſtatim valet aſſignatio, & Frater ille ad hunc modum aſſignatus, & eius bona ad illum Conventum pertinent, cui ſic aſſignatus eſt; non autem ad illum cui prius aſſignatus fuerat: ſive ipſe antequam recedat à Priore illo Conventu, ſive in itinere, ſive intra Provinciam, ſive extra illam moriatur. Si vero aſſignetur alicui Conventui iuxta communem formam, dicendo videlicet: Tenore præſentium deputo, atque etiam aſſigno tali Conventui: tunc non valet aſſignatio, donec litteræ exhibitæ fuerint aſſignato. Et propterea ſi mors ei contingat antequam in eius manus pervenerint, ſpectabunt bonà illius ad Conventum, in quo prius erat Conventualis: non ad alium; cui fuit poſtea aſſignatus; ſicut fuit declara-

ra-

ratum apud Toloſam anno Domini 1328.

V I I.

l CIrca eos autem, qui ſtudent, taliter diſpenſetur a Prælato : ne propter officium, vel aliud, de facili a ſtudio retrahantur, vel impediãtur. *m* Locus vero proprius ſecundum quod Magiſtro Studentium videbitur, ſtatuatur ; in quo poſt diſputationem, aut Veſperas, vel etiam alio tempore, prout vacauerit ; ad dubitationes, vel quæſtiones proponendas, vel collationes faciendas, ipſo præſente conueniant. Et vno quærente, ſiue proponente; alij taceant: ne loquentem impediant. Si quis autem inhoneſte, vel confuſe, vel clamoſe, vel proterue quærens, vel proponens, vel reſpondens, offenderit ; ſtatim ab eo, qui tunc inter eos præeſt, corripiatur. Cellæ, quibus Magiſtro Studentium expedire videbitur, aſſignentur. *n* Quod ſi quis infructuoſus in Studio inueniatur, cella eius detur alteri, & ipſe in alijs officijs occupetur. In cellis vero ſcribere, legere, orare, dormire, & etiam de nocte vigilare ad lumen poſſunt, qui volunt propter Studium.

i Circa eos autem, qui ſtudent, taliter diſpenſetur a Prælato.) Declaramus, quod Præſidentes eorum Conventuum, in quibus eſt ſtudium, ſtudentes omnes, qui ad eos mittuntur, debent benigne recipere, & liberaliter, humaniterque eos tractare: & gratias omnes, immunitates, & privilegia a Conſtitutionibus, vel a Magiſtrs Ordinis, ſive a Generalibus, vel a Provincialibus Capitulis eis conceſſa, vel in poſterum concedenda; eiſdem cum omni integritate ſervare: alioquin a Provincialibus, vel Viſitatoribus debita pœna plectantur; ſicut fuit ordinatum Romæ 1292. & Viennæ 1282. & Cæſarauguſtæ 1309. & Metis 1313. Declaramus, quod etiam Studentes Generalium Studiorum, diebus Dominicis,

cis, & Feſtis ſolemnioribus, ſub officio Toto Duplici celebratis, tenentur ad Chorum accedere: atque ibi Horas Canonicas perſolvere, & Miſſam Conventualem decantare; niſi tamen ipſi ijſdem diebus in actibus ſcholaſticis exerceantur. Ad Completorium vero, & ad Miſſam quotidie debent accedere.

Item etiam ſemel in Anno ad hebdomadariam, & ad lectionem menſæ notandi ſunt. Et vt Studentes non diſtrahantur a ſtudio, non poſſint Præſidentes Conventum Fratribus ſtudio aſſignatis dare licentiam egrediendi extra terminos ſuorum Conventuum, ſine Prioris Provincialis, vel eius Vicarij peculiari licentia; ſicut fuit declaratum Argentinæ 1307. Paduæ 1308. & Cæſarauguſtæ 1309.

m Locus vero proprius, ſecundum quod Magiſtro Studentium videbitur ſtatuatur.) Declaramus, quod Magiſter Studentium, frequenter Studentes præcipue iuniores, convocare debet, eoſque examinare ſaltem ſemel in hebdomada circa quæſtiones, & lectiones illas, quæ eis per hebdomadam fuerint explicatæ. Studentes autem cuiuſcumque facultatis, teneantur aſſidue ſequi ſcholas, & diſputationes, collationes, tum publicas, tum privatas: repetitiones, aliaſque ſtudiorum exercitationes non omittere; ſed in his omnibus diligentiſſime verſari. Qui in aliquo fuerint negligentes, a Magiſtro Studentium accuſentur, & a Prælatis æqua pœna plectantur. Debent etiam Viſitatores in ſuis Viſitationibus diligenter inquirere, quid, & quas lectiones in anno legerint, & quoties diſputaverint, & an Priores ſtudium propagaverint, & quomodo in ſtudia Fratres incubuerint: & hæc omnia nunciare debent Priori Provinciali, vt eos, qui negligenter ſe geſſerint, graviter puniat; ſicut fuit ordinatum apud Montem Peſulanum 1265. Ianuæ 1305. & Metis 1313.

n Quod ſi aliquis infructuoſus in ſtudio inueniatur.) Declaramus, quod Priores Provinciales non debent ad ſtudium mittere Fratres inſolentes, & moleſtos; ſed modeſtos potius, & Religioſos. Eos autem, quos invenerint in prædictis erraſſe, atque in ſtudijs non profeciſſe; teneantur a ſtudio revocare, ſicut fuit ordinatum Pariſijs 1256. apud Peſtum 1273. ordinat. 1. Cadurci 1319. & Carcaſſonæ 1342.

Nul-

V I I I.

o NVllus fiat publicus Doctor , nec diſputet , niſi de licentia Prioris Prouincialis , & Definitorum Capituli Prouincialis . Nec aliquis habilitetur , ſeu aſſignetur in aliqua Vniverſitate ad legendum pro forma , & gradu Magiſterij in Theologia ; niſi ſit ſufficiens ad lecturam huiuſmodi ſolemniter perficiendam . Nec aliquis fiat Magiſter in Theologia (Romæ 1542.) qui non ſit ætatis ad minus triginta annorum , & niſi ſit ſufficiens ad hoc , vt ſit Regens in aliquo ſtudio Generali , vbi viget in veritate ſtudium Theologiæ . *p* Iudicetur autem ſufficientia hæc (niſi ſit manifeſta) per examinatores , qui abſolute referant : eſt vel non eſt iudicio noſtro ſufficiens ad legendum ſolemniter ſententias ; vel vt ſit Regens in ſtudio , vbi in veritate viget ſtudium Theologiæ . Et nihilominus *q* per ſuæ Prouinciæ Prouinciale Capitulum , vel illius Definitorium ſit expoſitus : & a Magiſtro Ordinis, vel Capitulo Generali tantummodo aſſignari , vel licentiari poſſit ,

I X.

SI quis autem abſque dictæ ſufficientiæ iudicio Baccalaureatus , vel Magiſterij in Theologia gradum , etiam cum licentia Magiſtri Ordinis , vel Capituli Generalis aſſecutus fuerit , pro non Baccalaureo , vel Magiſtro habeatur in noſtro Ordine in omnibus , & per omnia . Dantes facultatem cuilibet Definitorio , conſcio notorie de inſufficientia promoti ſibi ſubditi , abſque iudicio , vel examine ſuæ ſufficientiæ hic ſtatuto ; quod decla-

clarent ipſum pro non promoto in noſtro Ordine habendum. Poterit tamen Magiſter Ordinis; ſi aliquem talem aſſignatum impediri contigerit; loco eius illum deputare, cuius actus valeant pro forma, & gradus Magiſterij: dummodò per ſequens Capitulum Generale fuerint approbati.

o Nullus fiat publicus Doctor, nec diſputet, niſi de licētia Prioris Prouincialis.) Declaramus, quòd Conſtitutio publicum Doctorem ſtatuit eſſe illum, qui eſt principalis Lector: huiuſmodi autem principales Lectores non debent Lectoratum cuiuſcumq. facultatis obtinere; niſi à Priore Prouinciali, & a Definitoribus idonei ad tale officium fuerint iudicati. Et debent quotidie, vel ſaltem quaternas in ſingulis hebdomadibus lectiones habere, niſi forte legitime fuerint impediti: alias omnibus gratijs Lectorum ſint eo ipſo priuati, ſicut fuit ordinatum Narbonæ 1394. ordinat.3.

p Iudicetur autem ſufficentia hæc, (niſi ſit manifeſta,(per examinatores.) Declaramus, quòd in qualibet Prouincia, & Congregatione ſeu Vicaria Ordinis noſtri, debent a Prouinciali, vel a Vicario ex conſilio Patrum (quorum omnium conſcientias oneramus) inſtitui iudices docti, & Dei timore affecti; qui promouendos ad gradus examinare debeant, ſicut fuit declaratum Romæ 1546.

Item declaramus, quòd nullus promoueri poteſt ad aliquem gradum, vel officium, vtpote Prædicaturæ, Lectoratus, Magiſterij Studentium, Baccalaureatus, Magiſterij ſacræ Theologiæ, niſi prius genuflectens coram Prouinciali, vel Præſidente Conuentus fidei Profeſſionem fecerit: iuxta Bullam Pij Papæ IV., & Capitulum Valliſoleti 1605. ordinat. 4. De cuius fidei profeſſione fidem per litteras authenticas debet recipere: & ſi ſecus factum fuerit, collatio illius gradus vel officij nulla erit, ſicut fuit ordinatum Neapoli 1600. ordinat.2.

q Per ſuæ Prouinciæ Prouinciale Capitulum, vel illius Deffinitorum ſit expoſitus. Declaramus, in Capitulo Romano 1580. fuiſſe ordinatum, vt nullus promoueatur deinceps ad Magiſterium ſacræ Theologiæ, vel ad Baccalaureatum, niſi ſuæ

Prouinciæ petitionem habeat: qua etiam habita, non niſi rigoroſa examinatione per quinque examinatores, & per vota ſecreta, ad gradus huiuſmodi admittatur. Quod fuit confirmatum Romæ 1583. & 1589. & fuit additum; quod ſi ſecus ex quacumque cauſa fiat, tanquam non factum habeatur. Et quod qui falſo petendo Prouinciæ nomine gradum quemcumque obtinuerint, cum vere Prouincia non petierit: inhabiles fiant ad nunquam huiuſmodi gradum obtinendum. Petitio autem non ſolum a Prouinciali, ſed etiam a Definitorio fieri debet. Et in eodem Capitulo Romano 1589. fuit ordinatum, vt in Graduatorum, vel Prædicatorum Generalium petitionibus, ſemper exprimatur, quibus in locis, & quot annos illi qui petuntur, lectioni, aut prædicationi operam dederint. Et declaratum fuit, vt quotieſcumque litteræ patentes pro Magiſterio conceduntur, ſemper clauſula illa generalis (ſaluis ſuæ Prouinciæ iuribus) intelligenda eſt, etiam ſi in ipſis litteris non exprimatur: ita vt generales clauſulæ, quæ videntur facere in oppoſitum, nulli ſuffragari debeant: niſi fiat peculiaris mentio de priuilegiora derogatione pro illa vice. Et Romæ 1601. ordinatum fuit, vt ſi conceſſæ fuerint alicui litteræ patentes, ſubreptitiæ, teſtificantes eum legiſſe, vel egiſſe alia huiuſmodi, & earum vigore litterarum gradum aliquem fuerit conſecutus, talis gradus a Prouinciali Capitulo non admittatur. Et hoc eidem fuerit etiam ordinatum de Prædicatoribus Generalibus, atque amplificatum etiam ad eos qui falſam informationem Generali Capitulo, vel Magiſtro Ordinis exhibuerint; quos ſuis officijs priuari, & ad ea inhabiles declarari debere decretum eſt. Quæ ſane ordinatio fuit confirmata Valliſoleti 1605., & Romæ 1608. Et Valentiæ 1596. fuit confirmatum, id quod de promouendis ad gradus dictum eſt: ſed Valliſoleti 1605 explicatum eſt non eſſe intelligendum de Baccalaureis, & Magiſtris, qui ſua legendi munera exercuerint, ad tempus præſcriptum à Conſtitutionibus noſtris. Item declaramus Romæ 1571. ordinatum fuiſſe, vt in quolibet Conuentu, vb viget Studium Generale, Magiſtri omnes; etiam actu non legentes, votum habeant in receptione ſtudentium formalium, vel quorumcumque aliorum Fratrum, qui in ſtudia admittuntur: tum & in remiſſione eorumdem ſtudentium, quando eos ad ſuos Conuentus reuerti oportuerit; quod fuit con-

confirmatum Barcinonæ 1574. cum hac tamen conditione, quòd eorum examinationi, diſputationique interſint.

q Et à Magiſtro Ordinis, vel Capitulo Generali tantummodo aſſignari, vel licentiari poſſit.) Declaramus, quod licet Prior Prouincialis, vel Prouinciale Capitulum poſſit Fratres omnes aſſignare, & aliquos ad legendam Theologiam conſtituere; etiam tanquam Lectores principales noſtrorum Conuentuum, in quibus non viget Studium Generale: (dummodo non vt Magiſtri legant, vel doceant;) non tamen poſſunt Fratrem aliquem reddere habilem ad gradum Baccalaureatus, aut ad legendam Theologiam pro gradu, & forma Magiſterij: quoniam huius rei poteſtas in Definitoribus Generalibus conſtituta eſt. Neque habilitas huiuſmodi debet concedi alicui, qui ſaltem per tres annos Theolog. in aliqua Vniuerſitate non ſtuduerit, & per quatuor annos artes non legerit: ſicut fuit declaratum Romæ 1546. & 1583. Auenione 1561. & Bononiæ 1564. & tandem a Prouinciali Capitulo non fuerit expoſitus Capitulo Generali. Poſtquam autem legerit, & actus Baccalaureatus pro gradu, & forma Magiſterij perfecerit; non poterit fieri habilis ad Magiſterij gradum, ipſumque Magiſterium ſuſcipere, niſi eius lecturam, ac ſcholaſticos actus, quos per quatuor annos exercuit; Generale Capitulum, vel Magiſter Ordinis approbauerit. Oppoſitum vero faciens eo ipſo eſt excommunicatus, atque officijs & gratijs Ordinis, & cunctis exemptionibus in perpetuum priuatus. Neque cum eo poteſt diſpenſari, niſi per Generale Capitulum: non obſtantibus priuilegijs, gratijs, & Conſtitutionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie quibuſvis Fratribus, Prouincijs ſeu locis, conceſſis, aut concedendis ſub quauis forma, & expreſſione verborum: quemadmodum Bonifacius IX. decernit in Bulla. Et ſicut pariter ordinatum fuit Londonis 1263. Coloniæ 1428. Venetijs 1437. Sauiliani 1439. apud Montem Peſulanum 1456. Peruſij 1478. Romæ 1481. & Cenomani 1491. in quibus locis ſic dicitur: Ordinamus, quod nullus Frater promoueatur, vel fiat habilis ad Baccalaureatum, ſiue ad legendum pro forma, & gradu Magiſterij: niſi prius a Definitoribus Capituli Prouincialis ſuæ Prouinciæ tanquam idoneus, Generali Capitulo fuerit exhibitus. Et poſtquam lecturam ſuam, aliis

que actus ſupra iam poſitos perfecerint, non poſſit ſuſcipere Magiſterium, niſi de licentia Magiſtri Ordinis, qui lecturam eius approbauerit. Declarantes eſſe irritum, & inane quidquid in contrarium fuerit attentatum.

X.

NEque aliquis Magiſtretur in Theologia, *r* niſi prius actus exercuerit pro forma, & gradu prædicti Magiſterij, per quatuor annos ad minus *ſ* in aliqua Vniuerſitate: oppoſitum autem faciens eo ipſo ſit excommunicatus, atque omnibus gratijs, & officijs Ordinis, & exemptionibus perpetuo ſit priuatus: nec ſecum diſpenſari valeat, niſi per Capitulum Generale. Nullus Frater noſtrorum legat in Prophetis, vel in Pſalmis alium ſenſum litteralem, niſi quem Sancti PP. approbant, & confirmant. *t* Libri Ordinis, vel Fratrum non vendantur, niſi prætium eorum in alios libros, vel ſcripta conuertatur.

r Niſi prius actus exercuerit.) Daclaramus in Cãpitulo Romano 1546. ordinat. 9. ordinatum fuiſſe, vt nullus promoueatur ad Magiſterium, niſi per quatuor annos Sententias legerit, & in Generali, aut Prouinciali Capitulo Theologicas concluſiones publice defunderit; exceptis his, qui ſua ſcholaſtica munera exercent in Studio Pariſienſi. Quod fuit confirmatum Romæ 1558. confirmat. 13. & fuit additum, quod Sententias per illos quatuor annos debet legere in aliqua ex deſignatis Vniuerſitatibus, Studio Louanienſi excepto: in quo ſicut, & in Pariſienſi, promouendi ad gradus conſueta exercitia ab Vniuerſitate ſtatuta ſeruare debebunt.

ſ In aliqua Vniuerſitate.) Declaramus, quod in Capit. Salmaticenſi 1551. & ſubinde Romæ 1553. & 1558. & Auenione 1561. determinatæ fuerunt Vniuerſitates, in quibus actus Scholaſtici modo explicati exercendi ſunt; & extra quas in eiſdem actibus ſe exercentes, ad gradus non ſunt admittendi.

Sunt

Sunt autem infraſcriptæ.

In primis Conventus noſter Pariſienſis.

In Prouincia Hiſpaniæ Conuentus Salmantinus, Valliſoletanus, Segouienſis, & de Taianos. Item Collegium ſancti Gregorij Valliſoleti, & Complutenſe, & Collegium Toletanum Sancti Petri Martyris erectum in Vniuerſitatem, Romæ 1583.

In Prouincia Toloſana Conuentus Burdigalenſis.

In Prouincia Franciæ, Conuentus Bituricenſis, & Rhemenſis.

In Provincia vtriuſque Lombardiæ, Conventus Bononienſis.

In Provincia Romana, Conventus Peruſinus, & Collegium Romanum.

In Provincia Regni, Conventus Neapolitanus Sancti Dominici.

In Provincia Theutoniæ, Conventus Colonienſis, Romæ 1553.

In Provincia Provinciæ, Conventus Aquenſis.

In Provincia Aragoniæ, Conventus Barcinonenſis, Valentinus, Cæſarauguſtanus, Luchentinus, & Illerdenſis, & Conventus Sancti Dominici in Inſula Maioricarum, (dummodo in eo ſint Lectiones, vna Artium, & duæ Sacræ Theologiæ, Romæ 1571.) & Conventus Calataiubij Sancti Petri Martyris, Romæ 1580. Collegia Dertuſenſe, Oriolæ, & Sancti Vincentij Cæſarauguſtanum.

In Provincia Dalmatiæ, Conventus Iadrenſis.

In Provincia Trinacriæ, Conventus Sancti Dominici de Panormo, & Conventus Sancti Dominici de Meſſana.

In Provincia Portugalliæ, Conventus Vlyſſiponenſis, & de Bello, & Eborenſis, & Coimbricenſis.

In Provincia Bethicæ, ConventusCordubenſis, Hiſpalenſis & Giennenſis.

In Provincia inferioris Germaniæ, Conventus Lovanienſis & Duacenſis.

In Provincia Sancti Thomæ, Conventus Andrienſis.

In Provincia vtriuſque Calabriæ Conventus Conſentinus.

In Provincia Sanctæ Crucis Indiarum, Conventus Civitatis Sancti Dominici.

In Provincia Sancti Iacobi de Mexico, Conventus Civitatis Angelorum.

In Provincia Sancti Ioannis Baptiſtæ de Perù, Conventus Civitatis Regum, & Conventus de Cuzco, Neapoli 1600. & Conventus Sancti Dominici Civitatis de la Plata, Romæ 1608.

In Provincia Sancti Domini-

ci Venetiarum Conuentus Patauinus.

In Prouincia S. Petri Martyris, Conuentus S. Euſtorgij de Mediolano.

In Prouincia Sancti Antonini de Nouo Regno, Conuentus Sanctæ Mariæ de Roſario, Ciuitatis de Sancta Fe, Romæ 1580. & Conuentus S. Dominici de Iunia.

In Prouincia Sancti Laurentij de Chile, Conuentus Sanctę Mariæ de RoſarioCiuitatis ſancti Iacobi.

In Prouincia Sancti Petri Martyris de Guaxaca, Conuentus Sancti Dominici de Oaxaca.

In Prouincia Aprutina Conuentus Aquilanus.

In Prouincia Occitana, Conuentus Toloſanus, & Aueniomenſis.

In Prouincia Ruſſiæ, Conuentus Leopolienſis.

In Congregatione Gallicana Conuentus Nannetenſis.

Denunciamus autem ſcholaſticos actus ſiue lecturas extra hos Conuentus, nequaquam in poſterum alicui ſuffragari ad gradum Magiſterij conſequendum; ſalua tamen Apoſtolica conceſſione, facta alijs Vniuerſitatibus quibuſcumque.

Et quia poſt præallegata Capitula, plures aliæ fuerunt erectæ Vniuerſitates per ſubſequentia alia Capitula Generalia: contigitque, quod aliquæ ex ijs Prouincijs nouiter inſtitutis: & erectis fuerunt incorporatæ, & vnitæ; proinde vnaquæque Prouincia gaudeat in qualibet Vniverſitate deſignata, iuribus, & priuilegijs, iuxta conſuetudinem, & praxim cuiuſcumque Prouinciæ reſpectiue.

t Libri Ordinis, vel Fratrum non vendantur, niſi pretium eorum in alios libros, vel ſcripta conuertatur.) Declaramus, quod cum Ordo noſter propter prædicationis officium, & propter ſalutem animarum fuerit ab initio principaliter inſtitutus; illa nos diligenter, ac ſollicite procurare debemus, quæ noſcuntur ad propagationem ſtudiorum, & profectum ſacræ ſcientiæ pertinere. Quoniam vero librorum copia, & ad hoc plurimum confert, & ad profectum incitat ſtudioſos: ideo Frater Aymericus Generalis quondam Magiſter Ordinis, in Capitulo Generali Patauij celebrato 1308. ordinat. 15. ex Definitorum conſilio, atque decreto: præcepit omnibus Prioribus, Supprioribus, Vicarijs, & Fratribus vniuerſis: vt libros, qui per mortem Fratrum, vel titulo donationis, aut legati; ſiue quocumque

alio

alio modo ad Conuentum peruenerint, vendere, diſtraere, alienare, pignorare, dare, vel concedere alicui ſimpliciter ad vitam nequaquam præſumant: ſed ad communem pertineant Bibliothecam: niſi forte Conuentus tales libros duplicatos haberet, vel iudicio Prioris, Supprioris, aut eorum Vicarij, ac Lectoris, & Bibliothecarij, communi Fratrum commodo, minus vtiles viderentur. In quibus caſibus vendi quidem poterunt: ſed eadem obligatione præcepti teneantur illorum pretium commutare libris vtilioribus, ac melioribus, vel ad celebrationem Diuinorum officiorum, vel ad ſimilia Bibliothecæ commoda. Verum ſi quidam libelli, vel quaterni, ſiue commentarij eſſent non magni pretij, & paruæ æſtimationis: poterunt a Priore ex dictorum conſilio, aliquibus Fratribus magis indigentibus, ad vſum concedi. Et eodem præcepto prohibuit Fratribus omnibus, ne vendant Theologicos libros perſonis extra Ordinem conſtitutis, ſine rationabili cauſa, & Prioris Prouincialis expreſſa licentia, qui autem contrarium fecerint a Superioribus acri plectantur pœna, donec totum prædictorum librorum prætium, ſine fraude reddiderint Conuentibus, ad quos prædicti Fratres, & libri pertinent.

Item declaramus; quod libri ex communi Bibliotheca non poſſunt extrahi ſine Superioris licentia, ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ: ſicut fuit ordinatum Valliſoleti 1605. confirmat. 10. & in Capitulo Romano 1608. confirmat. 5. ſtatutum fuit, vt in poſterum nullus liber typis excudi poſſit, niſi prius examinatus, atque approbatus fuerit a duobus, vel tribus Patribus in vnaquaque Provincia a Prouinciali, & Definitoribus Capituli Prouincialis conſtituendis: quibus ſub formali præcepto mandatur; vt totum librum diligenter perlegant, & examinent, atque perquirant: grauine, an abiecta ſcriptionis forma, & an de magni, an parui momenti re, ipſe liber compoſitus ſit. Declarantes non ſufficere, vt nihil contra fidem, aut bonos mores in ipſo contineatur, ſed talis eſſe debet, qui decori, atque honori Religionis noſtræ eſſe poſſit. Nec liber ſic quilibet examinatus, & approbatus imprimi poſſit in Italia, antequam Romam mittatur ad Magiſtrum Ordinis, vel eius Vicarium, vt ab eorum altero pariter approbetur: mandando ſub formali præcepto, ne in libro, poſtquam examinatus, correctus, &

approbatus fuerit eo modo quo ſupradictum eſt poſſit addi quidquam, vel detrahi, niſi illud iterum examinatoribus, & Superiori, quod ab eis approbetur, vel reprobetur, iterum oſtendatur. Et in Concilio Trident. *ſeſſion.* 4. *de editione, & vſum ſacrorum librorum,* ſic dicitur: *Nulli liceat imprimere, ſeu imprimi facere quoſvis libros, de rebus ſacris ſine nomine authoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primam examinati probatique fuerint ab Ordinario ſub pœna anathematis, & pœnis in Canone Concilij nouiſſimi Lateranenſis, appoſitis. Et ſi Regulares fuerint, vltra examinationem, & approbationem huiuſmodi, licentiam quoque a ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam ſuarum ordinationum. Qui autem ſcripto eos communicant, vel euulgant, niſi antea examinati, probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubiaceant, quibus Impreſſores: & qui eos habuerint, vel elegerint, niſi prodiderint authores; pro authoribus habeantur. Ipſa vero huiuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atque adeo in fronte libri, vel ſcripti, vel impreſſi authentice appareat: idque totum, hoc eſt, & probatio, & examen gratis fiat, vt probanda probentur & reprobentur improbanda.*

XI.

u NVlla ſcripta facta vel compilata a Fratribus aliquatenus publicentur: niſi per Fratres peritos, quibus Magiſter Ordinis, vel Prior Prouincialis commiſerit, diligenter fuerint examinata. Fratres extra Conuentus, quorum ſunt filij aſſignati ad tempus, (id eſt ad exercitium, ſeu officium certo tempore durans, & determinato) completo illo certo tempore, (ex quo ſunt abſoluti ab aſſignatione) intelliigantur aſſignati in Conuentibus, quorum ſunt filij, niſi Superior eos aliter aſſignauerit. Aſſignati autem ſimpliciter, nunquam intelligantur aſſignati in Conuentibus, quorum ſunt filij, niſi reaſſignentur. *x* Nullus ordinetur in Subdiaconum, niſi ſciat Grammaticam, ita quod ſciat latine loqui, & ſcribere

bere abſque falſa latinitate: & ſi eſt Subdiaconus, non fiat Diaconus ſi eſt Diaconus, non fiat Sacerdos. Prælatus autem quilibet exponens aliter aliquem, abſoluatur in pœnam ab officio, & per triennium omni officio Ordinis priuetur.

u Nulla ſcripta facta, vel compilata à Fratribus aliquatenus publicentur &c.) Declaramus, quod in Capitulo Metis 1313. ordinat. 9. ſic fuit declaratum: Inhibemus Fratribus ſtrictiſſime, ne tractatus, compilationes, ſeu commentarios editos, vel edendos, quouis modo extra Ordinem publicentur: quouſque ab eis, quibus Magiſter Ordinis id commiſerit, diligenter examinata fuerint, & correcta. Qui autem contrarium ſecerint, debita pœna plectantur; iuxta id, quod etiam apud Treuerim fuit ordinatum 1266. ordin. 6.

x Nullus ordinetur in Subdiaconum &c.) Declaramus in Capitulo Lugdunenſi 1536. innouatum fuiſſe: quòd nullus Frater promoueatur ad ſacros Ordines iuxta ſeriem Conſtitutionum noſtrarum, niſi ex conſenſu R. P. Prouincialis: qui nullum debet promouere, niſi omnia certa habeat de ætate, moribus, & eruditione Grammaticæ, & niſi a Priore, & Patrum conſilio exponatur, & præſentetur. In Capitulo quoq; Ianuenſi 1513. ordinat. 3. ſtatutum fuit, vt quilibet promotus ad ſacros Ordines, litteras habeat teſtimoniales, ſiue ab ordinante Epiſcopo, ſiue a Præſidente loci, ubi eſt ordinatus, acceptas, cum ſubſcriptionibus teſtium, qui ordinationi interfuerunt; quas ſi non habuerit, non permittatur exequi ſuſceptos Ordines. Et in Capitulo Bononienſi 1564. præceptum fuit omnia decreta communia Concilij Tridentini de ætate, vita, & moribus ordinandorum firmiter obſeruari: & fuit additum; vt nemo poſt ſuſceptionem Minorum Ordinum, ante elapſum annum ad maiores promoueatur. Nec Subdiaconus intra ſpatium alterius anni ad Diaconatum aſcendat, niſi ſit Miniſtrorum neceſſitas, quæ Patrum conſilio iudicetur ſufficiens cauſa vt aliter fiat: & ordinaturo Epiſcopo etiam referatur, & renuncietur: Item Barcinonæ 1574. ordinat. 18. fuit ordinatum, & Romæ 1580. confirmatum, quod Priores non poſſint mittere iuuenes ad ſa-

ſacros Ordines, niſi cantandi facultatem iuxta Religionis formam calluerint. Et Romæ 1589. ordinat. 2. authoritate Apoſtolica Prælatis omnibus ſub formali præcepto, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præceptum fuit: ne quempiam mittant ad Ordines niſi probatæ vitæ, & bonorum morum, & litteris ſatis eruditus ſit, & præſertim, niſi clarè, & diſtinctè legere ſciat, & ea, quæ legit benè intelligat. Quicumque verò alias ſacros Ordines ſuſceperunt, & diſtinctè legere neſciunt; decreto illo interdicuntur, & prohibentur in ipſis Ordinibus miniſtrare, quouſque didicerint: Prælatiſque ſub pœna abſolutionis ab officio eo ipſo incurrenda, mandatur, ne eos interim miniſtrare permittant. Verùm poſtea in Capitulo Veneto 1592. eadem Apoſtolica Authoritate ſic ſtatuitur: Declaramus, ab illa ſecunda ordinatione facta in Capitulo Romano 1589. ablatam eſſe excommunicationem: oneramus tamen conſcientias Prælatorum, vt nonniſi Fratres eruditos, & bonis moribus præditos dimittant ad ſacros Ordines ſuſcipiendos. Item in eodem Capitulo Romano 1589. ſub eodem formali præcepto, eademque cenſura Prælatis præcipitur; vt nullum dimittant ad Ordines, niſi prius per litteras fidem facientes, legitimè illis conſtiterit, eum legitima eſſe ætate: iuxta decreta ſacri Concilii Tridentini. Si autem poſt publicationem Conſtitutionis SS. D. N. Sixti V. contra male promotos, aliquos ante legitimam ætatem ad Ordines acceſſiſſe repererint eos in cenſuras, & pœnas in eadem Conſtitutione ſtatutas incidiſſe declarent.

CAP. XV.

De Conuerſi.

I.

a EOdem tempore ſurgant Conuerſi, quo & alij Fratres, & eodem modo inclinent. Cum ſurrexerint ad Matutinas dicant Pater noſter; & Credo in Deum: quod faciendum eſt ante primam; & poſt Completorium. In Matutinis dicto Pater noſter, & Credo in Deum, erigant ſe dicendo; Domine labia mea aperies &c. Pro Matutinis in profeſtis diebus, dicant viginti octo

Pa-

Pater noſter, & in fine tantummodo dicant Kyrie eleiſon. Pater noſter &c. quo dicto dicant, Per Dominum noſtrum &c. dicendo, Benedicamus Domino &c. In Veſperis vero quatuordecim Pater noſter, in alijs horis ſeptem Pater noſter dicant.

II.

IN feſtis autem novem lectionum, in Matutinis *b* quadraginta Pater noſter dicant: & hoc ſub ſilentio in Eccleſia, vel vbicumque fuerint. Loco Pretioſa, tria Pater noſter dicant. Pro benedictione menſæ, Pater noſter. Gloria Patri, &c. Poſt menſam pro gratijs, tria Pater noſter, Gloria Patri, &c. vel Miſerere mei Deus, qui ſciunt. *c* Indumenta tot habeant, quot cæteri Fratres, præter cappas: loco quarum habeant ſcapularia longa, & lata vſque ad iuncturam inter pugnum, & brachium; quæ etiam non ſint alba ſicut, & tunicæ, ſed ſimilis coloris cappis Clericorum.

III.

POſſunt, & breuia griſei coloris habere ſcapularia, ad menſuram ſcapulariorum noſtrorum. De ieiunijs, cibis abſtinentijs, culpis, & alijs omnibus, ſic ſe habeant ſicut, & Clerici: in labore tamen cum eis Prælatus poterit diſpenſare. Soli non vadant, ſed cum Socio Clerico, vel Conuerſo; Pſalteria non habeant, nec etiam aliquos alios libellos.

a Eodem tempore ſurgant Conuerſi, quo & alij Fratres.) Declaramus, quod Fratres Conuerſi, quoties recitant *Pater noſter*, perſoluendo etiam in ſuo modo Canonicas Horas, toties *Ave Maria* recitare tenentur; ſicut fuit declaratum apud Treuerim 1266. non tamen tenentur Fratres

X 4 Con-

Converſi perſolvere Horas Canonicas, quamuis profeſſi ſint, & ex eleemoſynis vivant: quia ad temporales, & corporales exercitationes recipiuntur, vt in ſudore vultus ſui veſcantur pane ſuo. Quapropter ſufficiet eis recitare *Pater noſter*, & Miſſam audire: ad Completorium tamen vel ſaltem ad ſalutationem Beatiſſimæ Virginis, niſi magna eos neceſſitas excuſaverit, quotidie debent accedere. Corrigendi etiam ſunt quando propter ſuas privatas devotiones opera communia, & publicas exercitationes prætermittunt. Quare in Capitulo Florentino 1284. ordinat. 7. & Pariſijs 1286. ordinat. 6. ſic fuit ordinatum: Ne Converſi torpeſcant otio, monemus Priores, eorumque Vicarios; vt curam adhibeant, quod in coquina, & ubique in omnibus externis occupationibus teneantur occupati: & cogantur addiſcere artem aliquam factivam Conuentibus vtilem; ſicut fuit ordinatum apud Toloſam 1372.

b Quadraginta Pater noſter dicant.) Declaramus, in Capitulo Salmanticen. 1551 authoritate Apoſtolica, ſic fuiſſe ſtatutum: Vt à tanta obligatione recitandi *Pater noſter*, ſubleuentur Conuerſi, tùm Fratres, tùm Sorores, qui potius ad corporalia munia pro communi vtilitate ſuſtinenda, quam ad alia officia exequenda recipiuntur: ſtatuimus; vt ad Matutinas loco viginti octo, vel quadraginta *Pater noſter*, ſingulis diebus ſiue trium ſiue nouem lectionum ſufficiant viginti quatuor: pro Veſperis duodecim, ad cœteras Horas ſeptem *Pater noſter* ſicut uſque modo ſeruatum eſt. Pro Pſalterio vero propter ſuffragia mortuorum, pro quingentis *Pater noſter*, recitentur centum quinquaginta; & pro Pſalmis Pœnitentialibus vbi centum habeant, ſufficiant viginti quinque. Et ad hunc modum Conſtitutiones in Cap. *de Suffragij mortuorum*, *& de Conuerſis* reformetur. Atque hæc ab omnibus obſeruanda ſunt, ac ſi haberent tria Capitula Generalia; nam ex authoritate Apoſtolica habent vim, & robur perpetuæ Conſtitutionis. Curent autem quam diligentiſſime Priores, & Præſidentes, ut grauem aliquem, & optimum Clericum ſtatuant Conuerſorum Magiſtrum: qui eos religioſa pietate, inprimis vero humilitate, ac obedientia imbuant; quod confirmatum fuit Valliſoleti 1605. confirm. 42.

e Indumenta tot habeant, quot cæteri Fratres.) Declaramus, quod Fratres Conuerſi tunicas albas, & ſcapularia nigra nequaquam vero alba, habere debent: ſicut in multis Capitulis ordinatum fuit, & præcipue apud Montem Peſulanum 1294. ordinat. 8. Debent etiam Fratres Conuerſi recipi in Capitulo Clericorum, ubi ſine cantu recitandus eſt Hymnus, *Veni Creator Spiritus*: nec poſſunt fieri Clerici ſine licentia Magiſtri Ordinis. Quod ſi quis eorum Clericus fiat, debet ſuum tenere locum infra omnes, qui priuſquam ipſe Clericalem, Habitum ſuſceperunt; vt fuit ordinatum Biſuntij 1303. ordinat. 10. Si quis autem eſſet nobilis Laicus, litterum ingnarus, qui propter ſuam claritatem reciperetur ad Habitum Clericalem: iſte, non ad perſoluendas horas Canonicas, ſed ad recitanda *Pater noſter* teneretur; neç poſſet eligere, neque eligi, neque frui gratijs Clericorum præſertim ſi ei prænunciatum ſit non obligari officijs Clericorum. Quomodo autem Conuerſi admittendi non ſint ad Habitum Clericorum; & quomodo etiamſi admittantur fieri non debeant Sacerdotes: & tametſi fiant, a quo tempore vocem in electionibus poſſint habere, dictum eſt ſupra Cap. *de Recipiendis* pag. 74. & 196. Si quis autem Fratres Clericus eſſet facinoroſos, & ad Clericorũ officia ineptus; poſſet a ſuo Prælato (culpa id poſtulante) Habitu priuari; & gratijs Clericorum; & fieri Conuerſus; dummodo ad Sacros Ordines non eſſet jam promotus; ſicut fuit ordinatum Biſuntij 1303. & Narbonæ 1394.

Ordinationes, & Admonitiones factæ in Capitulo Generali apud Perpinianum celebrato, Anno Domini 1327.

CAP. XVI.
De certis detractionibus, & ſingularitatibus vitandis.

I.

a QVicũque in publica prædicatione, vel in communi coram ſecularium multitudine, vllo tempore ſummum Pontificem diffamauerit, vel ipſius proceſſus & facta, vel irreuerentiam notabilem fecerit; carcerali

rali cuſtodiæ mancipetur; nec inde liberetur, niſi per Capitulum Generale, & cogatur (ſi commode fieri poterit) in publico revocare. Qui autem in priuato poſtquam per teſtes legitimos conſtiterit, vel iudicialiter confeſſus fuerit; pœna grauioris culpæ puniatur: & niſi per Prouinciale Capitulum, vel per Priorem Prouincialem, de maturo conſilio diſcretorum cum eo minime diſpenſetur.

II.

EAndem pœnam incurrat, quicumque Preſidens vel Frater Conuentus, vel Prouinciæ, qui renunciauerit alicui priuilegio noſtro Ordini conceſſo, abſque Generalis Capituli aſſenſu; Sine cuius aſſenſu omnem huius modi renunciationem qualitercumque factam nullius volumus eſſe roboris, vel momenti. In quo ſimiliter caſu ſimilem pœnam incurrant, quicumque Præſidentes aut Fratres, ſiue Conuentus, qui ſine cauſa legitima, & vrgente litigauerint, aut appellauerint, contra Diœceſanos quoſcunque. Idem fiat de falſo accuſatore, vel teſte legitime conuicto, vel iudicialiter confeſſo, in materia prædicta. Prælati vero, qui in corrigendo huiuſmodi tranſgreſſores, inuenti fuerint negligenter, per Generale, vel Prouinciale Capitulum a ſuis officijs abſoluantur in pœnam; & præter hoc pœnis alijs grauius puniantur.

a Quicunque in publica prædicatione &c.) Declaramus, quod cum ex fauore, & gratia Prælatorum Ordo noſter ſummopere ſuam augeat, & dignitatem, & vtilitatem; valde illos venerari, colere, & officioſe obſeruare debemus, & nequaquam eis vnquam detrahere, aut lites, vel controverſias illis inferre; ſed e contra ut eorum famam cuſtodiamus, ac tueamur diligentiſſime curandum eſt. Populum

pulum etiam in eorum obedientiam, ac reuerentiam debemus inducere, & nequaquam Laicos ab Eccleſiarum ſuarum frequentia, vel acceſſu auertere, ſicut in pluribus Capitulis ordinatum fuit. Qui autem oppoſitum fecerint, pœna grauioris culpæ debent puniri. Et ſi ſummo Pontifici publice detraxerint, debent carceri mancipari.

III.

ITem quicunque in noſtro Ordine inuenti fuerint, *b* ſingularem vitam quocumq; modo vitioſam ducentes, & contra communem modum viuendi diu ab Ordine approbatum: primo moneantur, & ſi admoniti correcti non fuerint, ſeparentur; & in diuerſis Conventibus ponantur. Et ſi in eadem perſiſtant, per Priorem Prouincialem, vel ProuincialeCapitulum carcerali cuſtodiæ mancipentur. Item quicumque crimen comiſerit, pro quo in ſeculo pœna mortis deberet plecti, in carcerem retrudatur; pœnis alijs macerandus ibidem, plus, & minus ſecundum delicti, & perſonæ qualitatem, & circumſtantias alias alleuiantes, vel etiam aggrauantes: & niſi per Generale Capitulum non poſſit ab ipſo carcere liberari. Quod ſi ſecundo recidiuauerit, carceri perpetuo mancipetur.

b Singularem vitam quocunque modo vitioſam ducentes.) Declaramus, quod illi dicuntur ſingularem, & vitioſam vitam ducere, qui mercaturas exercent qui arti Alchimiæ ſtudent, & dant operam, qui aleis, & tax illis ludunt; qui concubinas tenent: qui Monaſteria ſine licentia intrant: Habitum Religionis noſtræ dimittunt, vel occultāt; qui venerationibus,& alijs exercitijs huiuſmodi frequenter incumbunt, quæ Religioſis ſunt prohibita: tales enim ſunt carceri mancipandi; ſicut in multis Capitulis ordinatum fuit.

Item

I V.

ITem volumus, quod ordinatio Capituli Burdigalenſis 1342. de mutationibus Fratrum ſeruetur, quæ eſt infraſcripti tenoris: Cum electiones noſtræ maxime libere eſſe debeant, & omni nota coactionis carere: diſtricte iniungimus Prioribus Prouincialibus, & quibuſcumque Vicarijs: quod *c* infra menſem ante electiones quaſcumque, nouas aſſignationes, & mutationes Fratrum non faciant in Conuentibus, in quibus electiones huiuſmodi fuerint celebrandæ, niſi pro officio Lectoratus, vel Prioratus, vel graui ſcandalo euitando; *d* vel niſi in Prouinciali Capitulo, vel in loco ipſius Prouinciali Capituli, ſicut in aliquibus Prouincijs eſt conſuetum. Quod ſi contrarium factum fuerit, huiuſmodi aſſignationes, vel mutationes (quoad priuationes vocis in Conuentu; de quo fiunt ipſæ mutationes, & quoad ipſam vocem in Conuentu, vbi fiunt aſſignationes) ſuum non ſortiantur effectum. Priores autem Prouinciales, qui in hoc inuenti fuerint exceſſiſſe, per Magiſtrum Ordinis, vel Definitores Generalis Capituli (cum legitime conſtiterit) a ſuis officijs in pœnam abſoluantur. Vicarij vero omni officio Ordinis vſque ad tres annos ſint priuati. Nec Fratres poſſint priuari vocibus eodem tempore, niſi ob cauſas in Capitulo de grauiori culpa contentas.

c Infra menſem ante electiones quaſcumque, nouas aſſignationes, vel mutationes non faciant.) Declaramus, quod vt ſupra dictum eſt Cap. 2. *de Electione Prioris Conuentualis* pag. 199. ex Conſtitutione Clementis VIII. duobus menſibus ante tempus electionis, nouæ aſſignationis, ac mutationes fieri non

non poſſunt. Cum autem tempus electionis ſit menſis, qui incipit a die, quo nota fuit carentia Prioris, ſequitur, vt per duos alios menſes, antequam iſte menſis electionis incipiat: tales mutationes, & aſſignationes fieri non poſſunt, Viennæ etiam 1282. & Burdigalæ 1287. & Bononiæ 1315. ordinatum fuit, ne a die, quo fuit nota carentia Prioris Prouincialis, vſque ad completum menſem, quod eſt tempus conſtitutum ad eandem electionem, aſſignationes & mutationes Fratrum non poſſint fieri.

Item declaramus, qnod ab anno 1504. quo per Bullam Iulij Papæ II. Priores tum Prouinciales, tum Conuentuales, redacti ſunt ad determinatum tempus, & iam in toto fere Ordine, hæc Bulla recepta eſt: ac proinde cum certo ſciri poſſit tempus vocationis, ſeu abſolutionis cuiuſcumque Prioris, fieri non poſſunt nouæ Fratrum aſſignationes infra duos menſes eandem abſolutionem, ſeu vocationem antecedentes, vt ſupra dictum eſt. Et de hoc admoniti fuerunt R. R. Prouinciales in Capitulo Romano 1601. ex Clementis VIII. Conſtitutione.

d Vel niſi Prouinciali Capitulo &c.) Declaramus, prædictam clauſulam ita intelligi, quod infra decem dies a Conſtitutione conceſſos propter Capituli celebrationem, talem Fratrum mutationes, & aſſignationes poſſunt fieri. Ante principium vero Capituli, vel poſt eius finem, mutationes huiuſmodi fieri non poſſunt. Quare ſi Prouincialis, vel eius Vicarius Generalis vltra illos dies poſt actorum publicationem quamlibet faciat mutationem, ipſa nullam habebit vim, neque vllum conſequetur effectum, vt fuit declaratum Brugis 1369. & Venetijs 1357.

V.

ITem ordinamus, & diſtricte prohibemus, ne fiat aliquis Prædicator Generalis, niſi maturus, & diſcretus; & ſufficientis litteraturæ; & qui conuenienter ſciat proponere verbum Dei, & qui ſit idoneus ad negotia Ordinis pertractanda: *c* nec numerum Conuentuum Prouinciarum excedant. Et non fiat aliquis in aliqua Prouincia habente numerum exceſſiuum, donec ad dictum numerum ſint

ſint redacti, Magiſtris in Theologia, & illius dumtaxat exceptis, qui ratione antiquitatis, vel infirmitatis ad Capitula Prouincialia venire non poſſunt. Quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.

c Nec numerum Conuentuum Prouinciarum excedant.) Declaramus, quod hæc Conſtitutio cum dicit Prædicatores Generales non debere excedere numerum Conuentuum: nomine Conuentuum, Vicariatus, & loca Ordinis non comprehenduntur; ſicut fuit declaratum Romæ 1589. declaration. 3. & confirmatum Venetijs 1592. declarat. 5. & Romæ 1612. confirmat. 3.

VI.

ITem, quod arceantur Priores, qui male aſſociant Fratres: debet enim ſaltem alter illorum eſſe claræ famæ, & ſufficientis ætatis, & de lingua patriæ, vbi hoc commode poterit obſeruari. Itē, quod *f* Fratres quando recedunt de Capitulis, per Superiores combinentur; ne vagando diſcurrant, ſed directe ad ſuos vadant Conuentus. Sciant omnes Fratres Ordinis noſtri, quod omnes Conſtitutiones prædictæ vim Conſtitutionum noſtrarum habent authoritate Summi Pontificis; non obſtante quod non habeant, niſi præſens Capitulum Generale, & omnes in fine Conſtitutionum noſtrarū integre conſcribantur.

f Fratres quando recedunt de Capitulis, per Superiores combinentur: ne vagando diſcurrant.). Declaramus, quod cum inutilis vagatio Fratrum perturbationes Ordini, ſcandala proximis afferat; & ex mala Fratrum conſocietate diſſolutiones, & inſolentiæ oriantur, & creſcant: decernimus, quod nemo omnium Fratrum, ſine licentia Magiſtri Ordinis ad Generale Capitulum, & ſine licentia Prioris Prouincialis ad Capitulum Prouinciale poteſt accedere; ſub pœna priuationis acti-

actiuæ, & paſſiuæ vocis per vnum annum. Quando vero e Capitulis, vel è Conuentibus redeunt, debent Superiores prudenter, & diſcrete alterum cum altero conſociare; & Fratres ad hunc modum conſociati, non ſe ſeparent, ita vt mutuo ſe videre non poſſint, ſed contra ſimul ambulantes, vt ſibi dare poſſint mutuum teſtimonium in quocumque loco, vel de quocunque negotio. Et ſi quos tranſgreſſores inuenerint, debent acrius, & ſeuerius corrigere, & punire. Debent etiam ipſi viatores literas teſtimoniales deferre, & Præſidentibus Conventuum ad quos declinauerint, exhibere: vel Præſidentes ipſi ab illis exigere, legere, & diligenter inſpicere. Si autem eas non habuerint, viatores acri pęna pleƈtantur: & voce per vnum annum priuentur: ſicut fuit ordinatum apud Montem Peſulanum 1294 Treuerim 1289. Placentiam 1310. & iterum apud Montem Peſulanum anno Domini 1316.

CAP XVII.

De Capitulo Biennali, vel Triennali.

CONſtitutio noua facta eſt, in Capit. Generali Florentino, celebrato 1374. de Capitulo biennali, vel triennali, authoritate Gregorij Papæ XI. vim Conſtitutionis habens, licet non fuerit, niſi vnum Capitulum Generale. Ideoque in Conſtitutionibus noſtris, cura Reuerendiſſ. P. Fr. Vincentij Bandelli Generalis Magiſtri editis, hoc Capit. 17. fuit inſertum: at quia in Capitulo Generali Auenione celebrato 1561. confirmat. 2. hoc Capit. deleri poſſe declaratum fuerat; in editione Conſtitutionum noſtrarum, Barcinonæ facta 1620. fuit omnino ſuppreſſum. Cæterum Patres noſtri in Capitulo Generali Romæ celebrato 1629. declarat. 2. ſanciuerunt, vt hoc Capit. quod in Conſtitutionibus noſtris Barcinonæ impreſſis omiſſum fuerat in ijſdem Conſtitutionibus reſtitueretur: hacque declaratione fulti, illud in hac Romana editione reſtituimus.

I.

a STatuimus, ſeu præſenti ſtatuto decernimus; quod Magiſter Ordinis, ſeu vices eius gerens, & Definitores Capituli Generalis, ſicut poſſunt ex cauſa legitima quoad

dinis ſubijci poſſunt. *ibidem* 2.
Apoſtatæ cenſeri debent, qui ad Ciuitates Hæreticas accedere præſumunt. 150. 2.
Apoſtatæ recepti ad Ordinem, mittendi ſunt ad illos Conuentus, in quibus non ita eſt maniſeſta illorum infamia. *ibid.*
Apoſtatæ etiam poſt decennium in Apoſtaſia elapſum redeuntes, à Prouincialibus recipi poſſunt. *ibidem* 2.
Apoſtatæ reuerſi ad Ordinem, pro criminibus in Apoſtaſia commiſſis, pari pœna plecti debent, ac ſi ea in Ordine perpetraſſent. 151. 2.
Apoſtatæ quem locum inter Fratres poſt ſuum regreſſum tenere debent? 152. 2.
Apoſtatis poteſt Prælatus indulgere pœnas poſitiuas, non autem privatiuas 154 1.
Apoſtatæ iterum recepti ad Ordinem, ante annos viginti, ad Prælationis Officium aſſumi non poſſunt. 156. 2 & 193. 2.
Appellationes Fratrum ab Ordinis punitionibus, gradatim ſunt faciendæ. 135 1.
Appellandi locum non habet electus, etiam à maiori parte Vocalium, ſi à Superiore ob aliquam cauſam non confirmetur. 189. 2.
Appellatio quænam intra Ordinem fieri prohibeatur? 247. 2.
Appellantes ſine cauſa, quomodo puniendi? *ibidem*.
Appellatio à correctione, vel abſolutione ab Officio, non valet. *Ibidem*.
Appellationes extra Ordinem fieri prohibentur. *ibid* 1.
Aquæ benedictæ aſperſio, dum dicantur *Salve* quo ordine facienda? 28. 1.
Arbitria, & judicia, non ſunt ſuſcipienda à Fratribus. 8. 2.
Arma inuaſiua ſuper ſe portare præſumentes, carcerali cuſtodiæ mancipandi. 133. 1.
Aſſerens Priorem ſuum non eſſe Priorem, quomodo puniendus? 127. 1.
Aſſignationes, & mutationes Fratrum, infrà Menſem, immo duos Menſes ante electionem fieri prohibentur. 198. 1. & 199. 1. & 214. 1. & 312. 2.
Aſſignationes doloſæ, & fictitiæ ſunt prohibitæ. 199. 1.
Aſſignati ex aliena Prouincia, poſt vnum annum habent vocem. 154. 1.
Aſſignationes verbo vel ſcripto factæ, attenta illarum diverſitate, efficiunt; vt bona Fratris defuncti, huic vel illi Conuentui debeantur. 313. 2.
Aſſignati propter Officium, illo expleto vbi cenſendi ſunt aſſignati? 324. 2.
Attentio actualis non requiritur ad recitandum Divinum Officium, ſed ſola virtualis. 22. 1.
Auctoritatem ſuper Conuentum aut Fratres, non licet committere alicui perſonæ, extra obedientiam Ordinis conſtitutæ. 205. 1.

B

Baccalaurei quem locum habeant? 251. 1.
Baccalaurei Ordinarii in ſtudiis Generalibus, quodnam ſit officium? declaratur. 306. 1.
Baccalaurei non poſſunt fieri Prædicatores Generales. 282. 2.
Benedictio in inchoatione Completorii ab Hebdomadario ſubiungi debet, poſt præmiſſum *Iube Domne*. 27 1
Benedictionem finito Completorio quiſnam debeat dare, præſertim cum ſint plures Prælati in Choro? *ibidem*.
Bibere extra horam valentes, à Prælato licentiam petant, & ſocium accipiant. 51. 1. & 54. 1.
Bombice, & canapo vti, arguit damnabilem contemptum 60 1.
Bonis temporalibus, qualiter Fratres vti debent? 84. 1.
Bona Fratribus conceſſa, quotannis in ſcripta redigenda, & Prælato ſunt præſentanda. *ibidem* & 86. 2.
Bonorum Conuentus adminiſtratores, quomodo ſeſe in adminiſtratione ſua gerere tenentur? 90. 1.
Bona immobilia, & annui reditus Fratrum particularium, Conuentibus applicanda ſunt. 92. 1.
Bona communia, ſine impedimento perfectionis, & paupertatis, à Religioſis retineri poſſunt 94. 1.
Bona Apoſtatarum pertinent ad illos Conuentus, in quibus fuerunt aſſignati, antequam apoſtatauerint. 152. 2
Bona immobilia Conuentuum, ſub pœna excommunicationis alienari non poſſunt. 165. 2
Bona Fratrum, qui continuo in Monaſteriis Monialium degunt, ad quos Conuentus ſpectant? 169. 1.
Bona Fratris defuncti, quomodo inter Conuentum cujus eſt filius, & illum in quo aſſignatus moritur diſtribuenda. 312. 2. & ſeq.
Bona Fratris in extranea Prouincia decedentis, partim illi Prouinciæ in qua mori-

moritur, partim natiuo Conuentui applicanda. 313. 1.
Bona extra Ordinem commorantium, ibique decedentium, inter Magiſtrum Ordinis, & Prouincialem defuncti, ex æquo diuidenda. *ibidem* 2.
Bona Fratris defuncti ad quem Conuentum pertineant, etiam ex diuerſitate aſſignationum, verbo vel ſcripto factarum iudicari poteſt. *ibid.*
Bona decedentium in Prouincialatu, ad quem Conuentum pertinent? 216. 2.
Bona Magiſtri, vel Procuratoris Ordinis, cui debentur? *ibidem*.
Bona immobilia Conuentum Obſeruantiæ, à Fratribus in ijs manentibus alienari non poſſunt. 177. 2.
Bona Prioris defuncti ad natiuum ejus Conuentum ſpectant. 44. 1.
Bulla Cœnæ Domini, in omnibus Prouinciis, & Conuentibus bis in Anno publicari, & in Sacriſtia affixa manere debet. 279. 1.
Bullas aliquas prædicare, ſub pœna Excommunicationis prohibemur. 280. 2.

C

Cameræ deputatæ pro infirmis; benè fulcite in ſingulis Conuentibus ſunt habendæ. 55. 1.
In Cameris, nec Priores Prouinciales, nec Magiſtri comedere debent. 51. 1.
Campanas plures in Eccleſijs noſtris habere poſſumus. 30. 2.
Campanula in elevatione Corporis Chriſti, aliquot ictibus pulſari debet. 31. 1. & 33. 1.
Campana ante prandium, & collationem paucis ictibus primò, deinde Cymbalum pulſari debet. 49. 2 & 53. 1.
Canapo ad carnem vti prohibemur. 60. 1.
Capillorum tonſura qualis eſſe debeat? 61. 2
Capitulum de culpis, tenendum ſemel in Septimana, vel in quindena. 235. 2.
Capitulum de culpis quare ſic nominetur? 236 1
Ad Capitula plures Fratres, ſine cauſa legittima duci non debent. 238. 2.
Capitula Prouincialia, de loco, ad locum, & quo ad tempus mutari non poſſunt: poſtquam Diffinitores ad Generale Capitulum fuerint profecti. 243. 2.
Capitula Prouincialia ſunt biennalia. 239. 1
Capitulum Generale, quando incipit, quo ad authoritatem, & ſolemnitatem? 260. 2. & ſeqq.
Ad Capitula tam Generalia, quam Prouincia, Fratres ſine licentia Magiſtri Ordinis, vel Prouincialis venire nequeunt, ſub pœna priuationis vtriuſque vocis. *ibidem* 1. & 334. 2.
Capitulo peracto Fratres reuerſuri, per Superiores prudenter alter cum altero conſociari, ac litteras teſtimoniales ſecum deferre debent, ſub pœna priuationis vocis. 334. 2.
Capitula biennalia, vel triennalia quomodo celebranda, prolonganda, vel acceleranda. 336. 2.
Capellani honoris Domini Papæ, aliorumque quorumuis Principum, nullam exceptionem habent ab obedientia, & correctione ſuorum Superiorum. 292. 2. & 342. 2.
Cappa debet eſſe breuior quatuor digitis ipſa tunica. 60 1.
Cappas deferre quando debemus? *ibid.*
Caputium Cappæ, cum ipſa Cappa debet eſſe conſutum. *ibidem*.
Caputium, & ſcapulare, à Miniſtris Altaris, ſemper ſub ſacris veſtibus deferendum. 61. 1.
Carcerali, cuſtodia, quibus criminibus debetur? 133. 1. & 148. 1.
Carceri mancipati quinam proprie intelliguntur? 134 1 & 156. 2.
Carcerati per ſententiam, ſine licentia Prouincialis, è Carceribus liberari nequeunt. 134. 2.
Carceres in omnibus Prouinciarum Conuentibus habendi. 136 1.
Carceratos ad exeundum, vel frangendum Carcerem adiuuantes ipſimet Excommunicationis, & grauioris culpæ pœnam incurrunt. *ibidem* 2.
Carcerari non ſunt ipſo facto bonis, & rebus ſibi conceſſis priuati. *ibidem*.
Carnes comedere intra Conuentum, quibus à Prælato diſpenſatio eſt concedenda? 55. 2.
Carnes comedere extra Conuentum, etiam infirmis non licet. *ibidem*.
Caſus reſeruati enumerantur, à quibus Regulares poſſunt abſoluere, & non abſoluere, ex Decreto Sac. Congregationis. 277 2. & ſeqq.
Caſus Epiſcopis quouis modo reſeruati, in Sacriſtia alicui tabulæ aſſignantur. 279. 1
Cathedrali Eccleſiæ inſeruientes, etiamſi munus Lectorum ibidem exerceant, carent voce actiua, & paſſiva. 196. 1.
A cauſis odioſis ſuſcipiendis, debent abſtine-

bus Capitulis continuis, plus, quam vna vice definire: & propter hoc in hoc Statuto dicitur; quod ille, qui vna vice ad prædictam Definitionem electus fuerit, ad eandem eligi immediate ſequenti vice non poſſit. Et dato, quod inter primam electionem Definitoris, & ſecundam electionem mediaret Definitio Prouincialium; adhuc ille, qui in prima electione fuit electus, non poterit in ſecunda eligi. Et poterit ſecunda electio dici immediate ſequens ad primam; quia inter ipſam, & primam nulla alia electio Definitoris mediat: cum Definitio Prouincialium non fit per electionem. Siue ergo inter duas electiones Definitorum, nulla alia Definitio media cadat, ſiue cadat media Definitio Prouincialium: non poterit ille, qui eſt electus in prima, poſtea eligi in ſecunda.

d Singulis annis nihilominus poſt Feſtum Pentecoſtes fiant Capitula Provincialia.) Declaramus, quod quando in initio Ordinis fiebant Capitula Generalia ſingulis annis, tunc etiam quolibet anno celebrabatur Capitulum Prouinciale: de quo plura declarata fuere ſupra Capit. 7. huius diſt. 2. quæq. ad declarationem huius Textus ſufficiunt.

CAP. XVIII.

Conſtitutiones D. Bonifacij Papæ IX.

I.

DEnunciamus D. Bonifacium Papam IX. Anno 1402. quinto Kalend. Maij, Pontificatus ſui Anno XIII. Conſtitutione edidiſſe, quæ per noſtrum Ordinē nequeunt immutari, tenoris infraſcripti. *a* Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, perpetua, & irrefragabili Conſtitutione ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus: quod de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus ex Fratribus Ordinis Prædicatorum, abſque licentia, ſeu aſſignatione Capituli Generalis, ſecundum morem eiuſdem Ordinis ad legendum pro forma, ſeu ad honorem Magiſterij in Theologia promoueri, vel gradu huiuſmodi Magiſterij fungi

fungi poſſit, aut debeat, niſi per dictum Capitulum fuerit approbatus vel promotus.

II.

Contrarium vero faciens eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrat. Et ſi per Capitulum prædictum reprobatus extiterit, pro non Magiſtro habeatur: Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, conſuetudinibuſque Prouinciarum, & locorum dicti Ordinis, necnon priuilegijs, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie, quibuſuis Fratribus, Prouincijs, ſeu locis, conceſſis, ſeu factis; aut concedendis, vel faciendis; ſub quauis forma, & expreſſione verborum (etiamſi de eis de verbo ad verbum habenda eſſet in præſentibus mentio ſpecialis & alijs contrarijs, non obſtantibus quibuſcumque; Non enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

a Authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetua, & irrefragabili Conſtitutione ſancimus &c.) Declaramus, a Sede Apoſtolica ſtatutum, atque ordinatum fuiſſe, vt nullus Frater Ordinis noſtri Baccalaureatus gradum poſſit aſſumere, niſi a Generali Capitulo ad illum aſſumendum fuerit promotus, & expoſitus, nec pariter gradum Magiſterij aſſumere poſſit, niſi eius lectura ab eodem Capitulo fuerit approbata, & ipſe ad Magiſterium aſſumendum fuerit expoſitus, & promotus. Et ſi ſecus factum fuerit, talium aſſumptio graduum ſit irrita, & inanis, atque aſſumentes eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Et hæc conſtitutio a noſtris Capitulis Generalibus approbata fuit: & renouata etiam Venetiis 1437. Peruſij 1478. Romæ 1481. & Cenomanis 1491.

III.

Item ſtatuimus, & ordinamus, quod *b* quorum

rumcumque Mendicantiũ Ordinum Fratres, huiuſmodi Prædicatorum Ordinis Fratres, aut Sorores ſubiectas eiſdem, in ipſorum, aut dictorum aliorum Ordinum Fratres, aut Sorores (etiam vigore quarumcumque litterarum Apoſtolicarum ſuper hoc hactenus forſan conceſſarum, vel in poſterum concedendarum, etiam quod ad parem, vel arctiorem tranſire poſſint Ordinem continentium, niſi in eiſdem de Ordinibus, ex quibus recedunt, & ad quos accedunt, & ad quos tranſferendi ſe licentiam obtinuerint, necnon de præſentibus, & earum toto tenore, ſpecialis, & expreſſa mentio habeatur) recipere non poſſint, aut debeant.

IV.

QVodque nullus ex Fratribus, & Sororibus Prædicatorum Ordini ſubiectis, aliquem, vel aliquam ex Fratribus, ac Sororibus huiuſmodi coram quocumque iudice, qui non ſit de dicto Ordine, ex quacumque cauſa conuenire, ſeu facere conueniri: nec a correctione quacumque, ſeu alias ab aliquo Prælato, ſeu Fratre dicti Ordinis, quauis occaſione appellare, aut contra eos querelam proponere (niſi prius coram Conuentuali, ſeu Prouinciali Priore, ſeu Magiſtro, & ſucceſſiue in Generali Capitulo dicti ordinis, cauſam, vel querelam ſuam propoſuerit verbo, vel inſcriptis) poſſit, aut debeat.

V.

QVodq; Ordinis Prædicatorum contra ordinis Minorum, nec eiuſdem ordinis Minorum Fratres, Inquiſitores hæreticæ prauitatis pro tempore exiſtentes, contra huiuſmodi ordinis Prædicatorum Fratres, aut etiam dicti ordinis Præ-

dica-

dicatorum Fratres Inquiſitores, ſine licentia Magiſtri, aut Prouincialium Priorum contra ipſorum Confratres eiuſdem Ordinis inquirere nequaquã poſſint, aut debeant. Sed ſi quid Prædicatores contra Minorum, & Minores Fratres Inquiſitores contra Prædicatorũ Ordinis Fratres prædictos de prauitate huiuſmodi perſenſerint, id ad Sedem Apoſtolicam, vel præfatorum Fratrum Superiores deferre teneatur. Item, quod prædictus Magiſter, & alij Præſidentes in dicto Ordine, ad quos pertinuerint pro tempore in correctionibus Fratrum eiuſdem Ordinis, iuris Ordine poſtpoſito ſecundum conſuetudines approbatas, & inſtituta Ordinis antedicti procedere libere poſſint, & valeant; eis authoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia indulgemus.

b Quorumcumque Mendicantium Ordinum Fratres.) Declaramus, in hac Conſtitutione Mendicantes eſſe intelligendos illos Religioſos, qui etſi poſſeſſiones habent in communi, non tamen poſſunt ſine mendicitate acquirere neceſſaria ad victum & veſtitum; aliaque neceſſaria ad vitam ſufficienter procurare. Quare in Capitulo Valencenis 1337. ſic dicitur declaramus, quod noſtra Conſtitutio Religioſos Mendicantes intelligit, non ſolum illos, qui poſſeſſiones non habent: ſed etiam eos, qui etſi poſſeſſiones habeant, tamen propter earum exiguitatem conſueuerũt communiter mendicare.

V I.

ITem nullus ſecularis, vel Regularis, aliquod Monaſterium Sororum Prædicatorum Ordini ſubiectarum (niſi in quantũ earum Conſtitutiones, & Statuta id patiantur, vel de Sedis Apoſtolicæ, aut Magiſtri dicti Ordinis licentia ſpeciali) intrare; aut aliquæ Sorores huiuſmodi exire inde quoquomodo præſumant. Contrarium

vero

vero facientes excommunicationis ſententiæ (a qua præterquam per Sedem, vel Magiſtrum memoratos aut aliquem ex dicti Ordinis Fratribus, cui Magiſter prædictus id commiſerit, *c* abſolui non poſſint) volumus ſubiacere.

VII.

ITem ſtatuimus, volumus, atque ordinamus quod omnes, & ſinguli Religioſi quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum dictæ Sedis Capellani, qui ſunt, & erunt, perinde eorum Superioribus & correctioni ipſorum in omnibus, & per omnia ſint ſubiecti, ac ſi prædictæ ſedis Capellani non eſſent. Non obſtantibus exemptionibus, ac alijs quibuſcumque Priuilegijs, Indulgentijs, gratijs, & litteris Apoſtolicis Capellanis dictæ ſedis, vel alijs coniunctim, vel diuiſim ſub quavis forma, vel expreſſione verborum a dicta ſede cōceſſis, vel inpoſterum concedendis: etiamſi de illis de verbo ad verbum, & de ipſorum Capellanorum, nominibus, & cognominibus proprijs, plena, & expreſſa mentio præſentibus ſit habenda, quæ (quoad hoc) ipſis in nullo volumus ſuffragari.

c Abſolui non poſſint.) Declaramus, quod quicumque habent per Sedem Apoſtolicam generalem licentiam abſolvendi quoſcumque, a quibuſcumque caſibus, ex vi talis facultatis Fratres Ordinis noſtri nequaquam poſſunt abſolvere; ſicut idem Bonifacius declaravit in Bulla, & ſi quis intra clauſuram Monaſterij alicuius, curæ, & regimini Ordinis commiſſi repertus fuerit; poterit per dicti Ordinis Præſidentes, ſeu ex eorum mandato capi, & carcerari, & pœna plecti, ſecundum eorum arbitrium, & qualitatem delicti: ſicut idem Bonifacius in commemorata Bulla declaravit. Et ſi quis ſecularis, vel Regularis in aliquod prædictorum ſuorū Monaſteriorum intrare, vel Sorores aliquæ inde exire ſine licentia Magiſtri Ordinis auſi fuerint; ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrunt:

a qua non niſi per Papam, vel Magiſtrum Ordinis, vel ab aliquo Fratre, cui prædictus Magiſter facultatem conceſſerit, abſolui poſſint.

CAP. XIX.

Conſtitutio D. Alexandri Papæ VI. de Electione Magiſtri Ordinis.

I.

a DEnunciamus, quod Dñus Alexander Papa VI. in Capitulo Generali Romæ celebrato Anno Domini 1501. ſtatutum, & Conſtitutionem fecit infraſcripti tenoris, quæ tunc acceptata, & ſeruata fuit. Volumus, & authoritate Apoſtolica per præſentes perpetuis futuris temporibus ſtatuimus, & ordinamus: quod modernus Vicarius veſtri Ordinis per nos inſtitutus, & quilibet alius in ſimili caſu futuris temporibus per Sedem Apoſtolicam inſtituendus, ſicut primum locum in ipſo Capitulo, & vbique tenet, ita & in electione ipſius Generalis Magiſtri primam vocem habeat: & cum duobus Prouincialibus in dicto Capitulo exiſtentibus, qui diutius poſt expreſſam profeſſionem Habitum veſtri Ordinis portauerunt; ad inquirendum, & conſcribendum vota electorum ad bancum ſcrutinij electionis prædictæ, ſedere debeat. Et hoc idem in quolibet Vicario Generali veſtri Ordinis, quem futuris temporibus continget ſecundum Conſtitutiones veſtri Ordinis inſtitui; volumus, & ordinamus debere obſeruari; non obſtantibus Conſtitutionibus prædicti Ordinis, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſcumq; aliis in contrarium facientibus.

a Denunciamus, quod Dominus Alexander Papa VI.) Declaramus, hanc Domini Alexandri Conſtitutionem in Generali Capitulo Romæ 1539. authoritate Domini Pauli III. nullum apud Ordinem noſtrum obtinuiſſe locum: & ab eo tempore, & dein-

deinceps in Magiſtri Ordinis electione, neque fuiſſe receptam, neque ſeruatam; quamquam de hoc nullæ authenticæ litteræ Apoſtolicæ extent.

FINIS CONSTITVTIONVM FRATRVM ORDINIS PRÆdicatorum, cum Declarationibus ſuis iam olim ordinatis, ac emendatis per bo. me. P. F. Vincentium Bandellum, & Fr. Vincentium Iuſtinianum eiuſdem Ord. Magiſtros Generales: nunc vero plurimis acceſſionibus locupletarum, authoritate Reuerendiſſ. P. F. Seraphini Sicci Papienſis S. T. Profeſs. & eiuſdem Ord. Gener. Magiſtri, etiam accedente Decreto, & approbatione Capituli Gen. Vlyſſiponæ celebrati, An. 1618. in quo RR. PP. Definitores omnes, ſubſcripſerunt in hunc modum.

Approbamus has Conſtitutiones, & Gloſſas, Nos.

Fr. Petrus de Herrera Magiſter, & Definitor Hiſpaniæ.

Fr. Ioannes Tourne Magiſter & Definitor Toloſanus.

Fr. Guillelmus Dudouyt Magiſter, & Definitor Franciæ.

Fr. Ioannes Michael de Bononia Magiſter, & Definitor Lombardiæ.

Fr. Michael Arrigus Magiſter, & Definitor Prouinciæ Romanæ.

Fr. Ambroſius de Cardoua Magiſter, & Definitor Regni.

Fr. Io. Baptiſta de Capriata Magiſter Prouincialis, & Definitor Angliæ.

Fr. Io: Bertram Præſentatus, & Definitor Aragoniæ.

Fr Franciſeus Papa Magiſter & Definitor Trinacriæ.

Fr. Vincentius Pereyra Magiſter., & Definitor Portugalliç.

Fr. Ioannes de los Angelos Magiſter, & Definitor Bethicæ.

Fr. Iacobus de Rocourt Magiſter, & Definitor Germaniæ inferioris

Fr. Franciſcus Sprouerius a Monte alto, Magiſter, & Definitor Calabriæ.

Fr. Ludouicus Barroſo Magiſter, & Definitor Mexicanus.

Fr. Raynaldus Poiſſon Magiſter, & Definitor Occitaniæ.

Fr. Balthaſar Verdugo Prædicator Generalis, & Definitor de Chile.

Fr. Anchangelus de Dominicis Lector Prædicator Generalis, & Definitor Prouinciæ S. Catherinæ Senenſis.

Fr. Gabriel Drohobiceuſis Magiſter, & Definitor Ruſſiæ.

INDEX IN CONSTITVTIONES Fratrum Prædicatorum,

Primus numerus Paginam ; ſecundus Columnam indicat.

A

ABiurantes propter vehementem ſuſpicionem Hæreſis, toto tempore vitæ ſuæ, ad quodcumque Officium reſtitui non poſſunt. pag. 132. 2. & 193. 2.

Ablutio Calicis in Miſſæ celebratione, cum vino facienda. 271. 2.

Abſentes Electores ſi infra dietam à Conventu permaneant, ad electionem vocari debent. 197 1.

Abſentes, per litteras, vel per Procuratorem, electionem facere non poſſunt. *ibidem*.

Abſolvere poſſunt Priores, à peccatis, & Cenſuris, noſtri Ordinis Fratres ad ſe declinantes. 7. 1. 82. 2.

Abſolutio Prioris ab Officio, in quibus caſibus eſt nulla. 192. 1 & 242. 2.

Abſolutiones Priorum fieri non debent, quamprimum carentia Provincialis innotuerit. 214. 1.

Abſolutionem cujuſcumque Prælati Ordinis noſtri, per perſonas extraneas quærentes; pœna gravioris culpæ puniendi. 255. 2.

Abuſus; & novitates contra Conſtitutionum tenorem omnino fugiendi. 4. 2.

Acta Capitulorum Generalium in qualibet Provincia acceptanda, obſervanda, & ter. vel quater in Anno in ſingulis Conuentibus publice ſunt legenda. 15. 2. 16. 1 & 264. 2.

Accuſatus à pluribus non conteſtibus, de diverſis actibus eiuſdem ſpeciei, talis non eſt conuictus. 129. 1. & 261. 1.

Accuſantes alios, & in probatione deficientes, perpetuo infames fiunt. 137. 2. & 262. 1.

Accuſationes quæ ad Capitula mittuntur, quomodo inſtituendæ? 261. 1

Accuſare aliquem nemo poteſt, niſi illud crimen de quo accuſat probare valeat. *ibidem*. 2.

Accuſatio vnius ad Capitulum miſſa, nulla cenſenda eſt. *ibidem*.

Accuſatus de occulto crimine, quod iuridice probari non poteſt, non tenetur dicere veritatem Prælato vrgenti, vt illud ſibi reuelet. 262. 1.

Affiliationes ex vno Conventu in alium prohibitæ. 312. 1.

Altare B. M. V. vbique in dormitorijs noſtris erectum eſſe debet. 21. 1.

Altaris menſa qualiter ſtrata, ornata, & cooperta eſſe debeat? 31. 2.

Altaria portatilia cujus longitudinis, & latitudinis eſſe debeant? *ibidem*.

Alchimiæ ars à Fratribus non exercenda. 84. 2.

Alienatio bonorum immobilium alicujus Conuentus, quibus conditionibus facienda? 166. 1.

Amicabiles hominibus in quibus reddi debemus? 9. 1.

Ampulæ nonniſi è vitro pellucido factæ eſſe debent. 32. 1.

Anniuerſaria quatuor in anno celebranda. 43. 1.

Annui reditus à Syndicis Conuentuum, & non à Fratribus particularibus exigantur. 91 1.

Apoſtata quilibet ipſo facto eſt Excommunicatus, pœnæque grauioris Culpæ ſubiacet. 149. 1

Apoſtatæ à Prioribus Prouincial. & Conuentual. ac eorum Vicarijs, comprehendi, excommunicari, ac diſciplinæ Or-

Z dinis

dinis ſubiJci poſſunt . *ibidem* 2.
Apoſtatæ cenſeri debent, qui ad Ciuitates Hæreticas accedere præſumunt. 150. 2.
Apoſtatæ recepti ad Ordinem, mittendi ſunt ad illos Conuentus, in quibus non ita eſt manifeſta illorum infamia. *ibid.*
Apoſtatæ etiam poſt decennium in Apoſtaſia elapſum redeuntes, à Prouincialibus recipi poſſunt. *ibidem* 2.
Apoſtatæ reverſi ad Ordinem, pro criminibus in Apoſtaſia commiſſis, pari pœna plecti debent, ac ſi ea in Ordine perpetraſſent. 151. 2.
Apoſtatæ quem locum inter Fratres poſt ſuum regreſſum tenere debent? 152. 2.
Apoſtatis poteſt Prælatus indulgere pœnas poſitiuas, non autem privatiuas 154 1.
Apoſtatæ iterum recepti ad Ordinem, ante annos viginti, ad Prælationis Officium aſſumi non poſſunt. 156. 2 & 193. 2.
Appellationes Fratrum ab Ordinis punitionibus, gradatim ſunt faciendæ. 135 1.
Appellandi locum non habet electus, etiam à maiori parte Vocalium, ſi à Superiore ob aliquam cauſam non confirmetur. 189. 2
Appellatio quænam intra Ordinem fieri prohibeatur? 247. 2.
Appellantes ſine cauſa, quomodo puniendi? *ibidem*.
Appellatio à correctione, vel abſolutione ab Officio, non valet. *ibidem*.
Appellationes extra Ordinem fieri prohibentur. *ibid* 1.
Aquæ benedictæ aſperſio, dum dicantur *Salve* quo ordine facienda? 28. 1.
Arbitria, & judicia, non ſunt ſuſcipienda à Fratribus. 8. 2.
Arma inuaſiua ſuper ſe portare prçſumentes, carcerali cuſtodiæ mancipandi. 133. 1.
Aſſerens Priorem ſuum non eſſe Priorem, quomodo puniendus? 127. 1.
Aſſignationes, & mutationes Fratrum, infrà Menſem, immo duos Menſes ante electionem fieri prohibentur. 198. 1. & 199. 1. & 214. 1. & 332. 2.
Aſſignationes doloſæ, & fictitiæ ſunt prohibitæ. 199. 1.
Aſſignati ex aliena Provincia, poſt vnum annum habent vocem. 194. 1.
Aſſignationes verbo vel ſcripto factæ, attenta illarum diverſitate, efficiunt; vt bona Fratris defuncti, huic vel illi Conuentui debeantur. 313. 2.
Aſſignati propter Officium, illo expleto vbi cenſendi ſunt aſſignati? 324. 2.
Attentio actualis non requiritur ad recitandum Divinum Officium, ſed ſola virtualis. 22. 1.
Auctoritatem ſuper Conuentum aut Fratres, non licet committere alicui perſonæ, extra obedientiam Ordinis conſtitutæ. 205. 1.

B

Baccalaurei quem locum habeant? 251. 1.
Baccalaurei Ordinarii in ſtudiis Generalibus, quodnam ſit officium? declaratur. 306. 1.
Baccalaurei non poſſunt fieri Prædicatores Generales. 282. 2.
Benedictio in inchoatione Completorii ab Hebdomadario ſubiungi debet, poſt præmiſſum *Iube Domne*. 27 1
Benedictionem finito Completorio quiſnam debeat dare, præſertim cum ſint plures Prælati in Choro? *ibidem*.
Bibere extra horam valentes, à Prælato licentiam petant, & ſocium accipiant. 53. 1. & 54. 1.
Bombice, & canapo vti, arguit damnabilem contemptum 60 1.
Bonis temporalibus, qualiter Fratres vti debent? 84. 1.
Bona Fratribus conceſſa, quotannis in ſcripta redigenda, & Prælato ſunt præſentanda. *ibidem* & 86. 2.
Bonorum Conuentus adminiſtratores, quomodo ſeſe in adminiſtratione ſua gerere tenentur? 90. 1.
Bona immobilia, & annui reditus Fratrum particularium, Conuentibus applicanda ſunt. 92. 1.
Bona communia, ſine impedimento perfectionis, & paupertatis, à Religioſis retineri poſſunt 94. 1.
Bona Apoſtatarum pertinent ad illos Conuentus, in quibus fuerunt aſſignati, antequam apoſtatauerint. 152. 2
Bona immobilia Conuentuum, ſub pœna excommunicationis alienari non poſſunt. 165. 2
Bona Fratrum, qui continuo in Monaſteriis Monialium degunt, ad quos Conuentus ſpectant? 169. 1
Bona Fratris defuncti, quomodo inter Conuentum cujus eſt filius, & illum in quo aſſignatus moritur diſtribuenda. 312. 2. & ſeq.
Bona Fratris in extranea Prouincia decedentis, partim illi Prouinciæ in qua mori-

moritur, partim natiuo Conuentui applicanda. 313. 1.
Bona extra Ordinem commorantium, ibique decedentium, inter Magiſtrum Ordinis, & Prouincialem defuncti, ex æquo diuidenda. *ibidem* 2.
Bona Fratris defuncti ad quem Conuentum pertineant, etiam ex diuerſitate aſſignationum, verbo vel ſcripto factarum iudicari poteſt. *ibid.*
Bona decedentium in Prouincialatu, ad quem Conuentum pertinent? 216. 2.
Bona Magiſtri, vel Procuratoris Ordinis, cui debentur? *ibidem*.
Bona immobilia Conuentum Obſeruantiæ, à Fratribus in ijs manentibus alienari non poſſunt. 177. 2.
Bona Prioris defuncti ad natiuum ejus Conuentum ſpectant. 44. 1.
Bulla Cœnæ Domini, in omnibus Prouinciis, & Conuentibus bis in Anno publicari, & in Sacriſtia affixa manere debet. 279. 1.
Bullas aliquas prædicare, ſub pœna Excommunicationis prohibemur. 280. 2.

C

Cameræ deputatæ pro infirmis; benè fulcitæ in ſingulis Conuentibus ſunt habendæ. 55. 1.
In Cameris, nec Priores Prouinciales, nec Magiſtri comedere debent. 51. 1.
Campanas plures in Eccleſijs noſtris habere poſſumus. 30. 2.
Campanula in elevatione Corporis Chriſti, aliquot ictibus pulſari debet. 31. 1. & 33. 1.
Campana ante prandium, & collationem paucis ictibus primò, deinde Cymbalum pulſari debet. 49. 2 & 53. 1.
Canapo ad carnem vti prohibemur. 60. 1.
Capillorum tonſura qualis eſſe debeat? 61. 2
Capitulum de culpis, tenendum ſemel in Septimana, vel in quindena. 235. 2.
Capitulum de culpis quare ſic nominetur? 236 1
Ad Capitula plures Fratres, ſine cauſa legittima duci non debent. 238. 2.
Capitula Prouincialia, de loco, ad locum, & quo ad tempus mutari non poſſunt: poſtquam Diffinitores ad Generale Capitulum fuerint profecti. 243. 2.
Capitula Prouincialia ſunt biennalia. 239. 1
Capitulum Generale, quando incipit, quo ad authoritatem, & ſolemnitatem? 260. 1. & ſeqq.
Ad Capitula tam Generalia, quam Prouincia, Fratres ſine licentia Magiſtri Ordinis, vel Prouincialis venire nequeunt, ſub pœna priuationis vtriuſque vocis. *ibidem* 1. & 334. 2.
Capitulo peracto Fratres reuerſuri, per Superiores prudenter alter cum altero conſociari, ac litteras teſtimoniales ſecum deferre debent, ſub pœna priuationis vocis. 334. 2.
Capitula biennalia, vel triennalia quomodo celebranda, prolonganda, vel acceleranda. 336. 2.
Capellani honoris Domini Papæ, aliorumque quorumuis Principum, nullam exceptionem habent ab obedientia, & correctione ſuorum Superiorum. 292. 2. & 342. 2.
Cappa debet eſſe breuior quatuor digitis ipſa tunica. 60 1.
Cappas deferre quando debemus? *ibid.*
Caputium Cappæ, cum ipſa Cappa debet eſſe conſutum. *ibidem*.
Caputium, & ſcapulare, à Miniſtris Altaris, ſemper ſub ſacris veſtibus deferendum. 61. 1.
Carcerali, cuſtodia, quibus criminibus debetur? 133. 1. & 148. 1.
Carceri mancipati quinam proprie intelliguntur? 134 1 & 156. 1.
Carcerati per ſententiam, ſine licentia Prouincialis, è Carceribus liberari nequeunt. 134. 2.
Carceres in omnibus Prouinciarum Conuentibus habendi. 136 1.
Carceratos ad exeundum, vel frangendum Carcerem adiuuantes ipſimet Excommunicationis, & grauioris culpæ pœnam incurrunt. *ibidem* 2.
Carcerati non ſunt ipſo facto bonis, & rebus ſibi conceſſis priuati. *ibidem*.
Carnes comedere intra Conuentum, quibus à Prælato diſpenſatio eſt concedenda? 55. 2.
Carnes comedere extra Conuentum, etiam infirmis non licet. *ibidem*.
Caſus reſeruati enumerantur, à quibus Regulares poſſunt abſoluere, & non abſoluere, ex Decreto Sac. Congregationis. 277 2. & ſeqq.
Caſus Epiſcopis quouis modo reſeruari, in Sacriſtia alicui tabulæ aſſignantur. 279. 1
Cathedrali Eccleſiæ inſequientes, etiamſi munus Lectorum ibidem exerceant, carent voce actiua, & paſſiva. 196. 1.
A cauſis odioſis ſuſcipiendis, debent abſtine-

ſtinere Fratres. 5. 1. & 284 1.
Cereus in elevatione Corporis Chriſti accendi debent. 33. 1.
Cibus in Refectorio, cum lectione, & ſilentio ſumendus. 50. 1. & 60. 2.
Chirotecas, & ocreas itinerantes deferre poſſunt. 61. 1.
A Choro remanendi licentias, & occaſiones, Fratres de facili non quærant. 23. 1.
A ſequela Chori nullus eſt exemptus, prætextu Prælationis, vel Paternitatis, vel Lecturæ præteritæ. 23. 1.
Clauſtrum tranſeuntes pro deſunctis orare tenemur. 62. 2.
Extra Clauſtrum manendi facultas, nonniſi ex graviſſima cauſa Fratribus concedi poteſt. 151. 1.
Clericus Regularis tenetur de neceſſitate ſalutis Officium dicere. 22. 2.
Clerici pro Anniverſario Fratrum, & Sororum, Pſalterium dicere tenentur. 42. 2.
Clericus, ut recipiatur ad profeſſionem, quæ requiruntur. 97. 1. & 98. 1.
Collatio vſque ad poſt Completorium differri poteſt. 54. 1.
Comedere extra Clauſtrum, apud quas perſonas permiſſum. 51 2.
Completorium ſemper per *Iube Domne benedicere*, inchoandum. 53. 2.
Communio generalis, quibus diebus habenda? 22. 1. & 83. 1.
Communio generalis quotieſcumque fit, in ea omnes quouis modo à celebratione impediti, communicare debent. 22. 1.
Commune mandatum quid ſit, & quæ Culpa in ejus dimiſſione incurritur? 118. 1.
Confeſſariorum tam Fratrum, quam Sororum auctoritas durare debet, quouſque non revocetur. 14 2.
Confeſſionalia à lateribus Eccleſiæ extra Chorum collocari debent. 32. 1.
Confeſſores Monialium, ſint ætate graues, ac maturi; 143. 2. & 169. 1
Confeſſarii exemplar Bullæ Cœnæ Domini penes ſe habere tenentur, ſub privatione auditionis confeſſionum. 79. 1.
Confeſſarii in actu confeſſionis eleemoſynam à pœnitente etiam ſponte oblatam, recipere non poſſunt. *ibidem*
Confirmatio Priorum Conventualium, quam diſcuſſionem, quaſve circumſtantias requirat? 188. 1.
Confirmatus aliquis in Priorem, ac præcepto ad acceptationem adſtrictus, ſi tamen non conſentiat tali acceptationi, nunquam eſt Prior, nec Prælatus. 189. 2.
Confirmationem electi Prioris à Prouinciali petentes, debent in ſcriptis totum electionis proceſſum enarrare. 190. 1.
Confirmari debent electus à Vocalibus, quando eſt dignus: etiamſi non ſit de propoſitis in electione. *ibid.* 2.
Confirmari poteſt in Priorem ille Frater, quem electorum major pars per litteras à Confirmatore petierit. 210. 1.
Congregationes ex Prioribus præcipuorum Conventuum, & Magiſtris, ad inſtar Capituli intermedii, omnibus Provinciis ſunt conceſſæ. 244. 1.
Corporalia, & ſtrophiola cuiuſdam qualitatis eſſe debeant. 32. 1. & 271. 2.
Correctionis privatæ, & ſecretæ Præceptum, in duplici caſu nequit obſervari. 124. 2.
Corrigias, & cultellos curioſos deferre prohibentur Fratres. 59 2.
Conſilia PP. circa quæ potiſſimum fieri debeant? 67. 2.
Conſpiratio, vel malitioſa concordia adverſus Prælatus, quam pœnam meretur? 244. 1
Conſtitutio alteri fieri non poteſt, niſi per tria Capitula Generalia approbetur. 13. 2 & 16 2.
Conſuetudo in traſgrediendo, grauius punienda? 120 1
Contributionem in Provinciis augere non poſſunt Prouinciales, inconſulto Magiſtro Ordinis 218. 1.
Contumacia, vel manifeſta rebellio, quomodo punienda? 126. 1.
Conuentus quilibet, Miſſas 20. de *Requiem* annuatim celebrare tenetur. 43. 1.
Conuentus, qui non ſeruat Communitatem, privatur facultate recipiendi ad Habitum Ordinis. 91. 2.
In Conuentibus diuerſis, & ſeparatis, non poteſt vllus Frater habere vocem. 197 2.
In Conuentu carente Priore: & Suppriore, Vicarius à tribus antiquioribus PP. eligi poteſt. 203 2. & 204 1.
Ex Conuentu ſine licentia recedere non licet, ſub pœna gravioris Culpæ: etiam cauſa eundi ad Superiorē. 286. 2. & 293. 2.
Conuerſis ſufficit audire Miſſam privatam. 22 2.
Conuerſi non debent opera corporalia omittere, propter particulares devotiones. *ibidem*.
Conuerſi ad Completorium, & Salutationem B.M.V. cum aliis venire tenentur. *ibidem* & 328. 1.

Converſi dum dicunt *Pater noſter*, tenentur addere totidem *Ave Maria*. 44. 1. & 127. 2.
Converſi, vt recipiantur ad Habitum, cuius ætatis eſſe debent? 71 1
Converſi tempus probationis habere debent, duos annos, & tertium ſuperadditum. *ibidem*.
Converſus ut transferatur ad ſtatum Clericalem, Magiſtri Ordinis licentia requiritur. 73. 2. & 329. 1.
Converſi fraudulenter Sacros Ordines ſuſcipientes, qua pœna plectenti? *ibidem*.
Converſis ſingulariter equitare prohibitum. 121. 2
Converſus ad Habitum Clericalem admiſſus, vt habeat vocem in electione canonica, 12. anni à ſuſceptione Clericalis Habitus requiruntur. 197. 1.
Conuerſi in coquina, & ubique in omnibus externis occupationibus, & artibus factivis occupari debent, ne torpeſcant otio. 328. 1.
Conuerſi ad Matutinas, Veſperas, & pro ſuffragiis mortuorum, quot *Pater noſter* recitare tenentur? *ibid* 2
Conuerſi tunicas albas, ſcapulare nigrum habeant. 329. 1.
Conuerſi in Capitulo clericorum, ſine cantu tamen recipiantur. *ibid*.
Conuictus quinam proprie dicitur? 129 1.
Crimen pena mortis in ſæculo puniendum, in Religione, quam pœnam meretur? 126 2 & 331. 1.
Crimina falſo alteri imponentes, vel totum Ordinem infamantes, quomodo puniendi 133 1.
Crimina quæ probari non poſſunt, de Superioribus evulgantes per triennium Carceri mancipentur 117 1
Crimen concubitus contra naturam, perpetuum Carcerem meretur 145. 2
Crimen occultum, quod nulli nocet, niſi committenti illud, non debet Prælato præcipienti revelari, antequam præcedat fraterna correctio 273. 1.
Crimen Fratris, de quo jam eſt emendatus, Prælato etiam præcipienti denunciari non poteſt. 124. 1.
Culcitram, qui petierit, in pane, & aqua ieiunet. 58. 1.
Culpam grauem occulte, & non notorie committens, non tenetur ſeipſum prodere. 124. 1.
Curiam Romanam, vel quamcumque aliam etiam in cauſis Ordinis, abſque licentia Magiſtri Ordinis accedere nullus poteſt, ſub pena Carceris, & priuationis vtriuſque vocis. 288. 1. & 289. 1.
Cymbalo pulſato, cum matura feſtinatione Fratres convenire tenentur. 50. 1.

D

Debita apud perſonas extra Ordinem contrahentes, quomodo puniendi? 91. 1.
Decreto Electionis ſemel formato: aliud Decretum nullo modo formandum eſt. 187. 2.
Decretum Electionis formari debet, qui habet primam vocem in electione. *ibid*.
De defectibus manifeſtis, Fratres ſeſe accuſare tenentur 236. 2.
Delinquens in vno loco, ad eundem non niſi per Diffinitores reſtitui poteſt. 141. 1.
Depoſitum commune, in unaquaque Provincia, pro expenſis ipſiuſmet Provinciæ habendum. 95 1.
Depoſitum cuiuſcumque, nonniſi ad commune Conventus Depoſitum recipi debet, ſub pœna gravioris culpæ. *ibidem*.
Depoſiti exacta adminiſtratio, certas conditiones requirit. 175. 1.
Dieta ſignificat intervnius diei pedeſter. 197. 2.
Diffinitore Capituli Generalis mortuo, pro eo ſuffragia fieri debent. 44. 1.
Diffinitor Capituli Generalis ſi in Provincialem eligatur, quantum ad actum Diffinitorii, pro non ſuperſtite habendus. 224 1.
In Diffinitorem eligendus, plura vota vltra medietatem habere debet. 229. 2. & 231. 1
Diffinitores antequam eligantur, Acta Capituli Generalis, & litteræ Magiſtri Ordinis legi debent 230. 1.
Diffinitor Capituli Generalis, debet in Prouinciali Capitulo, cauſas Conſtitutionum, nouiter factarum exponere. *ibidem*. 2.
Diffinitores, vel Prouinciales reſpective, dubia circa Acta Capituli Generalis explicare poſſunt. *ibidem*.
Diffinitor, & ſocius Capituli Generalis aſſumi debent ex Prouinciis, quarum ſunt filii. 233. 1.
Diffinitores Capituli Prouincialis, per ſeipſos non poſſunt inſtituere Prædicatores Generales 238. 1.
Diffinitores Capituli Provincialis ſimul eligi debent. 232. 2.
In Diffinitionibus illorum ſententia illius par-

partis eſt potior, cui Prouincialis adhæſerit. 239. 1.
Diffinitores, exceſſum Prouincialis confeſſi, & proclamati, emendare tenentur. *ibidem*.
Diffinitores Capituli Generalis, vnum è medio ſui, in Vicarium Magiſtri Ordinis (ſi tunc abſfuerit) eligere poſſunt. 245. 2.
Diffinitores Capituli Prouincialis, vltrà duos dies ſuam auctoritatem prorogare non poſſunt. 265. 2.
In Diffinitionibus, nec Prouinciales Diffinitoribus, nec è contra præjudicium aliquod generare debent. 257. 1. & quid intelligendum venit, nomine huiuſmodi præiudicii? 258. 1. & 267. 2.
Diſpenſandi poteſtas, penes Prælatos remanet. 6. 2.
Diſpenſatores alienarum pecuniarum, Prohibentur eſſe Fratres noſtri. 8. 2. & 284 1.
Diſpenſationem ut accipiat, poteſt Prælatus ſubditum compellere. 6. 2.
Diſpenſationes in ieiunijs, & abſtinentiis, quo moderamine faciendæ? 7. 1.
Diſpenſare in Adventu cum infirmis, & debilibus, non tamen cum toto Conuentu Prælati poſſunt. 49. 1.
Diuina poſt Excommunicationem celebrantes, à Magiſtro Ordinis, vel Prouinciali ſuo abſolui poſſunt. 154. 2.
Diviſionem Ordinis verbo, vel facto quærere, prohibitum. 255. 2.
Doctor publicus intelligitur ille, qui eſt Lector principalis. 317. 1.
Doctrina S. Thomæ excellentiſſima, & commendatiſſima, tam à Profeſſoribus, quam à Studentibus amplectenda, & ſectanda. 303. 1. & 2.
Ab ea recedentes, pænam privationis omnium graduum incurrunt. 304. 1.
S. Dominici P. N. elogia, & comparationes. 106. 1. & ſequent.
S. Dominicum Gregorius IX. Sanctorum Cathalogo adſcripſit, adiecto inſigni eius ſanctitatis teſtimonio. 108. 1
Duo Prouinciales vnius ejuſdemque Prouinciæ eſſe non debent. 197. 1. & 233 2.

E

EBrietas aſſidua pænam grauioris culpæ meretur. 127. 1.
Eccleſiæ ita ornari debent, vt nihil ſit in eis, quod oculos ſpectantium offendat. 31. 2.
In Eccleſijs Fratres, nec deambulare, nec inter ſe, aut cum ſæcularibus confabulari debent. *ibidem*.
In Eccleſiis noſtris, nec Clerici ſæculares, nec Religioſi extranei, per Aduentum, & Quadrageſimam prædicent. 279 2
Ædificia per unum Priorem, vel Prioriſſam incepta, per ſubſequentem continuentur. 172. 2.
Ædificium vel conſtructio notabilis in Conuentibus, & Monaſterijs, ſine aſſenſu PP. & conſilio peritorum, ac licentia Prouincialis, fieri non poteſt. *ibidem*.
Ætas legitima iuxta Decreta Concilij, promouendorum ad Ordines, diligenter examinanda. 325. 2.
Electio Prioriſſæ quo ordine, quaue methodo fieri debeat? 169. 2
Electio futuri Prioris, ſub conditione amotionis illius qui actualiter præeſt, fieri non poteſt. 179 1.
Electio vt ſit Canonica, certæ conditiones requiruntur. *ibidem*. & 183. 1.
Electio ut ſit irrita, quæ conſideranda ſunt? 181. 2.
Electores non debent apponere ſchedulis notam aliquam, vnde poſſit perſona eorum, vel nomen cognoſci. 184. 1.
Electioni cuilibet, communio præmitti debet. *ibidem*.
In Electione concorditer ab omnibus facta, non eſt neceſſaria collatio numeri ad numerum. 187. 2.
In Electionem Magiſtri Ordinis, vel Prioris Prouincialis: Decretum quomodo formandum? 187. 2. 226. 1.
Ad Electionem cujuſcumque Prælati, modo quocumque inducentes, pœna grauioris culpæ puniendi. 128 2.
Electus aliquis, ſed ex rationabili cauſa non confirmatus, nec eligi, nec poſtulari ſecundò poteſt. 188. 2.
Electio canonicè facta, nonniſi ex rationabili cauſa caſſari debet *Ibidem* 2.
Electus canonice, poſt pronunciatam electionem, non poteſt ſtatim cedere juri ſuo, ob tres rationes 189 1.
Electus à majori parte vocalium, ſi ob aliquam cauſam non confirmetur à Superiore, non propterea appellare, vel in foro contentioſo litigare poteſt. *ibid*. 2.
Electus à maiori parte, ſi habeat aliquas contradictiones à quocumque, confirmari non debet. *ibidem*.
Electoribus nullus extra ſpecialem neceſſitatem proponi debet: vel ſi propoſitio fiat, non plures quam tres proponantur. 190. 2.

Electionis Menſis incipit, à die carentiæ Prioris in Conuentu. 191. 1.
Electio, debet eſſe viri digni, & idonei. 192. 2.
Ab Electione nemo excludendus, niſi ſit per ſententiam voce priuatus. *ibidem*.
Eligendus in Priorem, debet habere annos 12 à Profeſſione completos. 193. 2.
Electores perſonaliter in loco electionis exiſtere debent, exceptis infirmis decumbentibus. 197. 1.
Electio fieri poteſt à præſentibus in Conuentu, non expectato aduentu illorum, qui ſunt extra Conuentum. *ibidem*.
Eligere duos Priores, vel ſocios nullus poteſt, etiam ratione nouæ aſſignationis *ibidem* 2.
In Electione vt aliquis vocem habeat, ejus aſſignatio Prælato, & Conuentui ante Menſem innoteſcere debet. 198. 2.
Intra tempus Electionis, complens 6. annos ſuæ Profeſſionis, dummodo ſit Sacerdos, habet vocem in electione. 199. 1.
Electio ad illos tantum pertinet, qui ſunt bona fide aſſignati in Conuentu. *ibidem*.
De Electione peragenda non tractetur citius; quam ante vnum diem naturalem præcedentem ipſam electionem, ſub pœna grauioris Culpæ. *ibidem* 2.
Non eligentes eum, pro quo rogabantur, vel inducebantur Vocales, non propterea iniuſte perſequi debent: ſub pœna Excommunicationis. *ibidem*.
In Electione Electorum Prioris Provincialis, Prior Conventualis habet primam vocem. 211 2.
Electioni ſocii, & eorum quæ ad Capitulum Prouinciale mittenda ſunt, Priores intereſſe non debent *ibidem* 2.
In Electionibus Prouincialium, oppoſitiones, vel proteſtationes de facili non fiant. 215. 2.
Electores Magiſtri Ordinis tàm in Anno Prouincialium, quàm & diffinitorum, quinam eſſe debeant? 223. 1. & ſequent. & 260. 1.
Electioni Magiſtri Ordinis, quæ ſunt præmittenda, 225. 1.
Circa Electionem Magiſtri Ordinis ſtatuta, Fratres ſub præcepto obſervare tenentur. 227. 2.
Epiſcopis volentibus nos examinare, ad Confeſſiones, vel ad Ordinum ſuſceptionem humiliter parendum eſt. 279. 2.
Eiſdem contradicentibus, etiam in Eccleſiis noſtris prædicare non debemus. *ibidem*.
Epiſcopatum recipere, nonniſi Magiſter Ordinis, vel Prouincialis licentiam dare poteſt. 291. 2.
Epiſcopi ex Ordine noſtro aſſumpti, à Prouincialibus admonendi ſunt, ad ſeruanda Ordinis inſtituta 292. 1.
Epiſtolam in Miſſa majori, nonniſi Subdiaconus decantare debet. 33. 1.
Equitare ſine magna neceſſitate, non eſt licitum. 121. 1.
Euangelium *In principio* poſt Miſſam legendum. 33. 2.
Examinatores recipiendorum, quàm vrbanè, & leniter in examinibus ſe gerere debent. 68. 2.
Examinatores promouendorum ad gradus in qualibet Prouincia deſignandi ſunt. 317. 2.
Excommunicationis ſententia debet exprimi in Conſtitutionibus noſtris. 10. 1.
Excommunicationes quo moderamine ferendæ à Prælatis? 11. 1.
Excommunicationem à quocumque Iudice latam incurrentes, pœna Carceris puniendi. 133. 2.
Excommunicationes, quæ ex vi Conſtitutionum Fratres afficere poſſunt, ſunt 16. 138 1.
Excommunicationes à jure communi, quibus Regulares ſunt ſubjecti, ſunt. 33. 139. 1. & ſeq.
Excommunicationem, aliaſque pœnas priuatiuas incurrunt, qui ad gradum Magiſterij habilitantur, illumque ſuſcipiunt; non habita Magiſtri Ordinis, vel Capituli Generalis approbatione. 319 2.
Expenſas pro captura, & carceratione vagabundorum, Conuentus eorum natiui refundere tenentur. 136. 2. & 150. 1.
Expenſas extraordinarias pro communi bono Prouinciæ, poſſunt conſtituere Prouinciales, de conſilio Capituli Prouincialis 218 1.
Expenſas pro reſecandis ſeditionibus, vel ſcandalis peruerſorum Fratrum à Prouincialibus factas, quis reſarcire tenetur. 256. 1.
Exponendi vel ad audiendas Confeſſiones ſæcularium præſertim mulierum, vel ad prædicandum, qualiter examinari, & quam maturæ ætatis eſſe debeant? 276. 1. & 277. 2.
Extraneæ Prouinciæ Fratres, non tranſlati totaliter ad illam Prouinciam, in qua commorantur, carent voce activa. 196. 1.

Extra

Extranearum Provinciarum Fratres, nonniſi poſt expletum triennium, ad obeunda officia intra illam Provinciam in qua commorantur, admittendi. 295. 2.

F

De Familiaritate mala notabiliter ſuſpecti, quo ordine correctionis puniendi? 141 2.

Feſta aliqua recenſentur, cum expreſſione ritus ſub quo celebrari debent. 35. 3. & 29. 2

Fratres Clerici omnes ſimul Miſſam Conuentualem audire tenentur 21. 2.

Fratris cuislibet mors, infra ſex dies per omnes Provinciæ Conuentus notificanda. 43. 2.

Frater Fratri pictantiam mittere non poteſt. 50. 2.

Fratres omnes ſani etiam Priores, ad menſam communem venire tenentur. 51. 1. & 56 2.

Fratres in Conuentibus Obſervantiæ manentes, ſuis Prouincialibus in omnibus ſubditi eſſe debent. 177. 2.

Fratres germani, in Prioratum, & Provincialatum ſibi immediate ſuccedere non poſſunt. 193. 1.

Frater proprie dicitur, eſſe de aliquo Conuentu, qui eſt in illo aſſignatus. 204. 2.

Frater proprie dicitur de illa Prouincia, pro qua profeſſus eſt, vel cui incorporatur. 233 1.

Fratribus Minoribus, amicitiam, & familiaritatem ore, & opere teſtari tenemur. 290. 2.

Furtum graue faciens quam pœnam meretur? 134. 1.

Fugitiui, & vagabundi non recipiantur ad Conuentus ſine licentia Prouincialis eorum, niſi quandoque propter veram neceſſitatem. 286. 1.

G

Genuflexiones à Sacerdote celebrante Miſſam, quoties faciendæ? 33. 1. & 41. 1.

Genuflexiones in adoratione Sacramenti Euchariſtiæ fieri debent. 14. 2.

Genuflexiones in Choro, qualiter, & quando faciendæ? 40. 2.

Grammaticam bene callere debet, recipiendus in Clericum. 69. 1.

Ad gratias Ordinis reſtitui ante triennium non poſſunt Apoſtatæ, de lapſu carnis conuicti, & ad Carceres ſententialiter damnati. 155. 1. & ſequent.

Gratiis Ordinis aliquem eſſe priuatum, quomodo intelligendum eſt? 297. 1.

Gratiarum nomine, quas per inſtantias ſæcularium Fratres quærere; & obtinere prohibentur, quid intelligendum? 299. 1.

Grauis culpa quid ſit, quomodo incurratur, & quæ pœnitentia pro ea debeatur? 119. 2. & ſequent.

Grauior, & grauiſſima Culpa quid ſit, & quam pœnam meretur? 125. 1. & ſeq.

H

Habitus Ordinis noſtri quiſnam ſit? 60. 1.

HabitumOrdinis noſtri præſertim ſcapulare: dum procedimus in publicum patentur deferre tenemur, *ibidem*. & 86. 1. & 149. 2.

Cum Habitu Ordinis,nullus ob quamcumque cauſam criminalem à ſua Provincia ejici poteſt, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale. 147. 2.

Habitum Religionis temere dimittens, peccat mortaliter, & eſt Excommunicatus. 149. 2.

Habitum Religionis de licentia Sedis Apoſtolicæ dimittentes, quibus cum conditionibus iterum ad Ordinem recipiendi? 151. 1.

Habitum Religionis quouis modo per Annos 4. non deferentes, ſine ſpeciali licentia Magiſtri Ordinis, non ſunt recipiendi. *ibidem*.

Ad habitum Clericorum ignarus aliquis ſi ſuſcipiatur, non tenetur ad Horas Canonicas, nec frui debet gratiis Clericorum. 329. 2.

Habitu Clericorum exui poteſt, & fieri Conuerſus, Frater qui eſt facinoroſus, & ad Clericorum officia ineptus, *ibidem*.

Habitus formam communem immutare non poſſunt, Fratres in Conuentibus pro Obſervantia deſtinatis manentes. 177 2.

Hebdomadarius in Refectorio, benedictionem ſtando dare debet 53. 2.

Ad Hebdomadarium, & alia gravamina, Lectores actu non legentes, vel prædicantes tenentur. 23. 2.

Homicidii crimen perpetuum Carcerem meretur. 145 2.

Horas Canonicas duo ſigna regulariter præcedere debent. 20. 1.

Eaſ-

Eaſdem omnes Fratres Clerici ſimul dicere tenentur. 21. 2.
Horæ Canonicæ dum in priuato dicuntur, qualiter ſunt recitandæ? 22. 1.
Horæ Canonicæ in Choro breuiter, & ſuccinctè recitandæ 25. 2. & quomodo terminandæ? 27. 2.
Hoſpites etiamſi ſint Priores, ſubijciuntur iuriſdictioni Præſidentis Conuentus, ad quem declinant. 289. 2.
Hoſpites ſi per ſex dies in Conuentu morari debent, legibus depoſiti ſubijciuntur. *ibidem*.
Hoſpites ex Prouincijs extraneis venientes, charitatiue ſunt tractandi, illorumque neceſſitatibus prouidendum. 291. 1.

I

Ieiunia Ordinis, quibus temporibus obſeruanda? 47. 1. & 49. 1.
In ieiunio Feriæ ſextæ, nullus Prælatus diſpenſare poteſt. 49. 1.
Ieiunare nolentes propter ſolam guloſitatem, ad damnabilem contemptum diſponuntur. *ibidem*. 1. & 56. 1.
Ieiunantes vltrà pictantiam, duo fercula habeant. 52. 2.
Illegitimè nati, officia in Religione habere non poſſunt, abſque licentia Magiſtri Ordinis. 72. 2. & 75. 1. & ſeqq.
Imagines non ſacræ, vel propriam Fratris effigiem referentes, à Cellis remoueri debent. 163. 2.
Impedimentum excuſans Priores Prouinciales à perſonali viſitatione Conuentuum, quodnam cenſendum? 269. 2.
Inclinationes tàm profunda, quàm capitalis qualiter, & quoties faciendæ? 34. 1. & 36. 1. & 38. 2. & 39. 1.
Incorrigibiliter delinquentes, in quibus pœnæ repetitæ nihil proficiunt, quomodo tandem corrigendi? 146. 1. & 148. 2.
Inducens ad electionem, prece, vel pretio, vel comminatione, imò & ille, qui talem inductionem non reuelat, quibus pęnis afficiendus? 198. 1.
Indiarum Prouincias regredientes, ſub pęna Excommunicationis latæ ſententiæ nequeunt plus ſecum aſportare pecuniarum, vltrà quàm viatico ſuo ſit neceſſe. 284. 1.
Ineligibiles ad Prioratus quinam cenſendi. 193. 1. & ſequent.
Infamatus de vno crimine, non tenetur alia crimina occulta Iudicii interroganti confiteri. 129. 2.
Infamatus, niſi fuerit per duos teſtes, vel per propriam confeſſionem conuictus non poteſt ad pęnam ordinariam condemnari. 130. 1.
Infamatores Fratrum coram ſæcularibus (etiamſi vera dicerent, contra Ordinem tamen Charitatis) quam pęnam merentur. 137. 1. & ſequent.
Infamia, & vnius teſtis, vel vna vehemens ſuſpicio, ſufficiunt ad ſeparationem Fratris puniendi, vel vt ad quæſtiones ponatur. 129 2. & 262. 1
Infamia publica ſi vigeat contra aliquem accuſatum, talis Prælato præcipienti, tenetur dicere veritatem, de illo crimine, cuius infamia laborat 262. 1.
Infirmarius diſcretus, in quolibet Conuentu habendus. 55. 1.
Infirmi in Infirmaria comedere, & ſuper culcitras dormire poſſunt. 54. 2. & 56. 1.
Infirmi non decumbentes, ſilentium tenere debent. 63. 2.
Inquiſitores, pecunias apud ſe, abſque depoſito communi retinere poſſunt. 93 1
Inquiſitores, ſuis Præſidentibus ſunt ſubjecti ſimpliciter 94. 2. & 282. 2.
Ijdem ſingulis annis receptorum, & expenſarum rationem reddere tenentur. *ibidem*. & 283 1.
Inquiſitores in Priores confirmari non poſſunt, inconſulta Congregatione S. Officii, tùm & Magiſtro Ordinis. 283. 1. & 192. 1.
Inquiſitores tenent locum ſuper Magiſtros, immediatè poſt Priorem. 254. 1.
Inquiſitores inſtituendi cuius ætatis, & eruditionis eſſe debent. 282. 2.
Inſtrumentis aureis, vel argenteis, vel etiam ex lapidibus pretioſis, vti prohibemur. 61. 1.
Interdicti tempore, Matrici Eccleſiæ nos conformare tenemur. 280. 1.
Inuentaria bonorum mobilium, & immobilium Conuentus, & Eccleſiæ, in Archiuijs cuſtodienda. 174. 1.
Inuentarium rerum vniuſcuiuſque Officinæ Conventus, ſingulis Officialibus curam ſuæ Officinæ habentibus, cum ſubſcriptione Prioris conſignari debet. *ibid* 2.
Irregularis quilibet, caret voce, in Electionibus intra Ordinem fieri ſolitis. 184. 1.
Itinerantes, quibus diebus bis refici poſſunt? 48. 2.
Itinerantes poſſunt confiteri peccata ſua

 ęni-

cuieumque Sacerdoti, etiam alterius Ordinis 83.1.
Itinerantes, quo pacto aurum, & argentum ſecum deferre permittuntur? 283.2.
Itinerantes litteras teſtimoniales ſecum deferant. 285.1 & 287 2.
Itinerantes corrigantur ab iis Superioribus, in quorum terminis quomodocunque; deliquerit. 285.1. & 287. 2.
Itinerantes Officium ſuum prout ſciunt recitare poſſunt, contenti Officio Eccleſiarum ad quas declinant. 285. 1.
Itinerantes in domibus ſæcularium abſque Religioſo ſocio commorari nequeunt. 286 2.
Iudex cum in aliquem propter vnum crimen inquirit, non poteſt inquirere de alijs criminibus occultis. 129.2.
Iuuenes ad prædicationis Officium aptiores, debent in certis Conuentibus, in qualibet Prouincia deſignandis, in hoc munere probè addiſcendo inſtrui. 276.2.

L

De lapſu carnis manifeſtè conuictus, quas pœnas poſitiuas, & priuatiuas incurrit? 154.2. & ſeq.
Laudes: & encomia Ordinis noſtri. 1. 1. & 111. 1.
Lectio Caſuum Conſcientiæ habenda, in Conuentibus vbi ſunt minora ſtudia, ad quam omnes præter graduatos conuenire tenentur, 308.1.
Lectionibus habendis tempus decem menſium præfigitur. 310. 2.
Lectores actu legentes, ſunt exempti à ſequella Chori. 25. 1.
Lectoribus ſpecialis locus ad iacendum prouideri poteſt. 58. 1.
Lectores Nouitiorum, nec eorum gubernationi ſeſe immiſcere, nec domum illorum ingredi debent. 81.1.
Lectores Artium, & Theologiæ, poſſunt eligere duos Priores eodem Anno. 197.2.
Lectores nequeunt fieri Prædicatores Generales. 282.2.
Lectores iis officijs non occupentur: quibus in ſtudijs impediuntur: præſertim ſi ſint ad legendum magis idonei. 307. 2. & ſeq.
Lectores actu legentes à Refectorij ſequela non eximuntur. *ibidem*.
Lectores dum ſine cauſa lectiones prætermittunt, vel à doctrina S. Thomæ recedunt, lectura priuentur. *ibid*
Lector Artium vt aliquis fiat, prius per triennium Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudere, ac demum per examen ad hoc approbari debet. 310.1.
Lectores ad prædicandum non mittantur, etiam in Quadrageſima. *ibid* 2.
Ad legendum pro gradu, & forma Magiſterij, ſoli Diffinitores Capituli Generalis habilitare poſſunt. 319. 1.
Lectus extra Conuentum qualiſcumque ſternatur, illo licitè Fratres vti poſſunt. 57. 2.
Leproſi intra ſepta ſui Conuentus, ſeorſim ab alijs curandi. 56. 2.
Leuis culpa quid ſit, & qualiter in Capitulo quotidiano de illa ſeſe accuſare teneamur? 115. 1. & ſequent.
Libros interdictos legere prohibentur Fratres. 117.2.
Libellos famoſos ſcribentes, nonniſi per Magiſtrum Ordinis, vel Generale Capitulum à pœnis diſpẽſari poſſunt. 137.2.
Liber nuncupatus *Regiſtrum* à Prouincialibus pro annotatione actorum habendus. 217.2.
Libri Fratrum defunctorum, ad communem Bibliothecam pertinent. 322. 2.
Librorum venditorem pretium, in alios libros vtiliores conuertendum. 323. 1.
Libros Theologicos perſonis extra Ordinem conſtitutis vendere prohibemur. *ibidem*.
Libros ex communi Bibliotheca extraentes Excommunicationi latæ ſententiæ ſubijciuntur. *ibidem*. 2.
Liber antequam nouiter Typis excudatur, prius à duobus Cenſoribus, in vnaquaque Prouincia deſignatis examinetur, & approbetur. 325.2.
Libri in Italia imprimendi, prius Romam ad Magiſtrum Ordinis mittantur. 323.2.
Licentia exeundi ex Conuentu nulli detur niſi ſimul, & ſocius exeunti aſſignetur. 123.2.
Licentiæ ingrediendi Monaſteria quibuſcumque fœminis conceſſæ, ſunt reuocatæ à Pio V. 170. 2.
Lineis ad carnem ſine neceſſitate vti, arguit contemptum damnabilem. 60.1.
Linteamina in infirmarijs, & Cameris hoſpitum haberi poſſunt. 59. 1.
Litaniæ in ſerò poſt Completorium dicendæ, quotieſcunque fit de Feria 24.2.
In ijs nomina Sanctorum, qui non habentur in ordinario non apponantur? *ibidem*.
Ad eas dicendas, qui extra Chorum ſunt, non tenentur. *ibid*.
Litaniæ B.M.V. ſingulis Sabbatis poſt *Salve*

Regina decantandæ. 25. 1.
Litteræ, vel memorialia quæcumque abſque licentia Prælati, nec mitti, nec recipi debent. 122. 1.
Litteras Superiorum falſificantes vel falſificatis vtentes, quas pœnas merentur? 134. 1. & 155. 1.
Litteras criminoſas ad quoſcunque intra, & extra Ordinem, ſine proprii nominis ſubſcriptione mittere illicitum. 137. 1.
Litteræ communes, quæ ad Superiorem tranſmittuntur, à Fratribus ſimul congregatis, & ſcientibus quid in eis contineatur, ſubſcribi debent. 144. 1.
Litteræ Confirmationis Priorum legantur coram omnibus in Capitulo. 206. 1.
Litteræ teſtimoniales itinerantium, cum quibus clauſulis formandæ? 285. 2.
Sine litteris teſtimonialibus ad Conuentus declinantes pœna grauioris culpæ, & Carceris puniendi. *ibidem* 2. & 287. 1.
Litteræ Patentes pro Magiſterio conceſſæ, ſemper cum illa clauſula generali (ſaluis tuæ Prouinciæ iuribus) intelligendæ ſunt. 318. 1.
Cum litteris ſubreptitijs, vel falſa informatione gradum aliquem conſecutus, & eodem priuari, & inhabilis ad aſſecutionem aliorum reddi debet. *ibidem* 2.
Lites, & quæſtiones cum Prælatis Eccleſiarum, & Clericis ſæcularibus vitandæ. 280. 1. & 232. 1.
Litigare, vel appellare contra Diœceſanos quoſcumque, ſine cauſa legitima, pœnam grauioris culpæ meretur. 330. 2.
Locum in Choro, & vbique Fratres tenere debent, ſecundùm Annos profeſſionis eorum. 353. 1.
Loca, in quibus Religio minùs aptè foueri poteſt relinquenda. 159. 1.
Ex vno loco ad alium Fratres ſeſe tranſferentes, omnia bona ſecum auferre, imò & edificia, & fundos vendere poſſunt *ibidem* 2.
Locus aliquis in quo Priuilegia, & ſcripturæ neceſſariæ ſub tribus clauibus aſſeruentur, in Conuentibus ſtatuendus. 173. 2
Loquendi facultatem intus, & extra Refectorium concedere, quibus competat? 63. 2. & ſequent.

M

MAGISTRO ORDINIS interpretatio Regulæ, & ambiguitatum in Conſtitutionibus debetur. 15. 1.
Illo mortuo, & ordinationes cum illo expirant. 14. 1.
Idem dum eſt in Choro, ſtatim poſt illum, qui facit Officium thurificetur. 28. 2.
Idem circa Officium Diuinum nihil innouare poteſt, ſi non quo ad aliquam Horam tantùm. 29. 1.
Magiſter Ordinis non poteſt tollere conſuetudines approbatas in Ordine, & nouas inducere. *Ibid.* & 265. 2. & 267. 2.
Idem Acta Capitulorum licet non mutare, limitare tamen poteſt. 265 1.
Idem poteſt abſoluere Fratres ab omnibus Cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, paucis dumtaxat exceptis. 83. 1. & 226. 2.
Idem poteſt dare licentiam Fratribus, vt confiteantur Sacerdoti alterius Ordinis. *ibidem*.
Magiſtro Ordinis ſoli facimus Profeſſionem, & promittimus obedientiam, & quare? 108. 2.
Magiſter Ordinis licentiam dare poteſt, bona Conuentuum tam mobilia, quàm immobilia etiam in perpetuum locandi, vendendi, vel commutandi. 166. 1.
Idem omnes, & ſingulos Fratres à ſuis Officiis, & Prælationibus remouere poteſt, non obſtantibus quibuſuis eorum exemptionibus. 215. 1. & 226. 2.
Idem dum moritur, quo ordine mors eius vniuerſis Prouincijs denuncianda? 220. 1.
Magiſtro Ordinis mortuo, vel amoto, vices eius quiſnam gerere debet? *ibidem*. 2.
Eidem ceſſio à ſuo Officio quando permittenda? & quis locus dum amouetur aſſignandus? 249 2. & ſeqq.
Idem ſtatim ac eligitur, plenam curam habet omnium Fratrum totius Ordinis. 226. 1. & 265. 1.
Idem Vocales ad imminens Capitulum acceſſere, vel ne ad illud veniant, licentiare poteſt. 258. 2.
Magiſterij gradum vt quis obtineat, ſuæ Prouinciæ petitionem habere, & examen rigoroſum ſubire tenetur 317. 2.
Ad Magiſterij gradum ſuſcipiendum, vt aliquis poſt abſolutos actus ſuos ſcholaſticos habilis reddatur, Generalis Capituli, vel Magiſtri Ordinis approbatio requiritur. 320. 1. & 318. 1. & ſequent.
Magiſtri Prouinciæ, à ſequela Chori exempti ſunt. 23 1
Magiſtri in Theologia quem locum tenere

nere debent? 252. 1.
Magiſtri omnes etiam actu non legentes, in Conuentu ubi viget Generale ſtudium, habent vocem in receptione, & remiſſionem ſtudentium Formalium. 318. 2.
Magiſterij graduum nequit habere, qui per Annos 4. in aliqua Vniuerſitate ſententias non legit. 319. 2.
Magiſterij inſignia Fratres habere poſſunt. 89. 2.
Magiſtri Studentium poſſunt eligere duos Priores eodem Anno. 197. 2.
Magiſtri ſtudentium quodnam ſit officium? declaratur. 309. 2.
Magiſtrum ſtudentium agere non poteſt, qui non prius prælegit curſum Artium, & ad Theologiam legendam idoneus repertus non fuerit. 310. 2.
Magiſtri Studentium ſaltem ſemel in Hebdomada, Studentes circa Lectiones examinare tenentur. 315. 1.
Magiſter Nouitiorum cuius ætatis, & doctrinæ eſſe debet? 78. 2. & 79. 1.
Magiſtri Nouitiorum officium recuſantes, quibus pœnis ſubijciuntur? ibidem.
Magiſtri Nouitiorum, circa educationem iuuenum quantá cura adhibenda? ibid.
Magiſter Conuerſorum grauis aliquis, & optimus Clericus conſtituatur, qui eos humilitatem, & obedientiam doceat. 328. 2.
Matrimonijs conciliandis non debent ſe intromittere Fratres noſtri 9. 1 & 284. 2.
Memoria S. Dominici P. N. in Officio quotidiano B. M. V. numquam intermittenda. 30. 1.
Memorialia falſitatibus repleta, Sedi Apoſtolicæ contra Superiores præcipue exhibentes, ſeueriſſimè puniendi. 137. 2.
Mendicantium nomine quinam ſunt intelligendi? 341. 2.
A prima Menſa, nullus præter ſeruitores remanere debet. 50. 2
Menſis ad eligendum Vocalibus conceſſus, quando incipit? 191. 1.
Menſe electionis tranſacto, ſi in eo nullus fuerit electus, deuoluitur ius ad Prouincialem, prouidendi de nouo Priore. ibidem.
Mercaturas Fratres noſtri non exerceant. 84. 2.
Minutio de conſilio Medici 4. in Anno facienda. 57. 1.
Minuti extra Refectorium frugaliter ſunt procurandi. ibidem.
Miſſa, quàm clarè, & quàm celeriter dicenda? 32. 2.
Miſſam quotidie vt audiant Fratres, etiam per pœnitentias compellendi. 21. 2.
Miſſa pro Defunctis, qualibet Hebdomoda cantanda. 24. 2.
In Miſſæ celebratione quæ obſeruanda à Sacerdote? 32. 2. & ſeq.
Miſſarum numerus qua cautela à Fratribus admittendus? 45. 1.
Monaſteria Monialium accedentes, intrantes, vel munera aut litteras eis mittentes, quas pœnas incurrunt? 143. 2. & 342. 2.
Monaſteria Sororum, ſunt ſub cura Magiſtri Ordinis, & Prouincialium. 167. 1.
Monaſteria Monialium ingredi, qua cautela conceſſum etiam ijs, qui curam earum gerunt? ibidem. & ſequent. & 342 2.
Moniales vt habeant vocem in Electionibus Canonicis, 12. Anni à Profeſſione requiruntur. 195. 1.
In Monialium Eccleſijs, nullus extraneus prædicet. 279. 2.
Morbo contagioſo laborantes, ſeorſim ab alijs infirmis curandi. 56. 2.
Mulierum conuerſatio, præſertim iuuenum, quare euitanda? 143 1.
Mulier aliqua ut fiat Tertiaria, certæ conditiones ætatis, & ſufficientiæ attendendæ. 76. 2.
Mulieres Clauſtra, & Monaſteria noſtra, quando ingredi poſſunt. 170. 1.
Mulierum Confeſſiones nullus audire poteſt, niſi habeat ætatis 30. annos completos. 277. 2.
Munera vel pecuniæ non accipiendæ ab ijs, qui gratiam vel iuſtitiam à Prælatis quærunt. 271. 1.
Mutationem generalem ſtatus Ordinis, verbo vel ſcripto Procurans, pœnam grauioris culpæ meretur. 255. 2.

N.

NEglectus, etiam minimorum, non eſt ſine culpa. 5. 1.
Negotia ſæcularium litigioſa, & odioſa, non ſunt ſuſcipienda à Fratribus noſtris. 8. 2. & 284. 1. & 2.
Negotia Religionis ad tribunalia extra Ordinem deferentes, pœnam grauioris culpæ incurrunt. 128. 2.
Negotijs caſuum de jure Ordinarijs reſeruatorum, Fratres noſtri ſeſe implicare non poſſunt. 277. 2.
Nomen Prædicatorum, è quo fuit Ordini noſtro impoſitum. 1. 1. & 111. 1.

Nouit.

Nomina eorum qui in electione poſtulantur, Capitulo publicari, ac in Decreto Electionis ſcribi debent. 182. 1.

Notitia in Confeſſione habita, nulli ſuperiori ad exteriorem gubernationem ſeruire debet. 17. 2.

NouitiiOfficium Diuinum recitare non tenentur. 22. 2.

Nouitij ad illos Conuentus perpetuò ſpectant, pro quibus ſunt recepti. 72 1. & 103. 1.

Nouitij in minoribus Conuentibus ad Habitum recepti, intra Menſem ad Conuentus maiores ſunt tranſmitendi. 77. 1.

Nouitiorum Congregatio, debet eſſe ad minus in numero ſenario. *ibidem*.

Nouitij de quibus a Magiſtro eorum inſtruendi? 78 1. & ſeq.

Nouitij in Anno probationis, ſtudijs Artium non occupentur. 81. 2.

Nouitij vſque ad Sacerdotium, ſub cura Magiſtri indiſpenſabiliter permaneant. *ibidem*.

Nouitij ſine conſilio Patrum, cauſa maturè diſcuſſa, Habitu Ordinis non exuantur. 82. 1.

Nouitijs ad remotiones Conuentus mittendis, aliquis Pater bonæ famæ comes itineris adiungatur. *ibid* 2.

Nouitiorum Confeſſio ante Profeſſionem recipi debet. 86. 2.

Nouitij ante Profeſſionem de debitis ſe expediant. *ibidem*.

Nouitii intra tempus probationis, Pſalmodiæ, & Officio Diuino ſtudeant. 95. 1.

Infra Annum ad longiores partes non mittantur. *ibid*.

Nouitiorum veſtes ante Profeſſionem alienari non debent. *ibidem*.

Nouitij non interſint Capitulo, nec in Dormitorio cum aliis Fratribus iaceant. 95. 1.

Nouitius completo Anno probationis, ex Religione expelli non poteſt. *ibidem*. 2.

Nouitiorum Domus benè diſpoſita, ſeparata, & immunis ab ingreſſu omnium eſſe debet. *ibidem*.

Nouitij volentes redire ad ſæculum liberè permittantur. 96. 2.

Nouitiorum renunciatio, aut obligatio etiam cum iuramento facta, effectum ſortiri non debet, niſi ſecuta profeſſione. 97. 2.

A Parentibus Nouitiorum præter victum, & veſtitum nihil aliud recipi debet, ſub pœna anathematis. 98. 1.

Nouitij quidquid ad Ordinem ſecum detulerint, in communi depoſito ſeruari, nec vllo modo ante Profeſſionem alienari poteſt. *ibidem*.

Nouitio ante Profeſſionem faciendam expreſsè proteſtari debet, quòd Profeſſio ſua eundem obligabit ad tria vota. 99 1.

Nouitij ſine licentia à Conuentu recedentes, ſi infra 8. dies non redierint, pro refutatis ab Ordine habeantur. *ibidem*.

Nouitij ſine licentia ex vno Conuentu egreſſi, & ad alium declinantes, Annum probationis à die acceptationis ſuæ inchoare tenentur. *ibidem*. 2.

Nouitiorum veſtes in profeſſione, & non ante benedici debent. 114. 2.

Numerus, & Ordo Prouinciarum, qualis, & quantus ſit? 221. & ſequent.

O

OBedientiæ tranſgreſſio eſt peccatum mortale. 85. 1.

Obedientiæ votum 4. potiſſimum modis infringitur. *ibidem* 2.

Obedientiæ votum inter alia vota Religionis eſt principalius. 103. 2.

Officium B. M. V. in Dormitorio ſtando dici debet. 20. 2.

Officium de Tempore, debet præcedi ab Officio B. M. V. excepto Completorio. 20. 2.

Officium B. M. V. quo tempore omittendum? *ibidem*.

Officium Diuinum tàm in Choro quàm extra, diſtinctè, & cum debita attentione recitandum. 22. 1.

Officium Diuinum pro varietate dierum, cum majori vel minori ſolemnitate dicendum. 26 2.

Officium de S. Thoma Aquinate faciendum Ferijs quartis non impeditis. 30. 1.

Officium Defunctorum ſemel in Hebdomada ab omnibus, & ſingulis Fratribus perſoluendum. 24. 1.

Ad illud omnes Fratres etiam exempti conuenire tenentur. *ibidem*.

Opinionem aliquam oppoſitam communi Doctorum ſententiæ, vel Articulum pugnantem cum Decretis S. Concilij Tridentini tàm publicè, quàm priuatim defendere prohibemur. 302. 2.

Oratio mentalis, quo, & quanto tempore habenda? 28. 2.

Ordinationes tàm Capitulorum General. quàm Magiſtri Ordin. quo ad vim præcepti, & Cenſuras, quamdiu durare debent? 14. 1.

Nihl

Nihil ordinati vel prohiberi debet, cum hac pœna, quod non poſſit abſolui à peccatis ſuis. 15 1.
Ordines Mendicantium quinam proprie vocantur? 74 2.
Ex vno Ordine ad alium tranſire, nullus poteſt, niſi de licentia Sedis Apoſtolicæ. 75. 1.
Ordo S. Dominici ab Honorio III. confirmatus fuit. 106. 2.
Ordo Prædicatorum eſt arctior quàm appareat, alioſque Mendicantium Ordines non ſolùm antecedit, ſed & tenet ſuperiorem gradum. 8. 1. & 111. 1.
Ex Ordine noſtro egreſſi, & ad eundem iterum redeuntes, à tempore quo reuertuntur, antiquitatis ſuæ Anno numerare debent. 148. 1.
Ab Ordine propter culpam expulſus, non eſt abſolutus ab obedientia Prælati, quouſque non tranſierit ad aliam Religionem. 148. 2.
Ordinis nullam dignitatem ante decennium merentur, qui deſertores Habitus effecti, iterum ad Ordinem recipiuntur. 151. 1.
Extra Ordinem commorantes, nec paſſiuam, nec actiuam vocem habent. 196. 1.
Ordo noſter eſt immediatè ſubjectus Summo Pontifici, & exemptus ab omni juriſdictione Prælatorum. 205. 2.
Ordinibus Sacris initiandi à Patribus Conſilij exponi, & à Prouinciali ad hoc licentiari debent. 325. 2.
Ordinatus non permittatur exequi ſuſceptos Ordines, ſi non habuerit litteras teſtimoniales Ordinantis Epiſcopi. 325. 2.
Ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus ſuſcepturi, certa Annorum interſtitia ſeruare tenentur. *ibidem*.
Ordinibus Sacris initiari non poſſunt, qui non ſunt probatæ vitæ, & doctrinæ ſufficientis, & niſi calleant Cantum Religionis. *ibidem*. 2.
Ordinem Presbyteratus qui nec dum habet caret voce in electione Canonica. 182. 2.
Ordines in Apoſtaſia ſuſcipiens, poteſt à ſuſpenſione per Magiſtrum Ordinis vel Prouincialem abſolui. 154. 2.
Ordinatus in Apoſtaſia pænam carceris per 4. Menſes ad minus meretur. 154. 1.

P

PAuſæ in dicendo Diuino Officio, qualiter faciendæ? 26. 1.
Patres Prouinciæ quinam ex vi Conſtitutionum cenſeri debent? 230. 1.
Patres à Conſilijs quinam ſunt de iure, & quem ordinem inter ſe, quemue numerum ſeruare tenentur? 66. 2. & ſeq.
Pœnæ exigunt declarationem Superioris in particulari. 13. 1.
Pœna ſequeſtrationis, in quibus caſibus infligenda? 130. 1.
Pœna talionis puniendi, non probantes obiecta, maxime contra Superiores. 137. 1.
Ad pœnam grauioris culpæ damnati, in paruis Conuentibus non aſſignentur. 144. 2.
Pœnam grauioris culpæ incurrens, abſtineat à Communione. 131. 1.
Pœnam grauioris culpæ, qui in una Prouincia incurrit, ab illa in alia Prouincia abſolui non poteſt. 288. 1.
Pecunia cuicumque Fratri pro veſtibus à Parentibus data, per Procuratorem Conuentus expendi debet. 59. 2.
Pecuniam Fratres ſine Prælati ſui ſpeciali licentia recipere, & expendere non poſſunt. 87. 2. & 88. 2. & 89. 2. & 91. 1.
Pecuniæ aliquæ annuales, pro reparatione fabricæ Conuentus, & aliis neceſſitatibus, à Prouincialibus Conuentus Viſitantibus ſequeſtrentur. 173. 2.
Peccatum carnis ſeueriùs puniendum 133. 2.
Pelliceis ſylueſtribus, & coopertorijs quarumcumque Pellium vti prohibemur. 59. 1
Percuſſores Fratrum quomodo puniendi? 126. 2. & 133. 1.
Perſequentes iniuſtè eos, qui ad electionem ſe induci non permiſerunt, ſententiam Excommunicationis incurrunt. 199. 2.
Petitio promouendorum ad gradus, non à ſolo Prouinciali, ſed à toto Diffinitorio fieri debet. 317. 1 & 319. 2.
In petitionibus graduandorum, exprimi debent Anni, quibus laborauerunt. 318. 1.
Pictantia cum uno ferculo, ſingulis diebus à Fratribus habenda. 52. 2.
Pignora, ſeu obſides non ſunt à Fratribus ſuſcipienda. 8. 2.
Portarius in omnibus Conuentibus diſcretus, & maturus conſtituendus. 171. 2.
Per portas Eccleſiæ, vel quaſcumque alias egredi ex Conuentu vetitum, niſi per vnicum commune oſtium Domus. 172. 1.
Summum Pontificem, qui publicè, vel pri-

pri-

priuatim diffamauerit, Carceris pœnam meretur 329 2.
Poſſeſſiones, & redditus, liberè, & licitè habere permittimur. 164. 2. & ſeq.
Poſſeſſiones, & reditus perpetui, ſub pœna Excommunicationis vendi non poſſunt. 165. 2.
Præcepta ad peccatum mortale obligantia aut nulla, aut quàm pauciſſima facienda. 12. 2.
Præcepta ſcienter tranſgredientes, pœna grauioris culpæ plectendi. 125. 2.
Præceptum in Regula nullum eſt; Præter tria vota. 10. 1.
Præceptum in Conſtitutionibus eſt, vbi ponitur ſententia Excommunicationis. *ibidem*.
Prædicatores Generales à Prouinciali, & duobus Diffinitoribus inſtitui poſſunt. 238. 1.
Prædicatores Generales, non per litteras, ſed per Acta Capituli faciendi. *ibidem*.
Prædicatores Generales, vt fiant, certas conditiones ætatis, & doctrinæ ſeruare tenentur. 282. 1. 333. 2.
Prædicatores Generales numerum Conuentuum non excedant. 334. 2.
Prædicatoris titulo nullus donetur, niſi Curſum Artium, & Sac. Theol. per triennium audiuerit. 276 2.
Prædicatores actu prædicantes, à ſequela Chori eximuntur: attenta tamen Prouinciarum conſuetudine. 23 1.
Prædicatores in ſuis prædicationibus, non admoneant dari, vel colligi pecunias prætextu cuiuſcumque extranei quæſtus. 281. 1.
Prædicator, vt dignè prædicet, quibus qualitatibus debet eſſe præditus? 276. 1.
Prædicationis officium, in Eccleſia præcipuum. 275. 2.
Prælatus in ſuo Conuentu tantum, cum ſuis, & alienis Fratribus diſpenſare poteſt. 6. 2.
Prælatus ſolus ille eſt, qui habet curam animarum. 5. 2.
Prælati in iis, quæ ad releuandam ſubditorum conſcientiam neceſſaria ſunt: benignos, & faciles ſe exhibeant. 12. 2.
Prælati non ſint faciles ad præcepta, & Cenſuras fulminandas. 12. 1. & 14. 2.
Prælati, quas pœnas incurrunt, ſi non exemptos à grauaminibus Ordinis, exemptionibus gaudere permittunt. 23 2.
Prælati poſſunt diſpenſare Fratres, quod proprietatem Officij, ſed non quo ad ſubſtantiam. 24. 1.
Prælatus, qui præeſt in Choro, & Menſa, qua authoritate polleat? 27. 1. & 54. 1.
Prælati in præcipuis Feſtis diſpenſare poſſunt cum toto Conuentu, cum certa tamen cautela. 48. 1.
Prælati faciles ad diſpenſandum, temporibus pro abſtinentia deſignatis, grauius puniendi. 49. 1.
Prælati negligentes circa infirmos, à ſuis officiis abſoluantur. 55. 1.
Prælatus cum ſubdito ſibi Religioſo diſpenſare non poteſt, vt aliquid proprium habeat. 87. 1.
Prælati judicium recuſantes, ſeueriſſimè puniendi. 129. 1.
Prælatus ad eum qui eſt in grauiori culpa, ſeniores mittere tenetur. 130. 2.
Prælatus inferior Fratri conuicto de gravi delicto: quo ad pœnas priuatiuas parcere nequit. 131. 2.
Prælato manus violentas inijcientes, quam pœnam merentur? 133. 1.
Prælati Ordinis noſtri, in correctione delinquentium, 4. tantùm ſubſtantialia iuris obſeruent, reliquis rimulis, & apicibus iuris poſtpoſitis. 134. 2.
Prælatis cauendum eſt, ne ira perciti corripiant Fratres. 236. 1.
Prælatus delinquens ex præcepto Charitatis à ſubditis admoneri, & corrigi debet correctione tamen humili. 145. 1.
Prælati ad inſtantiam perſonarum, extra Ordinem noſtrum conſtitutarum, nihil concedere poſſunt, vt ſint liberi à peccati mortalis grauamine. 298. 2.
Prælationis Officium habere nequeunt ante decennium, qui prius extra Ordinem ſine Superiorum licentia manentes, poſtea intra Religionem reuertuntur. 295. 1
Prælatos ſæculares valdè venerari, & colere debemus, nec eis vnquam detrahere. 330. 2.
Præſidentes Conuentuum omnium Cellas viſitare: & ea, quæ paupertati contrariantur auferre debent. 84. 2.
Nullus Præſidens poteſt ſe ipſum declarare abſolutum ab officio. 13. 1.
Priores Conuentuales Vicarios Locorum præcedere debent. 27. 1.
Priores poſſunt abſoluere in ſuo Conuentu omnes Fratres, etiam hoſpites, à Cenſuris, & peccatis, niſi fortè eſſet exceſſus grauis delinquentis. 7. 1. & 82. 2.
Priores in ſuis Conuentibus, poſſunt præcepta facere obligantia ad mortalem culpam. 11. 2.
Priores in ieiunijs, quo moderamine diſ-

diſpenſare poſſint? 47. 2. & 48. 1.
Priores à Choro, & Refectorio nullatenus ſe abſentent 51. 1.
Priores cibarijs Conuentus ſint contenti. 50. 2.
Priores Sacramenta Fratribus ad ſuum Conuentum venientibus miniſtrare poſſunt. 82. 2.
Priores Conuentuales, extra commune Depoſitũ pecunias tenere non debent. 93 1.
Priores Fratribus indigentibus, ac infirmis, de neceſſitatibus prouideant. 94. 1
Aſſerere Priorem, non eſſe ſui Conuentus Priorem, vel ab ejus obedientia ſe ſubtrahere, pœnam grauioris culpæ meretur. 126. 2.
Priores proprio iudicio Fratres incarcerare non poſſunt. 134 2.
Priores in Conuentibus, vbi viget ſtudium Generale, debent, eſſe viri graues, & literati. 192. 2.
Priores infra quadriennium in eodem Conuentu reeligi non poſſunt. 193. 1.
Prior in uno Conuentu, non habet vocem in alio, niſi ſit ibi Vicarius. 197. 2.
Prior poteſt inſtituere Vicarium in ſuo Conuentu Priorem, vel Fratrem alterius Conuentus. 200. 2.
Prior nouiter electus, antequam veniat ad ſuum Conuentum, non poteſt Suppriorem à ſuo officio remouere. 202. 1
Priores abſoluti à ſuo officio, pertinent ad illos Conuentus, de quibus fuerunt aſſumpti. 204. 2.
Priores Conuentuales ab officio Prioratus cenſentur abſoluti, quamprimum in Prouinciales confirmati fuerint. 215 2.
Priores conſuetudines contrarias inducentes, abſolutionem merentur. 4. 2.
Priores Conuentuum Fratres ſuos vltrà dietam licentiare non poſſunt, niſi in certis caſibus. 285. 2.
Prior aduenientem Priorem hoſpitem honorificè tractare debet. 289. 2.
Prior Conuentualis, Prouinciali extraneo ſecum in Refectorio comedenti, locum nolæ dare tenetur. *ibidem*.
Prior tàm Prouincialis, quàm Conuentualis, non poteſt ad nutum inſtituere, vel deſtituere Magiſtrum Nouitiorum 79 1.
Priores tàm Prouinciales, quàm Conuentuales Apoſtatas ab Excommunicatione abſoluere poſſunt. 150. 1.
Priores tàm Prouinciales, quàm Conuentuales de ſtudiorum diligentia, & Lectorum aſſiduitate curam ſingularem gerant. 307. 1.
Prior in Ordinè, ſit Prior in via. 285. 1.
Prior in Ordine ſi non ſit Prælatus, nullam habet in ſocium itineris iuriſdictionem. 288. 1.
Priuationes vocum fieri non debent, à tempore, quo innoteſcit carentia Prouincialis in Prouincia. 214 1.
Priuilegio alicui noſtro Ordini conceſſo quicunque Frater renunciauerit, pœnam grauioris culpæ incurrit. 205 2. & 330. 1.
Proceſſio pro Defunctis per Clauſtrum, qualibet Hebdomada facienda 24. 2
Ad eam omnes & ſinguli Fratres, etiam exempti conuenire tenentur *ibidem*.
Proceſſus Fratrum Defunctorum comburantur, niſi hoc vergat in præiudicium viuentium. 144. 2.
Proceſſus viuentium: ſub pœna grauioris culpæ, apud Prouinciales tantùm tutò ſeruentur. 145. 1.
Proclamationes in Capitulo qualiter faciendæ? 123. 2.
Procuratorem in Curia Romana Magiſter Ordinis inſtituere, & deſtituere poteſt. 215. 1.
Profeſſio infra ætatem à iure taxatam eſt invalida, & recipientes ad talem Profeſſionem pœnam grauioris culpæ incurrunt. 70. 1.
Profeſſus in alia Religione, vel ab ea electus, non eſt recipiendus ad Habitum noſtrum. 72. 2.
Profeſſionis annus, & dies tàm à Clericis, quàm à Conuerſis in libro deſignato adnotetur. 74. 2. & 78. 1. & 114. 1.
Ad faciendam Profeſſionem anni ætatis 16. requiritur. 98. 2. & 99. 2.
Profeſſio alicuius ad profitendum inepti, ad 6 menſes tantummodo differri poteſt. 100. 1.
Profitenti interrogatoria fiant, & reſponſiones in libro ſcribantur teſtimonijs aliquorum firmata. 100 2. & 102. 1.
Profeſſionis faciendæ modus præſcribitur. 101 1.
Profeſſus ante legitimam ætatem Religioni non eſt obligatus. 102. 1.
Profeſſus in vno Conuentu, non poteſt determinari vt pertineat ad alium. 103. 1.
Profeſſio duplex, tacita, & expreſſa: & vtreque obligat 103. 1. & 104. 1
In vna Religione cautius quis profitetur, quàm in alia. 104 1.
Profeſſio expreſſa cum mala intentione facta, aliquando tenet, aliquando non. 104. 2.

Pro-

Profitentes, quare B. M. V. & B. Dominico profitentur? 105. 2. & ſeq.
Profitentes Ordinem Prædicatorum, promittunt ex conſequenti ſervare ſpectantia ad ipſum Ordinem. 110. 1.
Profeſſio liberat profitentem ab omni voto ſimplici, ſed non à debito humano pecuniario? 113. 2.
Profeſſi poſt triennium ab ingreſſo Religionis, correctioni intereſſe poſſunt. 242. 1.
Promoti ad aliquam dignitatem Eccleſiaſticam extra Ordinem noſtrum, ipſo facto ſunt ab omni officio, & Præſidentia Ordinis, tum & vtraque voce abſoluti. 293. 2. & ſequent.
Promouendi ad quemcumque gradum, vel officium Scholaſticum, prius fidei Profeſſionem facere tenentur. 317. 2.
Propoſituræ Candidatorum in electionibus extra ſpecialem neceſſitatem fieri non debent, vel ſi fiant, non pauciores, quàm tres proponantur. 190. 2.
Proprietarij quinam propriè cenſeri debent? 84. 1.
Quæ vitio proprietatis vicina ſunt, illis Fratres ſe immergere non debent: 9. 1.
Proprietarius, beneficio Eccleſiaſticæ ſepulturæ priuetur. 88. 1.
Proprietarij pœnam incurrant, qui res ex auro, & argento, ac lapidibus pretioſis, apud ſeculares depoſitas aſſeruant 89. 1.
Proterua contentio quid ſit, & quomodo punienda? 126. 1.
Prouinciæ Indiarum habent ſpeciale priuilegium, circa vocem activam Fratrum extraneorum illuc aſſignatorum. 196. 2.
Prouinciæ per Vicarias diſtribuantur. 217. 1.
Prouincia quælibet, non poteſt habere in Capitulo Generali, vltra tria vota: 233. 2.
Prouinciales illicò Acta Generalis Capituli publicare tenentur 15. 2.
Prouinciales Diffinitoribus ſuis tenentur reddere rationem tàm eorum, quæ ad officium ſuum, quàm, & quæ ad perſonam pertinent. 94. 2.
Prouinciales facinoroſis Fratribus, propter delicta grauia apud ſæculares nota, pœnas extraordinarias (etiam triennium) adhibere poſſunt 135. 2.
Prouincialis amotionem, nullus ſub pœna grauioris culpæ attentet, niſi habuerit commiſſionem à maiori parte Patrum ſuæ Prouinciæ. 144. 1.
Prouinciales infra 8. annos, eorum abſolutionem immediatè ſequentes, ad idem officium eligi nequeunt. 193. 1. & 212. 1.
Prouinciales poſſunt inſtituere Suppriores in ſua Prouincia. 200. 1.
Prouinciales Prouinciam ſuam, vel per ſe, vel per delegatos Viſitatores, quotannis viſitare tenentur. 270. 1. & ſequent.
Prouinciales in Capitulo Generali confirmentur, ſi illud in proximo eſt celebrandum. 215. 2.
Prouinciales intra, & extra ſuam Prouinciam, quam poteſtatem, obedientiam, & præcedentiam habent? 216. 1. & 217. 2.
Prouinciales abſoluti, ſpectant ad illos Conuentus, de quibus fuerunt aſſumpti. 216. 1.
Quem locum poſt abſolutionem ſuam deſignatum habent? 251. 2.
Prouinciales titulares non fiant, excepto Prouinciali Terræ ſanctæ. 233. 2.
Prouincialis non poteſt abſoluere Fratres à pœnis grauioris Culpæ, vigore commiſſionis, quæ ſibi à Diffinitoribus Capituli ordinariè datur. 265. 2.
Prouiſio Prioris Conuentualis, quando ve ad Prouincialem, vel ad Magiſtru m Ordinis deuoluitur? 191 2.
Pueri infra 14. annum non ſunt recipiend ad Habitum Ordinis. 76. 1.
Pulmenta cocta cum Carnibus, extra Clauſtrum comedere licet. 51. 2.

R

RAſuræ qualitas, & tempus præſcribitur. 61. 2.
Ratiociniis obligatus, non eſt reijciendus ad Religionem 70. 2.
Recipiendi ad Habitum ſiue Clerici, ſiue Conuerſi, coram PP. Conſilij diligenter priùs ſunt examinandi. 68. 1.
A receptione Habitus, & ingreſſu Religionis quinam arceri debent? 68. 2. & 69. 1. & 71 2. & 72. 2.
Recurrentes ad perſonas extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutas, ſiue pro effugiendis pœnis, ſiue pro obtinendis gratijs, pœnæ grauioris Culpæ ſubijciuntur. 128. 1. & ſeq. & 298. 2. & ſequent.

Refectorium Fratres bini, & bini ingre-di debent, in medio illius inclinantes. 50. 1.
Regentes poſſunt eligere duos Priores eodem Anno. 197. 2.
Regentis ſtudij Generalis, quodnam ſit officium, quæue authoritas? declaratur. 309. 2.
Regula, & Conſtitutiones noſtræ, quomodo nos obligent? 9. 2. & 11. 1.
Regula S. Auguſtini inter alias Regulas multum excellit. 109. 2.
Regulares ad Curiam Romanam leui ex cauſa recurrentes, ad ſuos Superiores remittantur, ſæverior pœna plectendi 135. 2.
Regularis extra Monaſterium delinquens, ab Ordinario loci puniri, ac corrigi poteſt. 142. 1.
Reuelatio criminum cum infamia Fratris particularis, vel Ordinis, pœnam grauem meretur. 255. 1.
Reuelari Prælato crimen occultum Fratris non debet, niſi priùs præcedat tacita correctio, facta delinquenti à ſciente tale crimen. 273. 1.
Religioſus rerum ſibi conceſſarum vſum tantùm habet, ſed non vſumfructum. 85. 1.
Ad eandem Religionem in qua eſt pater, non recipiatur filius eius naturalis. 75. 2.
Religioſi qui volunt diſponere de rebus ſuis ſecundùm libitum propriæ voluntatis, ſunt in malo ſtatu. 84. 1. & 87. 2.
Religioſus propter aliquas tranſgreſſiones, non obligatur ad culpam. 85. 2.
Religioſus Profeſſus, nihli proprium poſſidere debet. 86. 2.
Religioſus ad ſuperfluitatem, & redundantiam res ſibi conceſſas habens, peccat. 90. 1.
Religioſi quomodo ſunt in ſtatu perfectionis? 101. 2.
Religioſi non committunt mendacium, dum poſt factam Profeſſionem non ſunt perfecti. *ibidem*.
Religioſus non tenetur obedire Prælato ſuo in his, quæ ſunt contra præcepta Dei, & Eccleſiæ, & contra Regulam. 112. 2
Religionem intrantes eandem gratiam conſequuntur, quam aſſequuntur Baptizati. 113. 1.
Religioſus quilibet non habet velle, aut nolle, nec eſt in eo diſſentire. 189. 1.
Res ad vſum alterius deſtinatas, abſque illius licentia accipere non licet. 117. 2.

S

Sacerdos celebraturus antequam ſe induat, genuflexus confiteatur: 32. 2. & 84. 1.
Sacerdos Epiſtolam manibus ſuper librum vel Altare cancellatis, legat. 33. 1.
Sacerdos quilibet 30. Miſſas de *Requiem* in anno celebrare tenetur. 44. 1.
Sacerdos in celebratione Miſſæ impeditus, illam audiat. 21. 2.
Sacerdos pro Anniverſario Fratrum, & Sororum 3. Miſſas dicat. 42. 2.
Salutem animarum quænam impediant? 8. 1.
Sacra Scriptura iuxta conſenſum SS. PP. exponenda. 302. 2.
Sacriſtæ omnia quæ pro Eccleſia offeruntur, in Inuentarium redigant. 174. 2.
Ad *Salve Regina* omnes Fratres etiam exempti conuenire tenentur. 28. 1.
Sacramento Sanguinis Chriſti, quanta reuerentia in Miſſæ celebratione debetur. 33. 1. & ſeq.
Satisfaciens pro grauiori culpa, quàm primùm ſatisfecerit, & officio, & vtraque voce, qua priuatus fuerat, gaudeat. 132. 2.
Secularibus ſcientijs addiſcendis, non multum occupentur Fratres noſtri. 301. 2.
Scapulare dormientes deferre non tenemur. 58. 1.
Scapulares commiſſuram manicarum, & tunicæ cooperiat. 60. 2.
Scapulare eſt HabitusOrdinis noſtri, proindeque benedicendum. 114. 2.
Scandaloſus, & Periculoſus, cuius conuerſatio nocet Communicati, in Carcerem recludatur. 148. 2.
Scholaſtica officia illis committenda, non qui ſunt natu maiores, ſed qui ad docendum aptiores. 310. 1.
Scripturæ, quæ in Depoſito aſſeruantur, inde nonniſi in præſentia Prælati extrahantur. 174. 2.
Scrutinium Electionis coram Vocalibus legi, & Sigillo claudi debet. 182. 1
Scrutatores in Electionibus, quinam ſunt

ſunt de iure? 185. 2 & 214. 2.
Scrutinio ſemel publicato, Vocales non poſſunt amplius immutare vocem ſuam. 187. 1.
Scrutinia Prouincialium, per tabellarios, aut Conuerſos mittantur 215. 1.
Scrutinium ſuper retentione, vel amotione Priorum tàm Prouincialium, quàm Conuentualium quomodo faciendum? 239 2. & ſequent.
Secretarius Conſilij, vocem conſultivam tantum habet. 67. 1.
Secreta Conſilij reuelantes, priuandi ſunt Paternitate. *ibidem.*
Secreta Capituli Generalis aut Prouincialis nullus reuelet. 254. 2. & ſeq.
Secretum in damnum Communitatis, vel periculum ſcandali aut ruinæ vergens, Prælato præcipienti eſt revelandum. 272. 1. & 263. 1.
Secreta quàm cautè ſuſcipienda, & quàm diligenter retinenda. 262. 2. & 272. 1.
Secunda Menſa, non tamen tertia facienda. 30. 2.
Sedentes in terra pro fractione ſilentij, non tenentur abſtinere in pane, & a aqua. 65. 1.
Sedentes in terra pro alijs culpis, qualia Cibaria habere debent? 130. 2.
Seruitores Menſæ in deferendis, & colligendis ſcutellis, ac menſæ reliquijs quo modo ſe habere debent? 30. 1. & 2.
Seruitoribus Menſæ, vel Miniſtris, nulla extraordinaria pictantia detur. *ibidem.*
Servus ad Religionem non recipiatur, niſi habeat licentiam Domini. 80. 2.
Silentium in quibus locis, & quàm rigorosè ſervandum? 61. 1. & ſeq.
Silentium in Menſa diſpenſare: quibus competit? 63. 1. & ſeq.
Socius electus pro Capitulo Prouinciali. ſi contingat electionem fieri per Electores, non erit ille verus ſocius, ſed alius denuo eligendus. 212. 1.
Socij Priorum ad Capitulum Prouinciale, eligantur de Conuentibus, in quibus ſunt aſſignati. 231 2.
Socij Priorum vocem habent in Capitulo Prouinciali, illo Anno tantùm, in quo fuerunt electi. 211. 2. & ſeq.
Socius ſemel ad Capitulum electus, non poteſt in eodem Conuentu, pro alio ſequenti Capitulo iterum eligi. *ibidem.*
Socius Prouincialis euntis ad Generale Capitulum, vices ſui Prouincialis (ſi fuerit impeditus) in diffiniendo ſubire debet. 257. 1.
Socius Prædicatori aſſignatus, tanquam Superiori ſuo ſervire tenetur. 280. 1
Socij deſignandi Epiſcopis ex Ordine noſtro aſſumptis, diſcreti, moribuſque probati eſſe debent. 292. 2
Spectacula, ſeu repræſentationes etiam Religioſæ, in Eccleſijs noſtris fieri prohibentur. 31 1
Statuta Ordinis, prædicationem, & ſalutem animarum impedienda, non ſunt tam rigide obſervanda. 8. 1.
Subditi propria authoritate non poſſunt ſeipſos diſpenſare. 9. 1.
Studiorum in Religione noſtra inſtitutorum quanta vtilitas. 301. 1. & ſeq.
Studium Linguæ Græcæ, & Hebraicæ, in ſingulis Prouincijs inſtituendum. 302. 1.
Ad Studia Generalia mittendi, & bonis moribus præditi, & ad proficiendum apti, non inſolentes ac moleſti eſſe debent. 305. 1.
Ad Studia Generalia miſſi extra ſuas Prouincias; ſpectant ad illos Conuentus, ex quibus receſſerunt 305. 2.
Studentium Formalium tempus præfinitum, eſt triennium completum. *ibidem.*
Studentes intra ſuam Prouinciam in aliquo ſtudio Generali: poſt triennij ſpatium expletum, remanent Conuentuales, in illo Conuentu, in quo ſtuderunt. *ibidem.*
Studentes à Prælatis Conuentuum, in quibus ſtudent, benignè tractari, & penes ſua priuilegia conſeruari debent. 314 2.
Studentes Formales quibus diebus ad Chorum tenentur? 315 1.
Studentes extra terminos Conuentuum in quibus ſtudent, ſine licentia Prouincialis, vel eius Vicarij egredi nequeunt. *ibidem.*
Succeſſionem in libris, vel alijs rebus, nullus Frater poſt mortem alterius procuret. 91. 1.
Suffragia pro Fratribus Defunctis, qualiter à Sacerdotibus, Clericis, & Laicis facienda. 43. 2.
Ad Suffragia Fratrum in Vicariatibus, vel Monaſterijs Monialium, vel penes Epiſcopos decedentium, tenentur Conuentus quorum ſunt filij. 160. 1. & 168. 2.
Ad Suffragia defuncti Prioris, obligatur ille Conuentus, in quo fuit Prior. 43. 2. & 44. 1.

Superioribus Regularium, quando licitum eſt audire Confeſſiones ſuorum ſubditorum? 17. 2.
Superiores Regularium quorum peccatorum abſolutionem ſibi reſervare poſſunt? *ibidem.*
Superiores pœnitentias graues, quibuſdam peccatis etiam non reſeruatis aſſignare, & determinare poſſunt. *ibidem.*
Superiores notitia de peccatis ſubditorum in confeſſione habita, ad externam gubernationem non vtantur. 17. 1.
Supprior, & Vicarius eius, non poſſunt ſibi eligere Confeſſorem. 6. 1.
Suppriores in abſentia Priorum, omnes Fratres illius Conuentus, à Cenſuris abſoluere poſſunt. 7 1.
Supprior mortuo vel amoto Priore quam authoritatem habet? 184. 1.
Suppriores de novo inſtituti, duos Priores eodem Anno eligere poſſunt. 197. 2.
Suppriores per conſilium maioris partis Patrum Conuentus inſtituatur. 200. 1.
In Suppriorem vt aliquis inſtituatur, debet eſſe aſſignatus in illo Conuentu. 200 2.
In Conuentû Suppriore carente, infra menſem alius Supprior inſtituatur. *ibidem.*
Suppriores abſolui non poſſunt, imminente tractatu imittendorum ad Capitulum. *ibidem.*
Supprior in abſentia Prioris, nón poteſt Vicarium inſtituere. 201. 1.
Suppriores in ſocios Priorum eligi non poſſunt *ibidem.*
Suppriores ſi ſint Prædicatores Generales. ad Capitulum vadant. *ibid.*
Supprior à Prouinciali inſtitutus, à Priore ſuo Conventuali abſolui poteſt; 202 1.
Suppriores extra Conuentum Baccalaureos non præcedant *ibidem* 2.
Supprior abſolui poteſt à Prouinciali, antequam Prior eligatur, vel in Domo præſens exiſtat. 202. 2.
Syndicus nec vltrà biennium ſuo Officio fungi, nec ad illud ante aliud biennium reeligi poteſt 175 2
Syndico nec eſt concedenda facultas acceptandi pecunias, extinctionem Cenſuum Annuorum cauſantes. *ibidem.*
Syndicus nullas pecunias expendat, niſi prius ad Commune Depoſitum importatæ fuerint. 176. 1.

T

Tabula nomina, & cognomina Fratrum Conuentus continens, penes commûne oſtium Domus affigatur. 172. 1.
Taxillis ludentes pœnam Carceris merentur. 133. 2.
Tempus probationis Nouitiorum eſt vnus Annus completus. 69. 2.
Termini Conuentuum, & Domorum æquitate ſeruata limitandi ſunt. 158. 2.
Extra Terminos Prouinciæ ſuæ nullus Frater prædicare, vel quæſtum facere debet. 290. 1.
Teſtamentorum executores nequeunt eſſe Fratres noſtri, niſi cum licentia Superiorum. 8. 2. & 284. 1.
Teſtimonium falſum, pœna grauioris culpæ puniendum. 127. 1
Teſtimonia ſæcularium fide dignorum, ſi habeantur contra aliquem Fratrem, delinquentem, talis arctari, & ad quæſtiones poni debet. 129. 2. & 261. 2.
Thurificatio in Choro quo ordine facienda. 28. 2.
S. Thomæ Doctrina vbique propugnanda. 303. 2.
S. Thomæ Articuli Theologici, diſtinctè, & articulatè à Lectoribus ſunt declarandi. 304. 1.
Triremibus etiam ad tempus adiudicati, executione Sacrorum Ordinum perpetuò priuantur: 135. 2.
Tunicæ ad cauillam pedum deſcendere debent. 60. 1.
Tunicellam, cingulum, & caligas dormientes deferre tenemur, & ſine his dormire, non eſt ſine culpa. 58. 2.

V

Vagabundi hinc inde curſitantes, & non recto tramite ad ſuos ſuperiores euntes, tanquam Apoſtatæ iudicandi, & carcerandi ſunt. 289. 1. & 2.
Veneni propinatio, etiam effectu non ſecuto, perpetuum Carcerem meretur. 145. 2.
Venia cum extenſione totius Corporis ſuper terram, quando facienda? 41. 2. & 117. 1. & 236. 1.
Venia facienda eſt ab eo, qui ſeruiendo, vel comedendo in aliquo offendit. 32. 2.
Veſtes viles, non pretioſas, certo numero comprehenſas deferre debemus. 59. 2.

Veſtes ex redditibus Conuentuum Fratribus indigentibus prouideantur. *ibidem*.
Veſtes alterius coloris quam albi, inſrà tunicam habere prohibemur. 60. 1.
Veſtes Eccleſiaſticas, vel paramenta aliqua particularia Fratres non habeant. 89. 2.
Veſtes Fratrum per veſtiarium emi, & confici debent. 90. 1.
Vicarius totius Ordinis, à Magiſtro Ordinis inſtitutus, cum ipſo expirare debet. 14. 2.
Vicarius Prioris, non poteſt Nouitios ad Ordinem recipere. 72. 1.
Vicarij Monialium authoritas durare debet, donec reuocetur. 14. 2.
Vicarij Prioris Prouincialis, vel Conuentualis, Apoſtatas comprehendere; reducere, excommunicare, ac ab eadem Excommunicatione abſoluere poſſunt. 149. 2. & ſeq.
Vicarius Magiſtri Ordinis, vel Prioris Prouincialis viſitandis Monaſterijs Sororum ſeſe ingerere non poteſt. 169. 2.
Vicarius Prioris deſinit eſſe mortuo vel amoto Priore: 184 2. & 203. 2.
Vicarius electus à PP. poſt amotionem Prioris, quam authoritatem habet. 185. 1.
Vicarius Supprioris quinam propriè intelligitur? *ibid.*
Vicarius electus à PP. Conuentus, vota eligentium recipere poteſt. 185. 2.
Vicarius datus in Conuentu ſuper omnes Fratres, vocem in electione, vt & alij Vocales habebit. *ibid.*
Vicarius pro electione Prioris facienda, nonniſi in caſu magnæ diſſenſionis Vocalium mittendus. *ibidem*.
Idem voce paſſiua in tali electione caret. 185. 2. & 204. 1.
Vicarius à Priore inſtitutus, non poteſt alium Vicarium ſubſtituere. 201. 1.
Vicariatus Prouinciæ ad quem pertinet, ſi Prouincialis electus antequam confirmetur mortuus fuerit? 214. 2.
Vicarii contratarum quomodo inſtitnendi, & quam authoritatem, ac permanentiam habeant? 217. 1.
Vicarius Magiſtri Ordinis, quam authoritatem habet. 207. 1. & 220. 1. & ſeq.
Vicarius Generalis Prouinciæ, locum Prouincialis in omnibus teneat. 240. 1. & 2.
Vicarij non generales, ſed particulares tàm Magiſtri Ordinis, quàm Prouincialium? quem locum, & quàm authoritatem habent? 240. 2. & ſeq.
Idem quo ordine collocari debent? *ibidem*.
Vicarij Congregationum extra Congregationem ſuam, non habent locum ſuprà Magiſtros, nec ſuprà Priores 241. 1.
Vicarij Generalis Indiarum inſtitutionem, ſub pœna excommunicationis procurare illicitum. 256. 1.
Vigiliæ ante Sacramentum Euchariſtiæ quando fieri debent? 25. 1.
Vigilia Feſti in feriam ſecundam incidentis, Sabbato præcedenti ieiunetur. 48. 2.
Viſitatorem alicujus Prouinciæ nullus ſub grauiori culpa procurare debet, non habita commiſſione maioris partis Patrum ſuæ Prouinciæ. 144. 1.
In Viſitatores non eligantur Priores, nec Lectores, nec Suppriores. 270. 1.
Viſitatores Prouinciarum, quomodo in ſuis Viſitationibus ſe habere debent? 269. 2.
Viſitatores non ſint iuuenes, ſed antiqui in Ordine. 270. 1.
Viſitatores munera non accipiant. 271. 1.
Viſitatores Excommunicationis ſententiam, quando fulminare poſſunt? 272. 1.
Viſitatores in ſuis Viſitationibus circa Studentium diligentiam, & profectu inquirere tenentur 315. 2.
Vitam ſingularem, & vitioſam ducere, quinam propriè dicantur, & qua pœna puniendi? 331. 1. & ſeq.
Vniformitas in omnibus intra Ordinem noſtrum ſeruanda. 4. 1.
Vnitas Ordinis noſtri vnde dependet? *ibidem*.
Vniuerſitates in ſingulis Prouinciis deſignatæ ad legendum pro gradu, & forma Magiſterij recenſentur. 321. 1.
Vocis priuationem merentur, qui Nouitios ante legitimam ætatem ad profeſſionem recipiunt. 102. 1.
Voce vtraque priuantur, illi qui ſunt condemnati ad pœnam grauioris culpæ: quouſque per Magiſtrum Ordinis, vel Diffinitores non fuerint reſtituti. 131. 2.
Vocem actiuam in Electionibus Canonicis habent, qui expleuerunt Annos 6. à profeſſione tacita vel expreſſa, & ſunt Sacerdotes. 194. 2. & 243. 1.

Vocalibus, qui non ſunt plures quam duo in aliquo Conuentu, adiungi debent alij, ut procedatur ad Electionem. 195 1. & 2

Vocem in Electionibus non poſſunt habere, qui ordinariè permanent extra Conuentus, quacumque ratione ibidem exiſtant. 195. 2. & 295. 1.

Vocem in Electionibus habent Fratres extranei, incorporati illi Prouinciæ in qua commorantur. 196 1.

Vocales in quibus caſibus infra tempus Electionis à Conuentu remoueri poſſunt? 298. 2. & ſeq.

FINIS.

INCIPIVNT CONSTITVTIONES Sororum Ord. Prædicatorum.

PROLOGVS.

QVONIAM ex præcepto regulæ iubentur Sorores habere cor vnum, & animam vnam in Domino: iuſtum eſt; ut quæ ſub vna Regula, & vnius profeſſionis voto viuunt, vniformes in obſervantia canonicæ Religionis inueniantur: quatenus vnitatem quæ interius ſeruanda eſt in cordibus, foueat, & repræſentet vniformitas exterius ſeruata in moribus. Quod profectò eò competentius, & plenius poterit obſervari, ſi ea quæ agenda ſunt, ſcripto fuerint commendata: ſi omnibus qualiter ſit vivendum ſcriptura teſte innoteſcat; ſi mutare, vel addere, vel minuere nulli quidquam propriâ voluntate liceat: ne ſi minima negligant, paulatim defluant. Ad hoc tamen in Conventu ſuo quæ præeſt, diſpenſandi cum Sororibus habeat poteſtatem, cum ſibi aliquando videbitur expedire; niſi in his in quibus Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis, vel eorum Vicarij ex cauſa aliter ordinarent. Prioriſſa etiam vtatur diſpenſationibus, ſicut & aliæ Sorores. Vt igitur vnitati, & paci Sororum provideremus, librum iſtum quem Conſtitutionum appellamus, diligenter conſcripſimus: per certa Capitula infraſcripta diſtinctum, vt quod quæretur facilius inueniatur. Declaramus autem, quod Conſtitutiones non obligent Sorores ad culpam, ſed ad pœnam tantum, niſi propter præceptum, vel contemptum.

SERIES CAPITULORUM.

De officio Eccleſiæ. 1
De inclinationibus. 2
De ſuffragiis mortuorum. 3
De ieiuniis. 4
De cibo. 5
De collatione. 6
De infirmis. 7
De minutione. 8
De lectis. 9
De veſtitu. 10
De communitate rerum. 11
De Communione, & lavatura capitum, & tonſura. 12
De ſilentio. 13
De recipiendis. 14
De Novitiabus, & earum inſtructione. 15
De modo faciendi Profeſſionem. 16
De levi culpa. 17
De media culpa. 18
De gravi culpa. 19
De graviori culpa. 20
De graviſſima culpa. 21
De apoſtatis. 22
De electione Prioriſſæ. 23
De modo eligendi. 24
De inſtitutione Supprioriſſæ. 25
De cicatricibus. 26
De cellaria. 27
De labore. 28
De ædificiis. 29
De ingreſſu, & egreſſu domorum. 30
De Capitulo. 31
De conceſſione domorum. 32

Cap. I. De Officio Eccleſiæ.

AVDITO primo ſigno ſurgant Sorores cùm matura feſtinatione, religiosè, & honeſte ſe præparando: & ſtando dicant in Dormitorio Officium de BEATA VIRGINE, quando pro tempore eſt dicendum; una incipiente, & dicente unum verſum, aliis vero reſpondentibus, & dicentibus alium verſum. Matutinas autem, & omnes Horas Canonicas ſimul audiant Sorores, niſi cum aliquibus ex cauſa legitima fuerit diſpenſatum, Horæ Canonicæ omnes in Eccleſia tractim, & diſtinctè taliter dicantur, ne Sorores devotionem amittant, & alia quæ facere habent minime impedian-

pediantur . Quod ita dicimus eſſe faciendum, ut in medio verſus metrum cum pauſa ſeruetur, non protrahendo vocem in pauſa, vel in fine verſus . Hoc tamen magis, & minus pro tempore obſervetur . Horæ verò de Beata Virgine , ante Horas Canonicas dicantur in Eccleſia , excepto duntaxat Completorio, quod nonniſi poſt officium de tempore, vel de feſto quocumque minoris ſolemnitatis , juxta diſpoſitionem Kalendarii , dicitur . Tempore quo bis reficiuntur Sorores legatur ante Completorium in Eccleſia : *Sorores ſobriæ* &c. Poſtea dicto ab ea , quæ præeſt *Adjutorium noſtrum in nomine Domini* , & facta confeſſione , dictoque Completorio , Hebdomadaria aquam aſpergat banedictam : poſteà dicatur *Pater noſter*, & *Credo in Deum* . Poſt Completorium autem (receptis pro tempore diſciplinis, concedatur Sororibus ſpatium mediæ horæ ad clepſidram , ut ſacris meditationibus , & orationi mentali vacare poſſint : ſimiliter , & poſt Matutinas dum de nocte dicuntur . Si verò Matutinum in ſero dicatur, prædicta mentalis oratio medietati horæ commenſuranda , fiat de manè ante Horas Canonicas . Facto autem ſigno omnes egrediantur ab Eccleſia , & intrent locum dormitionis . Aliquis autem locus ſtatuatur, in quo ad prævidendum officium divinum Sorores conueniant tempore opportuno; præſente Priorïſſa , vel alia cui commiſerit .

Cap. II. De inclinationibus .

Finitis Matutinis de Beata Virgine , cum Sorores in Chorum venerint, inclinent ante Altare profundè; & cùm ad ſedes ſuas venerint , facto ſigno ab ea quæ præeſt , flexis genibus , vel inclinatæ profundè pro tempore dicant *Pater noſter* , & *Credo in Deum*: & iterum facto ſigno ab ea quæ præeſt, ſurgant . Horâ itaque devotè inceptâ , verſæ ad Altare, muniant ſe ſigno Crucis, & ad *Gloria Patri* , inclinet Chorus contra Chorum profundè , vel proſternant ſe pro tempore ; uſque ad *Sicut erat* . Hoc etim facien-

iaciendum eſt quoties *Pater noſter*, & *Credo in Deum* dicuntur: niſi Miſſa, & ante lectiones, & gratiarum actiones, in quibus inclinandum eſt ſolum ad *Pater noſter*, & ad orationem *Retribuere*.

Idem etiam faciendum eſt ad *primam collectam in Miſſa*, & ad *Poſtcommunionem* & ſimiliter àd *Orationem*, *pro Eccleſia*, & in ſingulis horis ad collectam, & ad *Gloria Patri*, quotieſcumque in inchoatione horæ dicitur. Ad omnia autem alia *Gloria Patri*, & ad extremos verſus hymnorum, & ad penultimum verſum Cantici *Benedicite*, inclinent uſque ad genua: & quando cantatur *Gloria in excelſis*, ad *Suſcipe deprecationem noſtram*, & item in benedictione lectionis, & in capitulo ad orationem, *Sancta Maria*.

Item quando *nomen IESV* in Collecta, & in Præfatione, vel in Antiphona *Salue*, vel in *Gloria in excelſis* nominatur. Quando autem *nomen Ieſu* alias nominatur in Choro, Sorores eidem reverentiam faciant, capite cum devotione inclinato.

Item in omni Oratione, quando *nomen Domini noſtri IESV Chriſti*, & *Beatæ Virginis*, & *Beati Dominici*, nominatur, & etiam quando *nomen Beatæ Virginis* nominatur ad Antiphonam *Salve Regina*, & in Miſſa in Præfatione, & ad *Gratia agimus &c.* Sorores in Choro inclinent profundè uſque ad genua. Horâ itaque prædicto modo devotè inceptâ, poſtquam ad *Gloria*, poſt *Venite* inclinauerint uſque ad genua; ſtet Chorus contra Chorum: deinde ad primum Pſalmum ſedeat unus Chorus, & ad ſecundum ſimiliter ſtet, & ſedeat alter Chorus, & ſic alternent uſque ad *Laudate Dominum de cælis*, & ſic faciant ad omnes Horas. Finitis autem lectionibus in Matutinis, (dum in verbis dicuntur) illa quæ legit, inter pulpitum quod eſt in medio Chori, & gradus Altaris inclinationem faciat, vel poſternat ſe pro tempore. Si verò Matutinæ in Cantu perſoluuntur, quælibet ex Sororibus, Finitâ Lectione quam cantavit, faciat inclinationem, vel proſtrationem, modo quo ſupra dictum eſt. Portò ad *Salve ſancta parens*, & ad *Salve* poſt Com-

pleto-

pletorium ad illa verba nimirum *Eia ergo advocata noſtra* uſque ad *poſt hoc exilium oſtende*, maneant Sorores genuflexæ, verſo vultu ad Altare; Idem faciant ad illa verba inuitatorij, *Venite adoremus*, & *procidamus ante Deum*: poſt expletum verò hunc verſum; illæ quæ cantant, vel recitant Invitatorium, reverènter inclinent. Similiter ad *Veni Sancte Spiritus*, ad *Veni Creator Spiritus* in die Pentecoſtes, & per totam hebdomadam, ad *Ex Maria Virgine*, & *Homo factus eſt*, ad illa verba Hymni de Paſſione, *O Crux aue &c.* ad verba Euangelij: *Verbum Caro factum eſt*, & in die Epiphaniæ ad: & *procidentes adorauerunt eum*: ad Verſum Hymni Corporis Chriſti *Tantum ergo Sacramentum* ad *Te ergo quæſumus* in Cantico, *Te Deum*: in proceſſione Dominicæ Ramis Palmarum, ad verba *Ave Rex &c.* in die Paraſceues ad *Sanctus Deus*, ad *Sub tuum præſidium*, ad *Aue Maris ſtella*, ad *Veni Creator Spiritus* in Miſſa de Spiritu Sancto, ac demum in Hymno Feſti Sanctiſſime Trinitatis ad illa verba: *Ad ſumus*, & *nos cernui &c.* Similiter in Hymno, *Chriſte qui lux es*. Ad verſum *quos ſanguine mercatus es* genua flectant.

In ferialibus quoque diebus iaceant proſtratæ à *Sanctus*, uſque ad *Agnus*.

In Feſtis verò Trium, vel Novem Lectionum, iaceant proſtratæ ab elevatione Corporis Chriſti, uſque ad *Pater noſter*. Non tamen faciant iiſdem Feſtis ſimiles proſtrationes ad Horas Canonicas, quas faciunt ferialibus diebus. Quando Prælatus vel illa quæ præeſt iniunxerit aliquam communem orationem, inclinent omnes. Similiter omnes faciant, quibus aliquid facere, vel dicere iniunxerit. Si autem aliquam obedientiam, vel officium, vel miniſterium aliquod cuiuis iniunxerit, humiliter ſe proſternens, ſuſcipiat quod ei iniunctum fuerit. Quando etiam Sororibus quidpiam veſtimenti tribuitur, inclinantes *Benedictus Deus in donis ſuis*, dicant.

Cap. III. De Suffragiis mortuorum.

A Feſto Sancti Dionyſii vſque ad Adventum, pro Anniverſario Fratrum, & Sororum, familiarium, & receptorum per literas ad beneficia Ordinis, literatæ Sorores Pſalterium, non litteratæ quingenta *Pater noſter*, dicant.

Idem faciat quælibet Soror pro Sorore defuncta ſui Conventus. Et idem fiat pro Magiſtro Ordinis, & pro Priore Provinciali defunctis.

Idem etiam pro Viſitatore earum, ſi dum intendit viſitationi Monaſterii, eum mori contigerit.

Idem etiam fiat pro Procuratore Ordinis, ſi in Curia Romana in procurationis officio decedât. Quælibet litterata pro Fratribus, & Sororibus noſtris defunctis, triginta vicibus ſeptem Pſalmos Pœnitentiales dicat in anno. Non litterata triginta vicibus centum *Pater noſter*. In Anno quatuor Anniverſaria fiant. Anniverſarium Patrum, & Matrum, tertia die poſt Purificationem Beatæ Mariæ. Anniverſarium benefactorum, & familiarum die craſtina poſt Octavam Beati Auguſtini. Anniverſarium verò Fratrum, & Sororum, in craſtino Beato Dioniſii. Anniverſarium demum omnium ſepultorum in cœmiterijs noſtris, ubique fiat prima die vacante poſt octavam Viſitationis Beatæ Mariæ. *Porrò circa hæc Anniverſaria ſervetur illa Rubrica, quæ in Breviariis, & Diurnis noviter impreſſis, ad diem* 10. *Novembris adſcripta eſt*.

Cap. IV. De Ieiuniis.

A Paſchate uſque ad feſtum ſanctæ Crucis, reficiuntur bis Sorores, exceptis diebus Rogationum, & ſextis feriis, & vigiliâ Pentecoſtes, & ieiuniis Quatuor Temporum, vigiliâ ſancti Ioannis Baptiſtæ, Petri, & Pauli, Jacobi, & Beati Dominici Patris Noſtri, Laurentij, Aſſumptionis Bea-

Beatæ Mariæ, & Bartholomæi, àc Nativitatis Beatæ Virginis. A feſto autem ſanctæ Crucis uſque ad Paſcha continuum teneant ieiunium, & Nona dicta comedant: exceptis diebus Dominicis (niſi diſpenſatio fiat interdum, & ex cauſa.) In toto autem Aduentu, & Quadrageſima, & ieiuniis Quatuor temporum, & in vigilia Aſcenſionis, & Pentecoſtes, ſancti Joannis Baptiſtæ, Petri, & Pauli, Jacobi, & Beati Dominici Patris noſtri, in vigilia ſancti Laurentii, Aſſumptionis Beatæ Mariæ, Bartholomæi, & Nativitatis Beatæ Virginis, Matthæi, Simonis & Judæ, & Omnium Sanctorum, Andreæ Apoſtoli, & omnibus ſextis feriis, Quadrageſimali vtantur cibo: niſi in locis in quibus in dictis ſextis feriis aliter comederetur, vel niſi præcipuum feſtum fuerit, vel niſi cum aliqua ex cauſa diſpenſetur. Quando autem feſtum habens vigiliam; in qua ſecundùm Ordinem ieiunandum eſt evenerit in ſecunda feria; eius vigilia præcedenti ſabbato ieiunetur, contraria conſuetudine non obſtante. Feria ij. & iij. poſt Quinquageſimam, Quadrageſimali vtantur cibo, & ieiunent. In Paraſceue verò per totum diem in pane, & aqua abſtinebunt.

Cap. V. De Cibo.

HOra competenti ante prandium, vel cœnam, à Sacriſtiſſa paucis ictibus campana pulſetur, ut Sorores venire ad refectionem non tardent. Poſtmodum pulſetur cimbalum ſi cibus ſit paratus, aliòquin non pulſetur donec paratus ſit. Congregatis Sororibus in atrium Refectorij, illa quæ præeſt, incipiat Pſal. *De profundis*: illa dicente unum verſum, alijs verò omnibus reſpondentibus, & dicentibus alium Verſum; in fine tandem ſubiungatur Oratio *Abſolve*. Ablutis verò manibus nolam Refectorii quæ præeſt pulſet, & tunc Sorores ingrediantur; quibus ingreſſis dicat *Benedicite* quæ dicit verſiculos: & Conventus proſequatur benedictionem. Seruitrices autem in deportandis pictantiis incipiant ab inferioribus uſque ad menſam Prioriſſæ aſcenden-

dentes. Nulla Soror à prima menſa remaneat niſi ſervitrices, & niſi de licentia, & ex cauſa. Quotquot autem remanſerint comedant in ſecunda, ita quod tertiam facere non oporteat. Nulla fiat pictantia ſervitricibus, vel miniſtris, quæ non ſit Conventui: niſi ſint infirmæ vel minutæ. Soror non mittat Sorori pictantiam, excepta Prioriſſa; ſed ſibi datam dare poteſt à dextris, vel à ſiniſtris tantum. Prioriſſa comedat in Refectorio, & cibariis conventus ſit contenta: ſimiliter, & Infirmariæ, & aliæ quæ miniſtrant in officio quocumque, niſi cùm aliquibus Prioriſſa diſpenſauerit ob aliquam cauſam. Pulmenta ſint in Conventu ſine carnibus, præterquam in infirmarijs. Singulis diebus ſi fieri poteſt & expedierit, duo cocta pulmenta habeant Sorores. Poterit autem Prioriſſa ſuperaddere prout opus eſſe iudicaverit, & facultas permiſerit. Si quæ iuxtà ſe ſedenti viderit aliquid deeſſe de communi, requirat à miniſtra. Si quæ aliquam de Sororibus ſeruiendo, vel comedendo in aliquo offenderit, ſurgentibus Sororibus veniam petat; & facto ſigno ab ea quæ præeſt: redeat ad locum ſuum.

Cap. VI. De Collatione.

TEmpore ieiunii hora competenti Sacriſtiſſa ad collationem ſignum faciat: poſteà Refectoraria cimbalum pulſet. Deindè Sororibus venientibus in Refectorium, ad ſignum illius quæ præeſt, legat lectrix præmiſſo *Jube Domne benedicere*, & ſequatur benedictio: *Noctem quietam &c.* facto rurſus ſigno ab ea quæ præeſt, & dicto *Benedicite* à lectrice, datâque benedictione ab hebdomadaria, *Largitor omnium &c.* infra lectionem poterunt bibere quæ voluerint. Finita lectione dicat quæ præeſt, *Adiutorium &c.* Et tunc cum ſilentio intrent Sorores Eccleſiam. Quæcumque extra horam bibere voluerit, licentiam petat, & vnam ſociam accipiat.

Cum tamen intrare Eccleſiam facta Collatione non ſit amplius in uſu, ſatius eſt vt Sorores ſeruent illam conſuetudinem quoad hæc, quæ pro nunc in Monaſteriis obſervari ſolet.

Cap. VII.

Cap. VII. De Infirmis.

CIrca Infirmas caueat ne ſit negligens Prioriſſa: ſic enim procurandæ ſunt Infirmæ, ut citiùs releventur, ſicut dicit in Regula Beatus Auguſtinus. Poterunt autem quædam veſci carnibus, prout earum grauior exigit infirmitas vel debilitas; ſecundùm quod Prioriſſæ viſum fuerit. Si quæ verò talem infirmitatem habuerit, quæ nec eam debilitet multum, nec comedendi turbet appetitum; talis nec ſupra culcitram jaceat, nec conſuetudinaria frangat ieiunia, nec cibos Refectorii mutet. In domo non ſint niſi duo loca, in quibus comedant debiles & infirmæ, vnus carnium, & alius aliorum ciborum: niſi ſit evidens neceſſitas vel urgens infirmitas. Si autem Prioriſſam infirmari contigerit, in infirmaria cum alijs procuretur.

Cap. VIII. De Minutione.

MInutio quater in anno fiat. Prima in menſe Septembri: ſecunda poſt Natale: tertia poſt Paſcha: quarta circa feſtum Beati Ioannis Baptiſtæ. Præter has minutiones nulla ſibi minuat, niſi diſcretio Prioriſſæ propter aliquam cauſam (prævio Medici conſilio, & exploratâ neceſſitatis veritate) iudicauerit alicui aliter eſſe faciendum. Minutæ verò extra Refectorium comedant cum ſilentio: & ſecundùm quod facultas permiſerit commodiùs procurentur. Causà verò minutionis non comedant carnes.

Cap. IX. De Lectis.

SVper culcitras non dormiant Sorores, niſi in infirmaria: ſuper ſtramina, & laneos ſaccones dormire licebit. Quæ autem culcitras petierint, ieiunent una die in pane & aqua. Cum tunica, & velo, & capitegio, & cinctæ dormiant: & etiam cum caligis in regionibus in quibus mulieres por-

tare caligas conſueuerunt. Nulla quæ in communi tolerari poſſit, habeat ſpecialem locum ad iacendum; niſi fortè propter rerum cuſtodiam, cum neceſſitas hoc requirat. In quo caſu non minus quam tres iaceant in loco prædicto.

Cap. X. De Veſtitu.

VEſtes laneas honeſtas, & non notabiliter prætioſas deferant Sorores: & in mantellis vilitas potius obſeruetur. Lineis non utantur ad carnes. Pelliceum verò inter duas tunicas habere poſſunt, quod aliquantulum brevius ſit tunicis. Linteamina autem non habeantur, niſi forte Prioriſſa in infirmaria cum aliqua propter gravem infirmitatem iudicauerit diſpenſandum. Pelliceis, & coopertoriis ſilueſtribus Sorores non vtantur. Tunicæ uſque ad talos, ſcapularia verò ſine quibus non vadant, ſint tunicis breuiora. Soccos, pepla, & capitegia, & vela habeant vt neceſsè fuerit, & facultas permiſerit: chirothecas autem non habeant.

Cap. XI. De Communitate rerum.

OMnes Sorores ſingulis annis, vel pluries ſi eis dictum fuerit, omnia ſibi commiſſa Prioriſſæ ſuæ exponant pariter & exhibeant; ejus diſpoſitioni omia relinquendo. Nulla etiam ſcyphum, vel vas aliquod, vel aliquid hujuſmodi ſibi appropriet. Item nulla habeat arcam vel aliquid quod cum clave firmetur, exceptis illis quæ propter officium ſuum non poſſunt non habere. Item nulla mittat vel recipiat ſine licentia litteras, vel ſchedulam ſcriptam etiam ſine ſigillo, nec etiam ſcriptum aliquod in tabulis, vel in cera, niſi Magiſter Ordinis, vel Priori Prouinciali, vel Vicario aut Prioriſſæ oſtendat: Prioriſſa etiam cum duabus Sororibus quas elegerit, cum ſibi expedire videbitur, Sororibus abſentibus ſcrutetur ſingulos lectos Sororum. Et ſi in-

ſi inueniant ibi aliquid quod Soror ſine licentia Prioriſſæ habeat, illud accipiat, & eam condignè puniat. Item ſine licentia, & expreſſione perſonarum quibuſcumque viris nihil dent, nec ab ipſis recipiant. Quæcumque autem contra fecerit, furti iudicio condemnetur.

Cap. XII. De Communione, & lavaturæ capitum, & tonſura.

COmmunio poterit fieri in anno quindecim vicibus, in terminis, in quibus viſum fuerit Fratribus curam Sororum gerentibus: dummodò ad præparandum ſe poſſint habere copiam Confeſſorum. In Capitulo tamen Generali Barcinonen. Anno 1574. ordinatum eſt, ut Communio Generalis fiat qualibet Dominicâ Adventus, & Quadrageſimæ: alijs autem temporibus de quindena in quindenam fieri poterit. Septem vicibus in anno poterunt lavari capita, & tonderi capilli Sororum. Sit autem tonſura non modica, vt decet religioſas perſonas.

Cap. XIII. De Silentio.

SIlentium teneat Sorores in Oratorio, in Clauſtro, in Dormitorio, in Refectorio. Alibi verò loqui poterunt de licentia ſpeciali, prout, & quando fuerit eis conceſſum. Si quæ tamen ſubmiſsè aliquid, & breviter de neceſſarijs protulerit, non teneatur de ſilentij fractione. Omnes autem Sorores ubique in Menſa ſilentium teneant, tàm Prioriſſa, quàm aliæ: exceptâ unâ quæ maior fuerit inter eas, vel alia cui pro ſe loqui commiſerit, & tunc taceat. Nulla autem aliarum ibidem loquatur, niſi de neceſſariis menſe, & hoc per unicam orationem, vel dictionem breviter, & ſubmiſsè. Si vero hoc ſilentium fregerit ex propoſito, vel licentiam loquendi dederit, in vno prandio aquam tantùm bibat, & vnam diſciplinam in Capitulo accipiat coram omni-

omnibus ſine diſpenſatione, exceptis infirmis decumbentibus. Caveat autem Prioriſſa, ne ſit facilis ad dandas licentias loquendi ſine cauſa rationabili. Quatuor de Sororibus magis Religioſis, & diſcretis aſſignentur, ſine quarum vna vel duabus, vel Prioriſſa, vel Supprioriſſa nulla licentietur ire ad feneſtram locutorij ſecularium. Nec aliquid loquatur ibi Soror niſi in auditu Sociæ, vel Sociarum. Iſta autem Socia, vel Sociæ debent accuſare eam cum qua mittuntur, ſi verbo, vel geſtu, vel aliter in aliquo notaverint reprehenſibilem. Prioriſſa autem, & Supprioriſſa cum aliquibus in prædicto locutorio non loquantur, niſi in præſentia alicuius quatuor prædictarum, vel alicuius antiquarum Sororum. Nulli detur licentia loquendi in locutorio ſecularium cum extraneis, aut intrandi locutorium illud; quamdiu horæ, vel Miſſa dicuntur, vel quando Conventus dormit, vel comedit, niſi ex cauſa valdè neceſſaria. Ad feneſtras confeſſionum nulla loquatur de alijs quàm de confeſſione ſcienter, & ex propoſito, niſi fortè de pertinentibus ad officium Eccleſiæ cum exterioribus, & hoc de licentia, & ſubmiſsè. Nulla confiteatur alicui ſeculari, vel alicui cuiuſcumque alterius Religionis etiam Fratri, niſi de licentia Magiſtri Ordinis, vel Prioris Provincialis; vel illius cui ſuper hoc ſecundùm certam formam aliquis horum commiſerit poteſtatem. Item ad rotam nulla loquatur, niſi alia, vel illæ, quæ propter aliquod officium ſunt ipſi rotæ deputatæ: & illæ etiam non loquantur ibi, niſi de pertinentibus ad officium prædictum. Pro prima fractione ſilentii ex deliberatione commiſſa extra menſam, dicat Soror Pſalmum *Miſerere mei Deus*: & pro ſecunda recipiat in Capitulo diſciplinam coram omnibus, pro tertia ſedeat ſemel in terra, & hoc in prandio non in cœna: computatio tamen iſta, inter duo capitula fiat. Prioriſſa tamen poteſt dare aliquas licentias generales loquendi Cellariæ, coquinarijs, ſiue alijs officialibus, prout ratione officiorum viſum fuerit expedire.

Cap-

Cap. XIV. De Recipiendis.

NVLLA notabiliter invenis recipiatur in Sororem. Non recipiatur etiam aliqua, niſi cum diligenti examinatione facta ſeorſim de moribus, & vita, & viribus corporalibus, & induſtria animi: & utrum ſit coniugata, & non per Eccleſiam ſeparata à viro. Examinetur etiam diligentiùs utrum ſit gravida: & ſi non poſſit de hoc certitudo haberi expectandum eſt donec certitudo habeatur. Item inquiratur utrum ſit ſerva, vel ratiociniis obligata, vel alterius profeſſionis, vel occultam habeat infirmitatem, vel alia impedimenta propter quæ non expediat eam recipi. Hæc autem examinatio à Prioriſſa, & à duabus Sororibus diſcretis de conſenſu Capituli ad hoc electis, fieri debet. Cum autem recipienda adducta fuerit in Capitulum, poſternat ſe in medio. Interrogata verò ab ea quæ præeſt? *Quid quærat*: reſpondeat. *Miſericordiam Dei, & veſtram.* Qua ad juſſum illius quæ præeſt erecta, exponat ei auſteritatem Ordinis, propoſitum eius requirens: Quod ſi reſpondeat ſe proponere cuncta ſeruare, dicat poſt cætera. *Dominus qui incepit ipſe perficiat*, & Conuentus reſpondeat, *Amen*: Tunc depoſitis ſecularibus veſtibus, & Religioſis indultis, in ſocietatem Sororum in Capitulo recipiatur. Verumtamen antequam ſtabilitatem, & communem vitam promittat, & obedientiam, ac profeſſionem faciat; tempus probationis aſſignetur. Probationis verò tempus ſtatuimus unius anni, vel eo amplius; prout illi qui præeſt, de prudentum conſilio videbitur expedire: vt & ipſa auſteritates Ordinis, & Sorores mores ipſius experiantur. Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis, penſatis facultatibus domus; quæ pro tempore fuerint, aliquem certum numerum Sororum ſtatuant: ultrà quem non recipiatur aliqua in Sororem, niſi talis eſſet perſona, quæ ſine gravi damno, vel ſcandalo recuſari non poſſe. Et tunc non niſi de conſilio Magiſtri Ordi-

Ordinis, vel Prioris Provincialis recipiatur. Nulla etiam fiat promiſſio de Sorore aliqua recipienda, antequam locus vacaverit. Licebit quoque aliquas recipere intus in Sorores Converſas, ubi hoc expediens videbitur: in numero tamen moderato, prout earum officiis, & adiutoriis aliæ Sorores indigebunt. Hæ autem dicant in profeſtis diebus pro Matutinis 28. *Pater noſter*, in Feſtis autem Nouem Lectionum 40. pro Veſperis 14. pro qualibet aliarum horarum ſeptem. Loco *Pretioſa*, tria: pro benedictione menſæ unum: poſt menſam pro gratiis, tria. In ieiunijs, & vigilijs; & aliis quæ earum ſtatui competunt, ſe aliis conformabunt.

Cap. XV. De Novitiabus, & earum inſtructione.

PRIORISSA Novitiabus Magiſtram diligentem in ipſarum inſtructione præponat, quæ eas de Ordine doceat: in Eccleſia, & ubicumque negligenter ſe habuerint, verbo, ſigno, quantum poterit ſtudeat emendare; neceſſaria prout poteſt debet eis procurare. De apertis negligentiis cùm ante eam petierint veniam, pœnitentiam dare, vel eas in Capitulo proclamare. Humilitatem cordis, & corporis doceat eas habere, frequenter, purè, & diſcretè confiteri, ſine proprio viuere, propriam voluntatem deſerere: pro voluntate maiorum, obedientiam in omnibus voluntariè obſervare. Quomodo ubique, & in omnibus ſe habere debeant, ipſas debet inſtruere; quòd locum vbi fuerint poſitæ vbique teneant. Qualiter ſe ad cameras contineant, vt oculos ſublimes non habeant. Quomodo, vel quid orent, & quàm ſilenter, vt aliis rugitum non faciant. Quomodo in Capitulo, vel vbicumque reprehenſæ fuerint ab ea quæ præeſt, venia ſit facienda: & quod ſi quæ Sororem ſuam aliquo modo ſcandalizaverit, ad pedes eius proſtrata veniam petat. Inſtruendæ etiam ſunt Nouitiæ, vt cum nemine contendere præſumant, & quod in omnibus Magiſtræ ſuæ obediant. In proceſſione Sociam ſibi collateralem atten-

attendant; nec loquantur locis, & temporibus interdictis, nec aliàs ſine licentia: & quod neminem penitùs judicent: ſed ſi quæ ab aliqua fieri viderint; *licet mala, bona ſuſpicentur, vel bona intentione facta, ſæpe enim humanum fallitur iudicium.* Et quod non loquantur de abſente niſi quæ bona ſunt: quod diſciplinas frequenter ſuſcipiant, & cum duabus manibus bibant, & ſedendo: quod libros, veſtes, & res alias Monaſterij cuſtodiant diligenter. Et quod ſi quid petitum fuerit ab una earum quæ præeſt, & negaverit, non petatur ab alia; niſi negatione Priore expoſita: ſed nec ſi à maiore petierint, & negaverit: vadant ad majorem. Item confeſſiones Novitiarum ante profeſſionem recipiantur, & diligenter de modo confeſſionis, & in aliis inſtruantur, & omnia alia ad pedes Prioriſſæ ponant. Item Novitiæ, & aliæ Sorores quæ aptæ ſunt, in Pſalmodia, & officio divino ſtudeant diligenter: præter Converſas, quibus ſufficiat ut ſciant vel addiſcant ea, quæ debent pro horis dicere. Omnes verò in aliquo labore addiſcendo, vel exercendo occupentur. Item Novitiæ non interſint Capitulo de culpis, ſed in principio ſe accuſent: vel Magiſtra earum, extra Capitulum culpas earum audiat, & ipſas quantum poterit diligenter in moribus inſtruat, & charitativè corripiat.

Cap. XVI. De modo faciendi profeſſionem.

MODVS faciendi profeſſionem talis eſt. Ego Soror N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo, & BEATÆ MARIÆ, & Beato Dominico, & tibi Sorori N. Prioriſſæ talis Conuentus; vice Fratris N. Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Succeſſorum ejus: ſecundùm Regulam Beati Auguſtini, & inſtitutiones Sororum quarum cura prædicto Ordini eſt commiſſa: quòd ero tibi obediens, alijſque Prioriſſis meis uſquè ad mortem. Nouitiarum autem veſtes in earum profeſſione benedicantur hoc modo. ℣. *Oſtende nobis Domine miſeri-*

cor-

cordiam tuam. ℟. *Et ſalutare tuum da nobis.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* Oremus. *Domine Ieſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es: obſecramus immenſæ largitatis tuæ abundantiam; ut hoc genus veſtimentorum, quod ſancti Patres ad innocentiæ, & immortalitatis indicium ferre ſanxerunt, ita benedicere digneris; vt quæ hoc vſa fuerit, te induere mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.* Poſtmodum aſpergantur aqua benedicta. Ad profeſſionem nulla recipiatur infra 16. annos completos, juxta Concilium Tridentinum ſeſs.2. de Regular. Cap.12. Nolumus etiam quòd aliquæ Sorores benedicantur, cùm Beatus Pater Dominicus hoc ordinaſſe dicatur, circa illas quæ fuerunt tempore ſuo. Et hujuſmodi benedictio ſoleat eſſe aliquibus occaſio, ut ſuper alias ſe extollant.

Cap. XVII. De levi culpa.

LEvis culpa eſt, ſi quæ mox ut ſignum factum fuerit, non relictis omnibus cum matura feſtinatione ſe præparaverit; vt ad locum pro quo fit ſignum veniat tempeſtivè. Si quæ deſignatum ſibi legendi, vel cantandi officium, non attentè compleverit; vel Reſponſorium, vel Antiphonam, vel aliud inceptura Chorum turbaverit. Si quæ malè legendo, vel cantando offendens, non ſtatim ſe coram omnibus humiliauerit. Si liber in quo legendum eſt in collatione, vel in Capitulo, vel in Eccleſia, cujuſquam negligentiâ defuerit. Similis culpa eſt, ſi quæ ad menſam vel collationem, vel ſermonem, vel Capitulum, vel ad Horas in Eccleſia, vel ad laboratorium commune citò non venerit; vel ad lectionem menſæ notata ad benedictionem ſe tardè obtulerit. Si quæ in dormitorio, vel alibi in Conventu aliquem tumultum fecerit, vel orantes, vel legentes, vel laborantes in aliquo inquietauerit. Si pannus ad inuoluendum Calicem, vel Patenam, vel Corporale

porale, vel Stola, vel Manipulus, vel ſimilia, per negligentiam cujuſquam in terram ceciderit: vel ſi veſtes ſuas ſuo tempore, & loco ſtatuto, honeſtè, & ordinatè aliqua non repoſuerit. Item levis culpa eſt ſi quæ cereum, vel aliquod utenſilium perdiderit, vel fregerit, vel aliquod veſtimentorum ſuorum deterioraverit, vel amiſerit. Si quæ in officio, vel ſermone, vel laboratorio dormitaverit, vel oculus vagos habens per clauſtrum, vel domum ad vanitates ſæpè direxerit. Si quæ verbis otioſis vacaverit, vel diſſolutè riſerit, vel alias ad ridendum concitaverit: vel in aliquo geſtu, vel motu, vel ſtatu, vel habitu, vel verbo reprehenſibilis apparuerit. Pro his unus Pſalmus, vel plures ſecundùm quantitatem exceſſuum, prout videbitur Capitulum tenenti injungatur.

Cap. XVIII. de Media Culpa.

MEdia culpa eſt, ſi quæ ad *Gloria primi Pſalmi* non adfuerit, & in medio Chori non ſatisfecerit, vel in vigilia Annunciationis, vel Nativitatis Domini in principio Capituli non adfuerit: ut pronunciatis exordijs noſtræ ſalutis, & redemptionis; gratias agat corde, & corpore Redemptori noſtro. Similis culpa eſt, ſi quæ in Choro non intenta divino Officio, vagis oculis, & motu irreligioſo levitatem mentis oſtenderit. Si quæ lectionem tempore ſtatuto non prædiverit: vel aliud legere, vel cantare præſumpſerit, quam quod ordinatum eſt. Si quæ in Choro riſerit, vel alias ridere fecerit; vel in Conventu diſſolutionem aliquam fecerit. Item media culpa eſt, ſi quæ a Capitulo, vel ſermone, vel collatione, vel refectione communi, vel laboratorio, vel hora aliqua ex cauſa minùs rationabili remanſerit. Si quæ commune mandatum dimiſerit. Si quid cibi potus, abſque benedictione aliqua ſumpſerit. Similis culpa eſt, ſi quæ eam à qua proclamata eſt eadem die quaſi vindicando ſe proclamaverit, vel clamans in proclamatione ſua jurgium fecerit. Si quæ (ut lo-

loquendo fieri ſolet) cum juramento aliquid affirmaverit, vel negaverit: vel vaniloquium dixerit. Si quæ Sororem proprio nomine, omiſſo hoc nomine (Soror) vocare in uſu habuerit. Pro hujuſmodi culpis Pſalmi, diſciplinæ, & veniæ ſecundùm diſcretionem tenentis Capitulum imponantur, quantitate culparum penſata.

Cap. XIX. de Gravi Culpa.

GRavis culpa eſt, ſi quæ cum aliqua lites habuerit, vel inhoneſtè contenderit. Si quæ aliqui opprobrium dixerit, vel culpam pro qua ſatisfecit improperaverit. Si quæ in proclamatione jurgium fecerit, vel in illam à qua proclamata eſt, vel quamlibet aliam maledicta, ſeu verba inordinata, vel injurioſa malitiosè invexerit. Similis culpa eſt, ſi quæ diſcordias inter Sorores ſeminaverit: vel detraxerit, ſeu ſuſurratrix inventa fuerit. Si quæ mala de Sororibus, vel domo malitiosè euomuerit: vel culpam ſuam, aut alterius proteruè defenderit. Si quæ mendacium ſcienter dixerit: ſi quæ pro victu, vel veſtitu, vel qualibet alia re murmuraverit. Si quæ ſilentium non tenere, in conſuetudinem duxerit. Item grauis culpa eſt, ſi quæ carnes abſque licentia, & neceſſitate comederit: vel ieiunia ſtatuta fregerit. Si quæ in aliquem oculum fixerit, vel turpem ſermonem protulerit. Si quæ res aliquas alij deputatas, quamvis non animo retinendi, ſine licentia acceperit: vel à Capitulo, vel ſermone, vel communi dormitione ſine cauſa aliqua, & licentia remanſerit. Pro hujuſmodi culpis, & ſimilibus, iniungantur tres dies in pane, & aqua, & tres diſciplinæ, vel plures in Capitulo coram omnibus recipiendæ: & Pſalmi, & veniæ prout ſecundùm exceſſus maiores, vel minores videbitur eſſe juſtum.

Cap. XX. De Grauiori Culpa.

GRavior culpa eſt, ſi quæ per contumaciam, vel manifeſtam rebellionem ſuis majoribus inobediens extiterit: vel cum eis proterue contendere auſa fuerit. Si quæ aliam malitiosè percuſſerit. Si quæ res aliquas aliis conceſſas, vel de communi (animo celandi) acceperit, vel proprium habuerit. Similis culpa eſt, ſi quæ munuſcula, vel alias res ſine licentia dederit, vel receperit, vel receptas celauerit. Si quæ litteras, vel aliqua in ſcripto aliquo ſine licentia miſerit, vel receperit, vel legerit: vel ſibi legi fecerit. Si quæ aliquid inhoneſtum domus, Sororum, vel ſecretum aliquod extraneo cuiquam reuelauerit: vel aliquod quodcumque crimen capitale commiſerit. Pro hujuſmodi culpis quæ rea fuerit, veniam petens, ſceleris ſui immanitatem lamentabiliter proferat: & denudata uſque ad cingulum vapulet ad pedes ſingularum, primo Prioriſſæ, deindè utriuſque lateris ſedentium, & ſit omnium noviſſima in Conventu. In Refectorio quoque ad communem menſam non comedat cum aliis, ſed in medio Refectorii ſuper nudam terram: & provideatur ei groſſior panis, & aqua, niſi quæ præeſt ei per miſericordiam aliquid impendat, nec reliquiæ prandij ſui cum alijs miſceantur. Ad Canonicas Horas, & ad gratias poſt comeſtionem, ante oſtium Eccleſiæ tranſeuntibus Sororibus proſtrata jaceat; dum intrant, & exeunt. Nulla verò audeat ſe conjungere ei, vel aliquid mandare. Talis quamdiù erit in hac pœnitentia, non communicet, non veniat ad oſculum pacis, nec notetur ad aliquod officium in Eccleſia: nec ulla ei committatur obedientia. Prioriſſa verò ne in deſperationem labi poſſit, mittat ad eam quæ eſt in tali pœnitentia Sorores: quæ illam moneant ad pœnitentiam, provocent ad patientiam, foueant per compaſſionem, hortentur ad ſatisfactionem, adiuuent per ſuam interceſſionem. Quibus, & ſuffragetur totus Conuentus, ſi apparuerit in ea

debita humilitas: nec renuat quæ præeſt cum ea facere miſericordiam; & ſi videbitur ei, denuò vapulet modo ſupradicto. Eodem modo debet pœnitere, ſi quæ (quod abſit) in peccatum carnis lapſa fecerit: quod gravius cæteris puniri cenſemus, & pluſquam alia abominamur. Poterit autem ei quæ talis fuerit, velum nigrum auferri, quamdiù fuerit in hac pœnitentia. Si verò hujuſmodi peccatum occultum fuerit, diſquiſitione ſecreta ſecundùm tempus, & perſonam, condignam agat pœnitentiam. Si verò aliquæ per conſpirationem vel conjurationem, vel malitioſam concordiam aduerſus Prioriſſam, vel Superiores ſuos manifeſtè ſe erexerint, ſupradicto modo pœniteant: & de cætero in tota vita ſua extremum locum ſui Ordinis teneant; & vocem in Capitulo niſi in ſui accuſatione non habeant, neque eis aliqua obedientia injungatur. Si quæ tamen non malitioſe, ſed in veritate adverſus Prioriſſam aliquid habuerit quod tolerari non debeat nec deceat: prius inter ſe cum omni humilitate, & charitate, de ſua correctione eam admoneat. Quod ſi frequenter admonita corrigere ſe neglexerit, aut contempſerit: Priori Prouinciali, vel ejus Vicario ſignificetur.

Cap. XXI. De Graviſſima Culpa.

GRaviſſima culpa eſt incorrigibilitas illius, quæ nec culpas timet admittere, & pœnam recuſat ferre. Si quæ igitur talis inuenta fuerit, exuta Habitu Sororum, & earum ſocietate privata, recludatur in loco ſeparato, ac ſegregato ab alijs: & vtatur cibis qui pro graviori culpa ſuperius ſunt expreſſi. Ad correctionem autem talium, habeantur aliqua loca apta: in quibus non ſolum prædictæ incorrigibiles; ſed etiam contagioſæ, & ſuſpectæ probabiliter, de nocumento inferendo in perſonis, vel rebus, vel de fuga, poterunt recludi. Pro culpis vero aliquibus minoribus iſtis, poterit interdum iniungi aliquibus, ut in eiſdem locis morentur ad tempus ſequeſtratæ: ſecundùm quod videbitur expedire.

Cap.

Cap.XXII. De Apoſtatis.

SI quæ in apoſtaſia, vel fuga deprehenſa, inuita deducta fuerint: pœnam quæ ſupra determinata eſt pro incorrigibili, ſuſtinebit. Si quæ verò fugitiva voluntariè redierit petens miſericordiam, nullatenus recipiatur in perpetuum, maximè ſi de lapſu çarnis commiſſo ſuſpecta fuerit: niſi prius Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis ſuper hoc conſulatur; & niſi ab illis, quid in hoc caſu faciendum ſit plenè reſolutum fuerit. Cùm autem fuerit recipienda, denudata uſque ad cingulum cum virgis in Capitulum veniat, & proſtrata veniam petat: & pœnis omnibus ſupradictis de graviori culpa, vel lapſu carnis, vel conſpiratione ſubijciatur. Receptura tamen de miſericordiis ibi taxatis plùs vel minus, citiùs vel tardiùs, ſecundum exigentiam exceſſus præcedentis, & ſignorum pœnitentiæ ſubſequentis.

Cap. XXIII. De Electione Prioriſſæ.

PRrioriſſa eligi debet à Sororibus illis, quæ iam annos duodecim à profeſſione ſua expleverunt, iuxta ordinationes Capitulorum Generalium, confirmatas à Gregorio XV. Summo Pontifice per Breve quod incipit: *Expone nobis &c. Datum Romæ apud S. Petrum die 6. Aprilis* 1723., & etiam iuxta præſcriptum Concilij Tridentini ſeſſ.25. de Regular. Cap.6. ubi dicitur: ut in Prioriſſam non eligatur quadragenaria minor, & niſi habuerit à Profeſſione annos duodecim; quorum octo poſt Profeſſionem expreſſam, laudabiliter tranſacti eſſe debent. Quod ſi in aliquo Monaſterio non inveniatur perſona tantæ ætatis: in tali caſu, cum conſenſu Superioris eligatur aliqua alia ex Sororibus eiuſdem Monaſterij dummodo tamen habeat ætatis annos triginta completos, & à Profeſſione annos 12. pariter completos: in qua annorum duodena, demonſtrari debent ſaltem quinque honeſte, & religiosè exacti.

Porrò Conventus qui confirmationem electæ Prioriſſæ petierit, ſcribat numerum, & ſimul nomina illarum Sororum, quæ in electione nominatæ fuerunt: & tunc Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis, vel quicumque alius, a prænominatis ad hoc ſpecialiter deputatus, legitimè electam comfirmabit. Sorores Electrices vacante officio Prioriſſæ, habent tempus præfixum unius menſis quoad electionem accedere poſſunt: ſi verò infrà illud ſpatium menſis unius electionem non fecerint; deuoluitur omnis authoritas ad Magiſtrum Ordinis, vel Priorem Provincialem, providendi de Prioriſſa huic, vel illi Monaſterio.

Cap. XXIV. De modo eligendi Prioriſſam.

MOdus eligendi Canonicè Prioriſſas, iuxta tenorem Conſtitutionis Bonifacij VIII. hic antiquitus ſervabatur: ut nimirum, vel per communem inſpirationem, vel compromiſſionem Prioriſſa eligeretur: iam verò nunc inhærendo Decreto Sacri Concilij Tridentini, electio fieri debet in hac forma, quæ ſequitur.

Poſtquam Supprioriſſa cum conſenſu Vocalium diem faciendæ electionis determinaverit, omnes Sorores vocem in electione habentes Sacra Communione refici debent: iuxta ordinationem Capituli Generalis Romæ 1580. celebrati. Superior verò illarum, cum alijs duobus Patribus, qui & Scrutatorum munus ſubire debebunt, ad Crates Locutorij convenient (abſque eo tamen ut Monaſterium ingredi audeant) ibique collocati, iuxta præſcriptum Concilij Tridentini & declarationem Sacræ Congregationis Concilij, recipient vniuſcuiuſque Sororum Electricum vota, ab ipſis per inuolutas ſchedulas porrecta, & in aliquo vaſe ſeu urna ad hoc præparata recepta: in quibus ſchedulis exprimi debet nomen Prioriſſæ quæ eligitur, his verbis præcisè: Ego Soror N. eligo talem N. in Prioriſſam huius Monaſterij: nec ultra hoc apponi debet nomen, vel ſignum aliquod, per quod poſſit deveniri in cognitionem eligentis. In reponendis vero huiuſmodi

modi ſchedulis Vocalium, prima debet eſſe Suppriorifſa, & ſic deinceps aliæ Sorores conſequenter, ſecundùm ordinem profeſſionis illarum. Quod ſi aliqua ex Vocalibus infirma fuerit, ac proinde ad locum electionis venire nequiverit: tenebitur Suppriorifſa cum duabus alijs Sororibus antiquioribus, Cameram decumbentis accedere; ab eaque ſchedulam involutam (uti ſupra dictum eſt) recipere: quæ una cum alijs ſchedulis Sororum Electricum commiſceri, atque per manus Scrutatorum in vrna eadem reponi debebit.

Poſtquam verò omnium Electricum vota in toto fuerint recepta, PP. Scrutatores ſchedulas illas involutas in menſam effundere, numerare, atque cum numero Vocalium conferre tenebuntur. Quod ſi numerus earum non fuerit æqualis numero eligentium, ſtatim omnes comburantur, abſque eo quod legantur, vel explicentur: adque faciendam denuò electionem procedatur. Idem fieri debet, ſi nulla ex illis quæ in electione nominatur, habuerit duo vota vltra medietatem: rursùs enim nova electio inſtituenda erit. Vbi vero inuentum fuerit, electam quamcumque habere duo vota ſaltem, ultrà medietatem: ille qui inter Scrutatores major fuerit, ſcrutinium publicabit; factoque Decreto ſcrutinium Electionis ad Confirmatorem tranſmittetur.

Cap. XXV. De inſtitutione Suppriorifſæ.

PRiorifſa de conſilio diſcretarum Sororum, & Prioris Provincialis, vel Vicarij ejus inſtituat Suppriorifſam. Cujus officium erit, habere diligentiam, & curam circa Conventum, & in alijs quantum Priorifſa aſſignauerit ei, vel permiſerit. In quotidianis verò Capitulis non proclametur, niſi aliquando pro magno exceſſu: ſecundùm quod Priorifſæ viſum fuerit. Eadem autem Suppriorifſa, mortuâ Prioriſsâ vel amotâ, vices ejus plenariè obtineat: quouſque Priorifſa fuerit electa, & confirmata: & niſi Magiſter Ordinis, vel Prior Prouincialis, vel ejus Vicarius aliter ordinauerit.

Cap. XXVI. De Circatricibus.

PRioriſſa duas Sorores diſcretas aſſignet & ordinet Ordinis zelatrices, quæ ſint ſollicitæ, & intentæ, circa geſtus, & facta Sororum. Poſt Completorium, & de die etiam interdum, clauſtrum, & alias officinas circumeant: & ſi quam minùs religioſe in aliquo ſe habentem inuenerint; eam debebunt in Capitulo proclamare. Viſitatorem quoque tempore viſitationis, de ſtatu Religionis quomodo ſeruetur, vel non ſeruetur, plene informare tenebuntur.

Cap. XXVII. De Cellaria.

CEllariam Sorores habeant unam de majoribus, & diſcretioribus Domus: quæ per ſe, & Socias ſibi aſſignatas, ex conſilio Prioriſſæ, & Supprioriſſæ, fideliter, & deuotè bona temporalia procuret: quæ pecunias, pannos, frumentum, vinum, vel aliquid hujuſmodi ſine licentia generali, vel ſpeciali dare non præſumat. Cellaria coram Prioriſſa, & Supprioriſſa, & tribus de maturioribus Sororibus ad hoc aſſignatis à Conventu, computationem faciat quolibet menſe receptorum, & expenſarum. Semel autem in anno, vel ampliùs ſi viſum fuerit, coram Priore Provinciali, vel ejus Vicario computatio fiat: & ſtatus Domus exponatur. Poſſeſſiones ſine conſenſu Conventus alienari, vel minui non poſſunt, ſed obſeruanda ſunt in hoc paſſu Decreta Summorum Pontificum; tum & Decretum Sacræ Congregationis Concilii, factum cum conſenſu Urbani Octaui Summi Pontificis, ſub die 7. Septembris 1624.

Cap. XXVIII. De Labore.

QUia otioſitas inimica eſt animæ, & mater, ac nutrix vitiorum, nulla Sororum ſit otioſa: ſed diligenter obſervetur, vt exceptis illis horis, & temporibus, quibus

bus orationi, vel officio, vel aliæ occupationi neceſſariæ debent intendere, operibus manuum ad vtilitatem communem omnes attentè inſiſtant proùt fuerit ordinatum. Cum Sororibus autem quamdiu ſunt in labore, Prioriſſa, vel Supprioriſſa, vel aliqua alia ad hoc à Prioriſſa aſſignata ſit præſens. Laborent autem cum ſilentio: nec ulla recedat à communi laboratorio, ſine licentia, & neceſſitate. Quæ autem ſic exierit, expleta neceſſitate redeat.

Cap. XXIX. De Ædificiis.

ÆDificia Sororum ſint humilia, curioſitate, vel ſuperfluitate non notanda: & apponatur cura diligens, ut ordinentur officinæ, proùt meliùs fieri poterit pro Religione ſeruanda. Ante omnia detur opera, quod clauſura ſit valde alta, & fortis: ita vt egrediendi, vel ingrediendi per clauſuram, opportunitas nulla detur. Non ſit autem in clauſura Sororum, niſi vnum oſtium forte, & bonum: quod cum duabus clauibus, vel pluribus, quantitate, & forma differentibus claudatur; cum vna interius, & cum alia exterius. Interior autem cuſtodiatur exterius vel intus, ſecundùm diſpoſitionem Prioris Provincialis, vel Vicarij ejus: exterior verò intus ſecundum diſpoſitionem Prioriſſæ, & Monaſterij. Aptetur autem in aliquo loco convenienti ipſius clauſuræ, in muro inſeparabiliter ipſi adhærenti, aliquod inſtrumentum rotundum, quod Rotam vocamus: per quod ita poſſint res neceſſariæ dari, & accipi; quod dantes & accipientes nullatenùs poſſint ſe videre. In Eccleſia vero in aliquo loco intermedio inter Sorores, & exteriores, aptetur aliqua feneſtra ferrata competentis magnitudinis, in qua fient ſermones. Similiter fiant in aliquo loco apto duæ feneſtræ parvulæ ferratæ, ad confeſſiones audiendas. Poterit etiam haberi aliquod locutorium ad loquendum cum extraneis in aliquo loco convenienti: ubi aptetur feneſtra ferrata ſimili modo; ſicut dictum eſt de feneſtra maiori in Eccleſia. Vel in ipſa Eccleſia ad prædictam feneſtram majorem, fieri poterunt locu-

locutiones cum extraneis , vbi huiuſmodi locutorium non habetur . Porrò omnes ſupradictæ feneſtræ , vel feneſtrellæ ferratæ , ſic diſponi debent , vel per duplicationem ferraturæ , vel per acutos clavos ; quod inter exteriores , & interiores , nullus poſſit interuenire contactus . Item omnes feneſtræ , vel feneſtrellæ , & etiam rotæ , debent interius habere oſtia lignea bona , cum clavibus diligenter firmanda . Præter prædictas feneſtras nulla alia habeatur : niſi fortè cauſa loquendi , vna alia ſimilis feneſtrellæ confeſſionum , in loco competenti , de licentia Magiſtri Ordinis , vel Prioris Provincialis concedatur .

Cap. XXX. De ingreſſu , & egreſſu Domorum .

CIrca ingreſſum, & egreſſum Domorum Sororum , ſummam adhibere volentes cautelam : interdicimus ſub pœna anathematis ; ne vnquam aliqua Sororum egrediatur clauſuram , niſi propter periculum ignis , vel ruinæ , vel latronum , vel malefactorum , aut ſimilium eventuum, qui ſolent vergere in periculum mortis : niſi forte de licentia Magiſtri Ordinis , ex cauſa aliqua transferri contigerit aliquam ad aliam Domum faciendam , vel factam . Iam vero B. Pius V. per Breve quod incipit : *Decori , & honeſtati . Datum Romæ apud S. Petrum die prima Februarii Anno* 1570. in tribus tantummodo caſibus permittit egreſſum Sororibus ex Monaſterio . Nimirùm propter vehemens incendium ſi forte exoriatur , ſecundo propter lepram ſi aliquæ ex Sororibus ea afficerentur : ac tertio demùm propter morbum contagioſum epidemiæ . Priùs tamen hæ infirmitates à viris peritis probe agnoſci , ac teſtimonio in ſcriptis dato ab ijſdem confirmari debent ; antequam egreſſus extra clauſuram concedatur . Et per hanc Conſtitutionem præallegatam , abrogantur omnes anteriores conceſſiones , factæ à Summis Pontificibus Benedicto XII. Urbano IV. Iulio II. tùm ab ipſo Concil. Trident. iuxta declarationem Sac. Congreg. Epiſcoporum , & Regularium , factam die 22. Septembris 1617.

Simi-

Similiter Greorgius XIII. per Breue quod incipit: *Vbi gratiæ, & indulta &c.* Datum *Romæ apud Sanctum Petrum die* 13. *Iunij* 1575, revocat, & annihilat omnes licentias datas antehac ad ingrediendum Monaſteria Monialium Commitiſſis, Marchioniſſis, & Principiſſis, alijſque omnibus viris & fœminis; ipſiſque prohibet ſub pœna Excommunicationis, ne prætextu hujuſmodi conceſſionum, ac licentiarum, Monaſteria ingredi præſumant.

Licitum nihilominùs eſt Magiſtro Ordinis, vel Priori Provinciali ſub tempus Viſitationis ingredi Monaſteria Sororum, una vice dumtaxàt in anno: ita tamen vt ſi unus ex illis Monaſterium viſitando ingrediatur, alter eodem anno ingredi non poſſit; juxtà tenorem Bullæ ab Alexandro VII. editæ, quæ incipit: *Fidei ſacrarum Virginum &c.* ubi hoc etiam cavetur: vt Magiſter Ordinis cum duobus Socijs, iam verò Provincialis; nonniſi cum uno Socio Monaſteria ingrediantur. Et Gregorius XIII. in quadam Conſtitutione, quæ incipit. *Dubijs quæ emergunt*: Data *Romæ apud S. Petrum die* 23. *Decembris* 1581. Superioribus Regularium facultatem concedit ingrediendi Monaſteria Monialium, in caſu ſcilicet neceſſitatis: ſi verò aliquis extrà omnem neceſſitatem ingrediatur, pœnam Excommunicationis, ac privationem officij ſuprà eundem decernit.

Quando autem aliquis prædictorum ingreditur, Prioriſſa cum tribus antiquioribus eum ſemper comitetur: aliæ verò non diſcurrant, ſed ſint in Capitulo, vel in Eccleſia, vel in alio loco honeſto omnes: præter illas quæ neceſſariò occupantur in aliquibus officijs, donec regreſſus fuerit extra domum. Nulla loquatur cum aliquo ingredientium ſeorſim ab alijs: niſi forſan occaſionaliter cum aliquo prædictorum; qui poſſunt, & debent intrare, & hoc de licentia: exceptis Prioriſſa, & tribus Sororibus ad hoc deputatis. Prioriſſa, cum prædictis tribus Sororibus ſimul ſtent, & ſimul vadant binæ, & binæ. Loquatur autem cum illis, quos ex aliqua cauſa contigerit ingredi, de expedientibus breviter, & ſuccinctè. Item ſi oporteat infra terminos Sororum aliqua opera

ra fieri neceſſaria , poterunt intrare operarij aliqui de licentia Prioris Provincialis , vel Vicarij : & tunc Prioriſſa , & Suppriorisſa , & Procuratrix , vel aliæ tres de Sororibus antiquioribus , & maturis , ad hoc deputatæ , operarijs loqui poterunt ; ita tamen quòd una ab alijs duabus audiatur , aliæ verò nullo modo loquantur eis , nec etiam ad eos accedant . Item ſi aliquam ita infirmari contigerit , quòd ad locum conſuetum Confeſſionis , ac Communionis venire non poſſit : ſi deſideret confiteri ; tenebitur Confeſſarius ad Cameram infirmæ venire , aſſociatus à Prioriſſa , & duabus alijs Sororibus antiquioribus : & intereà dum infirma confitebitur , Socius Confeſſarij cum eo Monaſterium ingreſſus , manebat penes Prioriſſam , & illas duas Sorores ſupradictas , in loco remotiori , dummodò tamen Confeſſarium infirmæ aſſiſtentem commodè videre , poſſit iuxtà Bullam Alexandri VII. Superiùs relatam . Si verò eam ė iam communicare oportuerit , Sacerdos inſuperpelliceo cum ſtola Corpus Chriſti deferens reverenter , præcedentibus eum duabus Sororibus cum cereis , & una cum aqua benedicta , & alia campanulam deferente : aſſociantibus nihilominus aliquibus de maturioribus Sororibus , ad infirmariam vadat , & infirmam communicet ; prout in Ordinario continetur . Si autem aliqua Soror infirmetur in tantum , quòd eam injungi oporteat : tunc Sacerdos indutus , ut ſupra de communione dictum eſt , oleum ſacræ Unctionis deferat ; & una Sorore Crucem portante , præcedentibus duabus cum cereis ad infirmariam vadat , & totus Conventus eum perſonaliter antecedat . Intrans autem Sacerdos infirmariam dicat : *Pax huic domui* : & cætera fiant, ſicut notatum eſt in Ordinario : ita tamen quòd abſterſiones cum ſtupis , fiant vel à Prioriſſa , vel ab aliqua Sorore cui iniunxerit . Cavendum eſt autem ne de facili multiplicentur ingreſſus , modo cauſa Communionis , modo cauſa Unctionis, ſine magna neceſſitate , ſed ſimul fiat utrumque . Cum autem ſimul communicari , & iniungi aliquam oportuerit : Soror aliqua Crucem portet , & Frater , ac Socius ſacram deferant Vnctionem , & primò fiat Communio ,

deinde

deindè Vnctio, & in iſto caſu ſemper remaneant Conventus in infirmaria, uſque ad complectionem Officij. Porrò ubi copia miniſtrorum ſupradictorum non habetur in promptu, vel propter aliquam neceſſitatem feſtinare oporteat; omiſſa Miniſtrorum aſſiſtentia, omnique alio apparatu ac ſolemnitate, fiant omnia eo modo, quo melius perfici poterunt.

Cap.XXXI. De Capitulo quotidiano.

FInitis Mutationis teneatur Capitulum, vel poſt Primam, vel poſt Tertiam, & Miſſam, ſi Miſſa poſt primam dicatur: aliquando etiam poterit intermitti, ſi Prioriſſæ videbitur. Ingreſſo Conuentu Capitulum, Lectrix pronunciet lunam, & quæ de Kalendario pronuncianda ſunt: & Hebdomadaria proſequatur *Prætioſa*, &c. Deinde Sororibus reſidentibus, Lectrix pronunciet Lectionem de Conſtitutionibus, vel de Evangelio pro tempore, præmiſſo *Iube domne &c.* & Hebdomadaria ſubiungat benedictionem, *Regularibus diſciplinis &c.* vel *Divinum auxilium &c.* pro tempore. Et facta abſolutione pro defunctis, dicat quæ tenet Capitulum, *Benedicite*: & reſponſo, *Dominus*, inclinent omnes. Deinde recitatis beneficijs, & recommendatis recommendandis orationibus omnium, ac dicto a Prioriſſa, *Retribuere dignare &c.* dictis etiam a Conventu Pſalmis: *Ad te levavi*, & *De profundis &c. Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.* ſubſequentibus etiam tribus Verſiculis. *Oremus pro Domino Papa &c. Saluos fac ſervos tuos, & ancillas tuas. Requieſcant in pace*, ab Hebdomadaria dicendis, cum his tribus Collectis, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia &c. Prætende &c. Fidelium Deus &c.* ſedeant Sorores. Tunc quæ præeſt poterit dicere breviter ſi quid ad honeſtatem, & correctionem Sororum viderit expedire. Poſt hæc dicat quæ præeſt. *Faciant venias ſuas, quæ ſe reas exiſtimant.* Continuo quæ ſe reas intellexerint, proſtratæ veniam petant. Deinde auditis primò Nouitiabus (ſi in Capitulo fuerint audiendæ) & egreſſis, aliæ ſurgentes humiliter confi-

teantur

tur culpas ſuas: & quarum culpa talis eſt, quæ digna ſit correctione; præparent ſe ad correctionem, quam tenens Capitulum faciat, vel illa cui iniunxerit. In Capitulo verò Sorores niſi duabus de cauſis non loquantur: ſcilicet culpam ſuam, vel aliarum dicendo ſimpliciter, & Prælatis ſuis tantum ad interrogata reſpondendo. Vnâ etiam ſtante, & loquente, nulla loquatur. Nulla faciat proclamationem, ex ſola ſuſpicione. Item nulla accuſet de auditu, niſi perſonam à qua audierit, dicat. Similiter quælibet caveat ne malum quod audierit de alia, alteri conferat, niſi dicat à quo audierit. Auditis culpis dicatur Pſalmus *Laudate Dominum omnes gentes &c.* cum ℣. *Oſtende nobis Domine &c.* & *Domine exaudi &c.* & Collecta *Actiones noſtras &c.* In fine dicat Prioriſſa: *Adiutorium noſtrum &c.* & ſic ſoluitur Capitulum. Cùm non tenetur Capitulum de culpis, pronuncianda ſunt ea quæ ſunt de Kalendario, & deinde *Prætioſa*, ſiue in Choro, ſiue in Capitulo modo ſupradicto; exceptis recitationibus beneficiorum, & orationibus annexis.

Cap. XXXII. De conceſſione Domorum.

INhibemus ſub pœna excommunicationis, ne aliqua ſcientèr det operam directè, vel indirectè, quòd aliqua Domus Sororum conſtruatur, vel conſtructa Ordini Fratrum Prædicatorum committatur: niſi priùs ſuper hoc habeatur conſenſus Capituli Generalis. Eâdem diſtrictione ordinamus, ne unquam in aliquo caſu, Domus aliqua recipiatur ſub curam ipſius Ordinis, niſi cum ſufficienti prouiſione in bonis temporalibus pro neceſſitatibus Sororum. Nulli etiam libellus iſte tradatur ad tranſcribendum, vel videndum, ſine licentia Magiſtri ordinis, vel Prioris Provincialis.

Hic finiuntur Conſtitutiones Sororum,
Ordinis Fratrum Prædicatorum.

INCI-

INCIPIT TRACTATUS

De initio & fundatione Regulæ, ſeu formæ vel modi vivendi, Fratrum & Sororum de Militia Jeſu Chriſti, de pœnitentia Beati Dominici.

TRACTATUM compilare intendo, ſuper informatione, & approbatione Regulæ, ſeu formæ vel modi vivendi Fratrum, & Sororum de Militia Ieſu Chriſti, de pœnitentia Beati Dominici Fundatoris Ordinis Prædicatorum: per diverſos Summos Pontifices approbatum, maximè per Papam Gregorium IX. Honorium IV. Ioannem XXII. Bonifacium IX. Innocentium VII. & Eugenium IV. ſicut habetur diffusè in legenda Beatæ Catharinæ de Senis cap.8. quam compoſuit Referendiſſimus Pater Frater Raymundus de Capua, Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis 22. & Magiſter Thomas de Firmo ejuſdem Ordinis Magiſter Generalis 24. tranſtulit in vulgari Regulam de Militia Ieſu Chriſti, de pœnitentia Beati Dominici. Item invenitur quidam liber in quo eſt Regula ſecundùm quam vivebant tempore Militiæ actualis contra hæreticos, qui liber eſt in Conventu Ferrarienſi, & Veneto Ordinis Prædicatorum, & eſt talis: *Pateat univerſis fidelibus, qualiter ego Frater Thomas de Senis, una cum Reverendo Patre, & Magiſtro Fratre Bartholomæo de Senis, ambo de Ordine Prædicatorum, Anno Domini* 1422. *Venetiis exiſtentes, & quantum valuimus diligentius inquirentes de Regula, ſive ſtatu Fratrum & Sororum de Militia Jeſu Chriſti, de pœnitentia Beati Dominici: invenimus quantùm ad initium eiuſdem Regulæ taliter ſe habere ſicut patet in legenda Beatæ Catharinæ de Senis ſupradicta, capitulo* 8. *ubi ſic dicitur*: Cunctis volentibus legere

gere notum facio: prout legi pariter, & audiui à fide dignis, in diverſis Italiæ partibus, geſtaque Beatiſſimi Patris Noſtri Dominici teſtantur. Ipſe glorioſus fidei Catholicæ pugil, ac Chriſti athleta Beatus Dominicus, ſicut totus zelator boni ſtatus Eccleſiæ militantis; per ſe, ac per ſuos Fratres, tàm in Toloſa, quàm in Lombardia, hæreticos triunphaliter debellauit: ita ut ſicut fuit tempore ſuæ Canonizationis coram Summo Pontifice Gregorio IX. probatum legitimè, centum millia hæreticorum, & ultrà converſi fuerunt tantùm in Lombardia, tàm doctrina, quàm miraculis eius. Nam ita venenoſa doctrina hæreticorum infecerat mentes hominum, quòd ferè omnia iura Eccleſiarum erant per laicos occupata: qui ea poſſidebant quaſi jure hæreditario. Ex quo cogebantur Pontifices mendicare, nec ullam habebant potentiam. per quam poſſent errori reſiſtere: nec etiam Clericos, aut pauperes valebant ſecundùm ſui officij debitum nutriendo iuuare. Undè in multis partibus etiam Italiæ regnabat iſta iniquitas: quod ſanctus Pater Dominicus zelotypa mente cernens, & ſuſtinere non valens, qui pro ſe ſuiſque ſequacibus extremam elegerat paupertatem; cœpit pro divitijs recuperandis Eccleſiæ, decertare. Advocans igitur aliquos laicos Deum timentes, & ſibi præcipua devotione affectos, & notos: cœpit tractare de ordinando quandam ſanctam Militiam; quæ haberet jura Eccleſiarum recuperare ſimul, & defenſare, nec non & reſiſtere fideliter hæreticæ pravitati. Nam illos quos voluntarios reperit ſic induxit, quòd juramentum præſtabant ſibi, cuncta quæ dicta ſunt facere iuxta vires: & propter hoc paratos exponere tàm perſonam, quàm illa quæ poſſidebant. Ut autem à coniugibus in hoc opere ſancto impediri non poſſent, faciebat coniuges, ſeu uxores corun iurare, quod viros non impedirent, ſed potius iuuarent, iuxtà modum cooperarentur eis in omnibus ſibi poſſibilibus, & Sanctus Pater Dominicus promittebat utrique parti copulæ ſervanti hoc, vitam æternam. Vocavit autem eos Fratres de Militia Ieſu Chriſti. Verum ut per aliquod

quod ſaltem ſignum ſecernerentur ab alijs Laicis, & aliquid ſupererogatorij operis adderent ultrà conſuetudinem aliorum: dedit eis colorem habitus proprij; ut ſcilicet, tàm viri, quàm mulieres quacumque figura veſtium vterentur, album tamen ſemper portarent, & nigrum: ita quòd uterque color exterius appareret ad innocentiæ, & humilitatis indicium. Inſuper aſſignavit eis quendam taxatum numerum Dominicæ orationis, & ſalutationis Angelicæ, quem pro qualibet hora canonica deberent quotidiè orando perficere, vt à Divino ſervitio non vacarent. Poſtquam Beatus Pater Dominicus ita benè ordinavit, migravit ad Dominum. Crebreſcentibus eius miraculis, Apoſtolicæ Sedis Pontifex Gregorius IX. ipſum cathalogo Sanctorum annotans, honorandum, & adorandum exhibuit univerſis Fratres hi, & Sorores dicti de Militia Ieſu Chriſti, volentes ordinatori ſuo jam glorioſo ſingularem reddere gloriam, & honorem: decreuerunt poſt mortem eius mutare nomen, & vocari Fratres de pœnitentia Beati Dominici. Induxit eo ſatis ad hæc; quia Beatiſſimi Patris meritis, atque miraculis, necnon, & Fratrum ſuorum laborioſâ doctrinâ, iam peſtis hæretica penè defecerat; & neceſſaria non videbatur multum amplius pugna exterior; ſed reſtabat tantùm, ut per pœnitentiam cum hoſte interiori pugnarent, propter quod etiam nomen pœnitentiæ ſingulariter elegerunt. Demùm creſcente quotidiè turba prædictorum fidelium, inter quos velut matutinum aſtrum reſplenduit Martyr, & Virgo Beatus Petrus, qui occiſus plures hoſtium conculcauit, quam viuens: deleta eſt quaſi totaliter turba vulpecularum demoliri cupientium vineam Domini Sabaoth; redditaque fuit pax (faciente Domino) Eccleſiæ Sanctæ Dei. Quamobrem cauſa illius Militiæ ceſſavit ex toto, ac per conſequens, & effectus. Verùm decedentibus huiuſmodi ſtatus viris, fœminæ remanentes propter religioſam vitam, quam cum viris tenuerant, amplius nubere non audebant: ſed ſtatum quem ſeruauerant; continuabant uſque ad mortem. Hoc cernentes aliæ non huius inſtituti viduæ,

quæ decreuerant viduitatem ſeruare: cœperunt dictas Sorores de pœnitentia Beati Dominici velle ſequi, & earum obſervantiam pro remedio ſuorum peccatorum imitari. Undè paulatim creſcentes in diverſis Italiæ partibus, coegerunt Fratres Prædicatores ibidem morantes, ad informandum eas de modo viuendi qui à Beato Dominicò fuerat inſtitutus. Quia verò modus ille ſcriptus non erat, quidam ſanctæ memoriæ Pater, qui totius Ordinis curam gerebat, vocatus Frater Munio, natione Hiſpanus, modum illum viuendi redegit in ſcriptis: quem hodie habent, & vulgariter Regulam vocant, quamvis Regula propriè dici non debeat, quia nec ſtatus de ſe propriè dicitur regularis, ex quo tria vota in qualibet Religione principalia non includit. Hæc ibi. Porrò numero, & merito prædictorum Fratrum, Sororumque ſtatu creſcente, felicis memoriæ D. Gregorius Papa IX. in priuilegio quod incipit: *Egrediens hæreticorum &c.* Fratribus Militiæ Ieſu Chriſti directo, perſonas, & bona Fratrum de Militia prædicta ſub Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcepit: prohibens nihilominus, ne quis ex ipſis aliquem capere, rapinis, & iniuſtis collectis, & exactionibus fatigare, vel ad aliqua illicita iuramenta aut iniuſta prælia cogere, aut alias iniuſtè moleſtare præſumat; inſuper omnibus in vera pœnitentia perſiſtentibus, qui mortis periculum pro Fide Catholica ſubierint, peccatorum omnium indulgentiam elargitur. Similiter D. Honorius Papa IV. ſentiens odorem bonæ famæ ipſarum, conceſſit eis per Bullam, quod tempore interdicti poſſent in Eccleſijs Fratrum Prædicatorum audire Divina: ut patet in eius priuilegio quod incipit: *Congruum exiſtimantes &c.* Inſuper D. Ioannes XXII. Papa, poſtquam promulgaverat Clementinam, quæ Beghinas pariter, & Begardos excommunicatos declaraverat: per Bullam ſuam, quæ incipit: *Cùm de mulieribus &c.* illam decretalem de Sororibus de pœnitentia Beati Dominici per Italiam conſtitutis, non debere intelligi declarauit: nec per ipſam, ſtatui earum fuiſſe quomodolibet derogatum denunciauit. Præterea D. Bonifacius

facius in ſua obedientia Papa IX. nuncupatus, per privilegium quod incipit: *Humilibus & honeſtis &c.* Fratribus, & Sororibus de pœnitentia Beati Dominici directum, concedit; quod pœnitentiam ſalutarem, & Sacramentum Euchariſtiæ à Fratribus Ordinis Prædicatorum, niſi in feſto Reſurrectionis, ſuſcipere valeant. Idem quoque in alio priuilegio, quod *Mare magnum* Bonifacij appellatur, & incipit; *Sacræ Religionis &c.* quod tempore generalis interdicti Diuinis intereſſe, & Eccleſiaſtica poſſint recipere Sacramenta ab ipſis Fratribus, humanitèr conceſſit. Item D. Innocentius in ſua obedientia Papa VII. nominatus, prædictorum Fratrum, & Sororum Regulam, ſive viuendi modum Apoſtolica authoritate confirmavit: in Bulla quæ incipit: *Sedis Apoſtolicæ &c.* Dominus quoque Eugenius Papa IV. præfatam Regulam, ſive modum vivendi vna cum prædicti Innocentij confirmatione ſimiliter approbavit, ut in eius Bulla patet, quæ incipit: *Proviſionis noſtræ &c.* Cæterum D. Sixtus Papa IV. in privilegio quod *Mare magnum* appellatur, concedit dictis Fratribus, & Sororibus de pœnitentia Beati Dominici: quod non ſolùm in Eccleſiis Fratrum Ordinis Prædicatorum, ſed etiam vbicumque poſſunt Fratres celebrare, poſſunt Divina audire, non ſolùm ipſi, & ipſæ, ſed etiam earum procuratores, & earum negotia gerentes, utriuſque ſexus. Item in priuilegio quod *Bulla aurea* nominatur, idem Pontifex concedit: quod loca, Monaſteria, Prioriſſæ, & Procuratores Fratrum, & Sororum, gaudeant eiſdem privilegiis, quibus, & Fratres Ordinis Prædicatorum. Idem quoque Pontifex ad requiſitionem Reuerendiſſimi Magiſtri Leonardi de Peruſio olim totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, per Bullam quæ incipit: *Sacroſancta &c.* ſub excommunicationis pœna inhibuit omnibus communitatibus, & poteſtatibus Civitatum, & quibuſcumque officialibus ſecularibus locorum: ne præſumant aliqua grauamina libertati Eccleſiaſticæ contraria, Fratribus, & Sororibus de pœnitentia Beati Dominici, continentibus, & conjugatis, ſecundùm Regulam, & inſtituta Regularia Or-

dinis viuentibus, irrogare; ſi tamen propter hanc libertatem obtinendam habitum non ſuſceperint. Bulla plumbea, & Bononiæ. Prætereà D. Alexander Papa VI. ad requiſitionem Reuerendi Patris Fratris Sebaſtiani de Brixia Congregationis Lombardiæ Generalis Vicarij, per Breve Apoſtolicum quod incipit: *Conſiderantes uberes &c.* concedit quod Fratres, & Sorores de pœnitentia Beati Dominici omni tempore poſſunt recipere Eccleſiaſtica Sacramenta, & etiam in Feſto Reſurrectionis, & in mortis articulo; cuiuſvis licentia ſuper hoc minimè requiſita, ſed tantùm Prioris Domus, & Vicarij Generalis Congregationis Lombardiæ Ordinis Prædicatorum. Omnia ſupraſcripta priuilegia habentur authentica in libro priuilegiorum Ordinis, impreſſo Romæ 1555. Inſuper varij, & diverſi Eccleſiarum Prælati videlicet Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, prædicto Ordini, & Fratribus, ac Sororibus præfatis, varias indulgentias conceſſere; quæ omnia enarrare longum eſſet. Hic igitur eſt Ordo à Beatiſſimo Dominico inſtitutus, de quo prodijt, & ſi non tempore, dignitate tamen primaria, glorioſa & Beata Catharina de Senis, Ieſu Chriſti ſponſa dilectiſſima: cuius geſta miranda Reverendiſſimus Pater Frater Raymundus de Capua olim totius Prædicatorum Ordinis Generalis Magiſter, ejuſque Confeſſor, conſcripſit: quam Dominus Papa Pius II. in die Apoſtolorum Petri, & Pauli, Cathalogo Sanctorum adſcripſit, ejuſque Feſtum prima Dominica Maij celebrari inſtituit; cuius Bulla plumbea in Conuentu Sancti Dominici de Brixia conſeruatur. Floruerunt inſuper in dicto Ordine aliæ innumerabiles Sorores magnæ perfectionis, & ſanctitatis: videlicet B. Angela de ſancto Severino, Beata Anna de Camerino, Beata Daniela de Beneuento, Beata Margarita de Civitate Caſtelli, quæ virginitatem vſque ad mortem conſeruans, multis claruit miraculis. Beata Ioanna de Vrbe veteri, ornatiſſima Virgo, & miraculis clara, Beata Helena de Piſis: Beata Maria de Venetijs, quæ pluribus virtutibus ornata extitit, de qua legenda compilata fuit.

fuit. Beata Margarita Soror Ducis Sabaudiæ, vxor quondam Marchionis Montis Ferrati, quæ in Conventu Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Alba Ordinis Prædicatorum ſepulta iacet, Beata Sibilina de Papia, cujus corpus etiam integrum conſpicitur in Conventu S. Thomæ Papiæ Ordinis Prædicatorum. Fuerunt, & aliæ innumerabiles, quas enarrare longum foret: exiſtunt etiam in præſentiarum multæ aliæ magnæ ſanctitatis, & perfectionis mulieres, in diverſis Italiæ partibus. Hæc omnia ſcripta ſunt, ut omnibus pateat quantùm Deus glorioſus hunc Ordinem clarum, venerandumque fidelibus eſſe voluerit, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

INCIPIT COPIA

Confirmationis Regulæ Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici Fundatoris Ordinis Prædicatorum per D. Innocentium Papam VII. & D. Eugenium Papam IV. confirmatæ.

EUGENIUS EPISCOPUS

Seruus Seruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

PRoviſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, ut ius ſuum cuilibet conſeruetur. Hinc eſt quòd nos tenorem quarumdam litterarum Innocentij in ſua obedientia (de qua partes infraſcriptæ tunc erant) VII. nuncupati, in ipſius regeſtro repertum pro eo: quòd ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum, ac dilectarum filiarum Sororum Ordinis Fratrum Prædicatorum de pœni-

tentia S. Dominici nuncupatorum, in Civitate noſtra Eugubina degentium petitio continebat; ipſi hujuſmodi tenore ex certis cauſis ſe aſſerunt indigere: de regeſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad Fratrum, & Sororum prædictorum inſtantiam petentibus annotari fecimus, quæ talis eſt:

INNOCENTIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei,
Ad futuram rei memoriam.

SEdis Apoſtolicæ providentia circumſpecta, perſonas ſub regulari obſervantia vacantes aſſiduè ſtudio piæ vitæ, benigno favore proſequitur: & ea quæ pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo providè ordinata ſunt; ut illibata perſiſtant, Apoſtolico conſuevit munimine roborare. Sanè petitio pro parte dilectorum filiorum Fratrum, & dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Ordinis Prædicatorum, qui quidem Fratres, & Sorores de pœnitentia Sancti Dominici nuncupantur, nobis nuper exhibita continebat: quod ipſi quandam Regulam, ſiue religiosè vivendi formam, in qua nonnulla honeſta, & rationabilia, ac regulari diſciplinæ congruentia ſtatuta, & ordinata fore noſcuntur; hactenùs laudabiliter obſervarunt, prout, & obſervant. Quodque licet Ordo, ac Fratres hujuſmodi, & Sorores, variis per Sedem Apoſtolicam ſint privilegijs communiti; tamen pro ſolidiori eorum ſubſiſtentia, & vt clementia Altiſſimi operante, de virtute in virtutem gradientes deuotiorem reddere valeant Domino famulatum: deſiderant hujuſmodi Regulam, ſeu vivendi formam per Sedem eandem approbari, Quare pro parte Fratrum, & Sororum eorundem nobis fuit hùmilitèr ſupplicatum: ut Regulæ, ſiue viuendi formæ huiuſmodi, robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere, illamque per dictos Fratres, ac Sorores præſentes, & poſteros in perpetuum obſervari mandare de benignitate Apoſtolica

di-

dignaremur. Nos igitur, qui ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, Venerabilis Fratris noſtri Angeli Epiſcopi Hoſtienſis (cui examinationem eorundem commiſimus per ipſum faciendam, & quod ea quæ per illam reperiret, nobis referre curaret) relatione plenaria, & fideli fuimus clariùs informati: huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, regulam, ſive vivendi formam, quam per ſingula ejus capitula clare, & diſtinctè de verbo ad verbum præſentibus facimus annotari; necnon ſtatuta, & ordinationes prædictas ratas habentes, & gratas; illas authoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: & nihilominus Regulam, ſeu viuendi formam eandem per ipſos Fratres, & Sorores præſentes, & poſteros volumus, & mandamus perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruari. Tenor verò Regulæ, ſeù viuendi formæ huiuſmodi, ſequitur, & eſt talis:

Cap. I. De recipiendis, & eorum conditione.

IN primis, ut hic Ordo continuum, & perpetuum de bono in melius recipere valeat incrementum, quod ex receptione perſonarum bene diſpoſitarum plurimùm noſcitur dependere: volumus & ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem huius fraternitatis; niſi per Magiſtrum, ſiue Directorem, & per Priorem dictæ Fraternitatis, vel de ipſorum licentia, ac etiam de aſſenſu maioris partis Fratrum profeſſorum Fraternitatis eiuſdem illius loci. Præmiſſa tamen diligenti examinatione ſi ſit honeſtæ vitæ, & bonæ famæ, ac de hæreſi nullatenus ſuſpectus: quinimmo tanquam ſancti Dominici ſingularis in Domino filius, ſic veritatis Catholicæ fidei juxta ſuum modulum æmulatur, ac zelator præcipuus. Qui etiam antequam Habitum Religionis recipiat, de alienis ſi quæ habuerit, ſatisfaciat ad plenum: & proximis reconciliari, nec non paratum, ſiue conditum teſtamentum tenere ſtudeat; iuxtà conſilium, & ordinationem Confeſſoris diſcreti. Et eadem examinatio fiàt de mulieribus ingreſſum huius Ordinis petentibus: habentibus tamen viros, non pateat ingreſſus ad conſortium dictæ

Fraternitatis; niſi de virorum ſuorum licentia, & conſenſu, de quo conſenſu fiat publicum inſtrumentum. Idem quoad hoc ſeruari volentes in viris vxores habentibus: niſi obſtaret in ipſis, vel altero ipſorum cauſa, quæ legitima iudicaretur conſilio diſcretorum.

Cap. II. De Habitu Fratrum, & Sororum.

OMnes autem tam Fratres, quam Sorores dictæ fraternitatis, induantur panno albo, & nigro: qui nec in colore, nec in valore nimiam pretioſitatem prætendat, ſicut decet honeſtatem ſervorum Chriſti. Mantellum ſit de nigro & Fratrum Capucia ſimiliter ſint de nigro: tunicæ vero ſint de albo; quarum manicæ protendantur uſque ad pugnum, & ſint clauſæ. Corrigias de corio tantum habeant, quibus Sorores cingantur ſub tunica. In burſis, & calceamentis, & cæteris omnem mundanam reſecent vanitatem. Vela verò Sororum, & bindæ ſint alba de panno lineo vel canapino.

Cap. III. De Benedictione Veſtium, ſive Habitus, & de modo recipiendi ad hunc Ordinem.

REcipiatur autem recipiendus in loco Capituli Fraternitatis, vel ante Altare Eccleſiæ Fratrum Ordinis Prædicatorum illius loci, a Magiſtro ſive directore ſupradicto, vel ejus Vicario. Qui Magiſter aſſiſtente induendo, & petente humiliter flexis genibus recipi præſentibus aliquibus alijs Fratribus Prædicatoribus, & Priore Fraternitatis, vel eius vices gerente, cum aliis de Fraternitate, benedicet primo habitum ejus qui debet recipi, hoc modo videlicèt: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam &c. Dominus vobiſcum*. Oremus. *Domine Jeſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es &c.* vt habetur ſupra Diſtinct. 1. pag. 114. Poſtea verò tali Habitu benedicto, & per receptum ſeorſim induto, atque ad gradus Altaris reverſo, & ante Magiſtrum genuflexo, dicet: *Veni Creator ſpiritus*, &

Fra-

Fratres qui ei aſſiſtunt, ipſum proſequantur uſque ad finem. Deinde dicatur, *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon Pater noſter, &c. Emitte ſpiritum tuum &c. Saluum fac ſeruum tuum &c. Dominus vobiſcum.* Oremus: *Deus qui corda &c.* & *Prætende Domine &c.* Et reſponſo *Amen*, aſpergatur ſic indutus à Magiſtro aqua benedicta. Deinde omnes Fratres Fraternitatis ipſum recipiant ad oſculum pacis, & eodem modo ante Altare recipiantur mulieres quemadmodum eſt de Fratribus ſupra dictum.

Cap. IV. De Profeſſione, ſeu modo profitendi.

COmpleto anno vel ante, ſi Magiſtro, & Priori ſupradictis, vel cui commiſerint, & etiam maiori parti Fratrum profeſſorum Fraternitatis viſus fuerit idoneus, ad profeſſionem recipiatur. Profitebitur autem hoc modo videlicet: *Ad honorem Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & Beatæ Mariæ Virginis, & B. Dominici. Ego N. coram vobis N. Magiſtro, & Priore Fratrum Ordinis de pœnitentia B. Dominici talis loci, profiteor me velle de cætero vivere, ſecundùm Regulam, & formam Fratrum, & Sororum ejuſdem Ordinis de pœnitentia beati Dominici uſque ad mortem.* Mulieres verò eodem modo profiteantur coram Magiſtro ſupradicto, & Prioriſſa, vel cui commiſerit.

Cap. V. De permanentia in hoc Statu.

STatuimus autem, ut nullus Frater, nec Soror huius Fraternitatis, & Ordinis, poſt talem ſupradictam profeſſionem, de hoc Ordine egredi valeat: nec eiſdem ad ſeculum reverti liceat, ſed bene poſſint liberè tranſire ad unam de approbatis Religionibus, tria vota ſolemnia profitentibus.

Cap. VI. De Horis Canonicis dicendis.

FRatres, & Sorores dicant quotidiè omnes horas Canonicas, niſi infirmitate impediantur. Pro Matutinis dicant viginti octo *Pater noſter*: prò Veſperis quatuordecim, pro qualibet aliarum horarum ſeptem. Ad honorem

verò

verò Beatæ Mariæ ſemper Virginis, pro qualibet hora ſuperius nominata, tot *Ave Maria*, quot *Pater noſter*, dicere teneantur. Pro benedictione autem menſæ dicant unum *Pater noſter*. Cum verò ſurgunt à menſa, dicant ſimiliter unum *Pater noſter*. Pro gratiarum actione, vel Pſalmum *Miſerere mei Deus*, vel Pſalmum *Laudate*, qui ſciunt. Omnes etiam qui ſciunt Symbolum Apoſtolorum, videlicet *Credo in Deum*, dicant illud ſemel in principio Matutinarum: & etiam ante Primam, & quando Completorium fuerit terminatum. Qui autem ſciunt, & dicunt horas Canonicas quemadmodum faciunt Clerici, prædicta *Pater noſter*, & *Ave Maria* dicere minimè teneantur.

Cap. VII. De ſurgendo ad Matutinas.

AD Matutinas Dominicis diebus, & feſtivis, a feſto Omnium Sanctorum uſque ad feſtum Reſurrectionis Dominicæ omnes ſurgant. In Adventu, & Quadrageſima ſurgant etiam omni nocte. Qui verò occupantur quotidiano opere manuali, horas ſuas dicere poterunt de manè vſque ad Veſperas excluſivè. De ſerò verò Veſperas, & Completorium ſimul dicant.

Cap. VIII. De Confeſſione, & Communione.

OMnes quater in anno adminùs videlicet in feſto Nativitatis Domini, Reſurrectionis ipſius, Pentecoſtes, & in feſto Aſſumptionis, aut Nativitatis Beatæ Virginis peccata ſua confiteantur diligenter, & Euchariſtiæ deuotè ſtudeant recipere Sacramentum: niſi forſan ex aliqua cauſa rationabili alicui ex ipſis eſſet à ſuis Confeſſoribus interdictum. Qui autem ex devotione ſua ſæpius voluerint communicare infra annum, petità à ſuo Prælato licentia, & obtenta, devotionem ſuam cum Dei benedictione poterunt executioni mandare.

Cap.

Cap. IX. De Silentio in Eccleſia obſervando.

IN Eccleſia dum celebrantur Miſſæ, vel cantatur Diuinum Officium, ſeu actualiter ibidem proponitur verbum Dei, omnes ſilentium ſervare ſtudeant: & orationi, ac Divino Officio diligenter intendat; niſi ex aliqua ſpeciali, & occurrente neceſſitate aliquid ſilenter loquantur.

Cap. X. De reuerentia exhibenda Eccleſiarum Prælatis, & Eccleſiis eorundem.

FRatres, & Sorores Eccleſias quarum Parochiani, & Parochianæ exiſtunt, juxta Canonicas ſanctiones, & bonos mores, & cui omni deuotione ſtudeant viſitare: & Eccleſiarum ſuarum Prælatos, videlicet Epiſcopos, & inferiores ſummè reuereantur; ipſorumque iura abſque omni diminutione, & fideliter eis ſoluant. Et hoc tam in decimis, quàm in oblationibus aliàs quomodolibet conſuetis.

Cap. XI. De Ieiunijs.

A Dominicâ prima Adventus, uſque ad Nativitatem Domini, quotidie tàm Fratres quàm Sorores ieiunent ſimiliter à Dominica in quadrageſima, uſque ad Paſcha Reſurrectionis Domini idem obſeruent. Ferias autem ſextas ieiunabunt omni tempore, & ieiunia omnia ab Eccleſia inſtituta. Qui autem voluerint amplius ieiunare ſeu auſteritates alias facere: poterunt; habitâ licentiâ à Prælato ſuo, vel de conſilio Confeſſoris diſcreti.

Cap. XII. De Cibo.

FRatres, & Sorores huius Fraternitatis, uti poterunt carnibus diebus Dominicis, tertia, & quinta feria: cæteris verò diebus abſtineant, niſi ſint infirmi, aut multum debiles, vel minuti; vel niſi præcipuum feſtum fuerit illa die, aut quia eſſent in itinere conſtituti.

Cap-

verò Beatæ Mariæ ſemper Virginis, pro qualibet hora ſuperius nominata, tot *Ave Maria*, quot *Pater noſter*, dicere teneantur. Pro benedictione autem menſæ dicant unum *Pater noſter*. Cum verò ſurgunt à menſa, dicant ſimiliter unum *Pater noſter*. Pro gratiarum actione, vel Pſalmum *Miſerere mei Deus*, vel Pſalmum *Laudate*, qui ſciunt. Omnes etiam qui ſciunt Symbolum Apoſtolorum, videlicet *Credo in Deum*, dicant illud ſemel in principio Matutinarum: & etiam ante Primam, & quando Completorium fuerit terminatum. Qui autem ſciunt, & dicunt horas Canonicas quemadmodum faciunt Clerici, prædicta *Pater noſter*, & *Ave Maria* dicere minimè teneantur.

Cap. VII. De ſurgendo ad Matutinas.

AD Matutinas Dominicis diebus, & feſtivis, a feſto Omnium Sanctorum uſque ad feſtum Reſurrectionis Dominicæ omnes ſurgant. In Adventu, & Quadrageſima ſurgant etiam omni nocte. Qui verò occupantur quotidiano opere manuali, horas ſuas dicere poterunt de manè vſque ad Veſperas excluſivè. De ſerò verò Veſperas, & Completorium ſimul dicant.

Cap. VIII. De Confeſſione, & Communione.

OMnes quater in anno adminùs videlicet in feſto Nativitatis Domini, Reſurrectionis ipſius, Pentecoſtes, & in feſto Aſſumptionis, aut Nativitatis Beatæ Virginis peccata ſua confiteantur diligenter, & Euchariſtiæ deuotè ſtudeant recipere Sacramentum: niſi forſan ex aliqua cauſa rationabili alicui ex ipſis eſſet à ſuis Confeſſoribus interdictum. Qui autem ex devotione ſua ſæpius voluerint communicare infra annum, petità à ſuo Prælato licentia, & obtenta, devotionem ſuam cum Dei benedictione poterunt executioni mandare.

Cap. IX. De Silentio in Eccleſia obſeruando.

IN Eccleſia dum celebrantur Miſſæ, vel cantatur Diuinum Officium, ſeu actualiter ibidem proponitur verbum Dei, omnes ſilentium ſeruare ſtudeant: & orationi, ac Divino Officio diligenter intendat; niſi ex aliqua ſpeciali, & occurrente neceſſitate aliquid ſilenter loquantur.

Cap. X. De reuerentia exhibenda Eccleſiarum Prælatis, & Eccleſiis eorundem.

FRatres, & Sorores Eccleſias quarum Parochiani, & Parochianæ exiſtunt, juxta Canonicas ſanctiones, & bonos mores, & cui omni deuotione ſtudeant viſitare: & Eccleſiarum ſuarum Prælatos, videlicet Epiſcopos, & inferiores ſummè reuereantur; ipſorumque iura abſque omni diminutione, & fideliter eis ſoluant. Et hoc tam in decimis, quàm in oblationibus aliàs quomodolibet conſuetis.

Cap. XI. De Ieiunijs.

A Dominicâ prima Adventus, uſque ad Nativitatem Domini, quotidie tàm Fratres quàm Sorores ieiunent ſimiliter à Dominica in quadrageſima, uſque ad Paſcha Reſurrectionis Domini idem obſeruent. Ferias autem ſextas ieiunabunt omni tempore, & ieiunia omnia ab Eccleſia inſtituta. Qui autem voluerint amplius ieiunare ſeu auſteritates alias facere: poterunt; habitâ licentiâ à Prælato ſuo, vel de conſilio Confeſſoris diſcreti.

Cap. XII. De Cibo.

FRatres, & Sorores huius Fraternitatis, uti poterunt carnibus diebus Dominicis, tertia, & quinta feria: cæteris verò diebus abſtineant, niſi ſint infirmi, aut multum debiles, vel minuti; vel niſi præcipuum feſtum fuerit illa die, aut quia eſſent in itinere conſtituti.

Cap-

Cap. XIII. De diſcurſu Fratrum, & Sororum.

VAgos, curioſoſque diſcurſus per civitatem non faciant: Sorores verò ſolæ non diſcurrant, maximè iuniores. Ad nuptias, choreas, ſiue ad diſſoluta, & mundana conuiuia, ſiue ad vana ſpectacula, nullo modo accedant. De ciuitate verò, ſeu caſtro ubi habitant, non exeant etiam causâ peregrinationis, abſque licentia ſpeciali Prælati, vel Magiſtri Fraternitatis iam dictæ.

Cap. XIV. De armis à Fratribus non ferendis.

INvaſionis, ſeu impugnationis arma ſecum Fratres non deferant; niſi propter defenſionem fidei Chriſtianæ, aut alia rationabili cauſa, & de ſuorum Prælatorum licentia.

Cap XV. De Infirmis viſitandis, & procurandis.

DEputentur per Priorem duo ex Fratribus, qui cum quempiam ex eiſdem nouerint infirmari, ipſum quàm citiùs potuerint, charitatiuè ſtudeant viſitare: & ſtatim à principio ad recipiendam pœnitentiam, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta eundem efficaciter adhortentur; & ſi neceſſe fuerit miniſterium corporale (prout commodè poterunt) eidem ſtudeant adhibere. Si verò fuerit pauper, neceſſaria de bonis propriis, vel communibus (prout facultas permiſſerit) ſibi miniſtrare procurent. Et idem faciant Sorores, circa Sorores ſuas infirmas.

Cap. XVI. De obitu Fratrum, & Sororum, & Suffragiis eorum.

QUando continget aliquem ex Fratribus ex hac luce migrare, cæteris Confratribus qui ſunt in eadem ciuitate vel caſtro, nuncietur: ut procurent defuncti exequijs perſonaliter intereſſe; à quibus non recedant, donec corpus fuerit traditum ſepulturæ. Hoc eidem circa Sorores decedentes volumus obſeruari. Præterea infra octo dies

dies poſt ipſius defuncti ſepulturam immediate ſequentes, quilibet Frater, & Soror dicat pro anima ejus: Sacerdotes vnam Miſſam; ſciens verò Pſalterium, Pſalmos quinquaginta: illiterati verò centum *Pater noſter* dicant, addendo in fine cuiuslibet, *Requiem æternam*, *&c.* Et præter hæc quilibet infra annum pro Fratrum, & Sororum, tam vivorum, quam defunctorum ſalute, tres Miſſas faciat celebrari: qui verò ſciunt Pſalterium, illud dicant, & cæteri quingenta *Pater noſter* dicere teneantur.

Cap. XVII. De inſtitutione Prioris, & Prioriſſæ.

PRiore Fraternitatis mortuo, vel amoto, Magiſter ſive Director Fraternitatis cum conſilio antiquorum de Fraternitate, inſtituat Priorem. Singulis autem annis infra Octauas Paſchæ, vel alio tempore, ſupradictus Magiſter habeat conſilium cum antiquioribus de Fraternitate ſuper amotione, vel confirmatione Prioris: & ſic Priorem confirmare, vel amouere poterit, ſecundùm quod ipſe cum præfatis iudicauerit expedire. Conſimiliter etiam de conſilio dicti Magiſtri, & aliquorum de Fraternitate magis antiquorum, poterit Prior Fraternitatis ordinare de Supprio re, vel Vicario Fraternitatis, & etiam poſtmodum confirmare, vel amouere, ſecundùm quod eiſdem viſum fuerit expedire. Qui Supprior, vel Vicarius tantam poteſtatem habeat, quantam Prior ſibi concedet. Et hæc eadem formą in inſtitutione Prioriſſæ, & Supprioriſſæ ſimili modo obſeruetur.

Cap. XVIII. De Officio Prioris, & Prioriſſæ.

PRioris officium erit cum omni diligentia ſeruare in ſe quæ in Regula ſcripta ſunt, & ſollicitam dare operam, ut ab alijs Confratribus obſeruentur. Si quos vero viderit tranſgredientes, aut etiam negligentes, charitatiue corripiat, & emendet: vel ſi magis ſibi videbitur expediens, Fraternitatis Magiſtro, & Directori, ut corrigat; poterit intimare. Prioriſſæ etiam erit officium, ſollicite Eccleſiam viſitare, cæteras etiam Sorores excitare ad obſervan-

ſeruantiam regularem : diligenter etiam per ſeipſam , & alias quibus imponet obſeruare ; quod in inceſſu , ſtatu , habitu , nihil per aliquam Conſororem fiat , quod cujuſquam merito turbare poſſit aſpectum . Præcipuè autem attendat ne Sorores cum quocumque viro cujuſcumque conditionis exiſtat , familiaritatem contrahant , maximè iuniores : niſi forſan talis vir Sorori illi ſit coniunctus tertio ad ſummum conſanguinitatis gradu : ſitque præterea , & bonæ vitæ , & famæ integerrimæ.

Cap. XIX. De Correctione Fratrum , & Sororum .

SI quis notatus fuerit de aliqua familiaritate ſuſpecta , & ter admonitus per Prælatum , ſe non emendauerit ; excludatur ad tempus à Capitulo , & conſortio cæterorum Confratrum . Quod ſi nec ſic ſe correxerit , tunc de Fratrum conſilio diſcretorum , de ipſorum penitùs conſortio publice excludatur ; nec admittatur de cætero , niſi Confratribus omnibus videatur eſſe correctus .

Item ſi quis Confratri , vel alteri cuicumque opprobrium dixerit , quod ſonare infamiam videatur ; aut ex ira quemquam percuſſerit , vel ad locum prohibitum ire præſumpſerit , ſeu inobedientiam quamcumque commiſerit , aut etiam Prælato mendacium ex induſtria dixiſſe deprehenſus fuerit : abſtinentia panis , & aquæ , vel excluſione a Capitulo , aut etiam a conſortio aliorum Fratrum , plùs , vel minùs ſecundum conditionem perſonæ , & exigentiam delicti grauiùs , vel leuiùs corrigatur .

Item ſi quis crimen mortale commiſerit , talis de conſilio maioris partis Fratrum profeſſorum Fraternitatis illius loci ſecundùm exigentiam culpæ , & conditionem perſonæ , grauiùs , vel leviùs puniatur ; ſic tamen quod ſit cæteris in exemplum . Quam punitionem ſi ferre recuſauerit , de conſilio diſcretorum de iſto Ordine expellatur . Circa Sororum verò correctionem , illud idem volumus per omnia obſervari .

Cap.

Cap. XX. De Congregatione Fratrum, & Sororum, & inſtitutione Magiſtri, ſive Directoris eorundem.

IN quolibet autem menſe ſemel certâ die, & horâ per ſupradictum Magiſtrum, vel eius Vicarium deputandis, ad Eccleſiam Fratrum Prædicatorum conveniant Fratres omnes Ordinis Fraternitatis, Dei verbum, & etiam Miſſam, ſi hora competens fuerit, pariter audituri. Et tunc per ipſum Magiſtrum ipſis legatur Regula iſta, & exponatur: & tunc de agendis Fratres informet, & negligentes corrigat, & emendet, prout ſecundum Deum, & iſtam Regulam, ſeu vivendi formulam viderit expedire. In cujuslibet etiam menſis prima ſexta feria, Sorores ad Eccleſiam Fratrum Prædicatorum conveniant, ſimiliter Dei verbum, & Miſſam communiter auditurae: quibus etiam legatur Regula iſta, & exponatur; de ſuiſque exceſſibus corrigantur per Magiſtram deputatum eiſdem. Volumus autem quòd in qualibet Civitate, & Caſtro ubi fuerint Fratres, & Sorores huiuſmodi, habeant in Magiſtrum, & Directorem, aliquem idoneum Fratrem Sacerdotem de Ordine Prædicatorum: quem poſtulauerint à Generali Magiſtro, vel Prouinciali illius Prouinciæ dicti Ordinis Prædicatorum; aut quem ipſi Generalis Magiſter, ſeu Provincialis per ſe alium eiſdem concedere, & aſſignare decreverit. Volentes inſuper, & ſtatuentes univerſos Fratres, & Sorores hujuſmodi de pœnitentia Beati Dominici ubicumque exiſtant, directioni, & correctioni ipſius Generalis Magiſtri Ordinis antedicti, & Prioris Prouincialis illius Provinciæ ejuſdem Ordinis, pro eorundem ampliori conſervatione, & promotione totaliter ſubiacere quantum ad illa videlicet, quæ eorundem viuendi modum, & formulam concernere dignoſcuntur.

Cap. XXI. De diſpenſatione facienda rationabili cauſa concurrente.

PRior Fraternitatis cum Fratribus ſuis, & Prioriſſa cum ſuis Sororibus, Magiſter autem, & Director eis deputatus cum utriuſque in abſtinentijs, ieiunijs, & auſteritatibus alijs in ſupradictis Capitulis contentis, ex cauſa legitima, & rationabili, cum expedire viderint, poterunt diſpenſare.

Cap. XXII. De obligatione huius Regulæ, & viuendi Formulæ.

DEum, quemadmodum in Conſtitutionibus Ordinis Fratrum Prædicatorum continetur, ita volumus, & ordinamus: quòd in iſta Regula, ſeu vivendi formula habeatur; videlicet, quòd præter Divina, & Eccleſiæ præcepta, atque ſtatuta in ea contenta, in reliquis huiuſmodi Regulæ Conſtitutionibus, ſive Ordinationibus Fratres, & Sorores ad culpam nullatenùs obligentur, ſed ſolum ad pœnam. Quam cùm à Prælato, vel Magiſtro continget ex quavis tranſgreſſione imponi, per tranſgreſſorem humiliter, & prompte ſuſcipiatur, & ſimiliter opere perficiatur, cooperante gratia Domini, & Redemptoris Noſtri Ieſu Chriſti. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, communitionis, voluntatis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, vj. Kal. Iulij, Pontificatus noſtri anno I.

Cæterùm ut earundem litterarum tenor prædictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat Apoſtolica

ſtolica authoritate decernimus: ut illud idem robur eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia, habeat; quæ haberent originales litteræ ſupradictæ: & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur, quocumque, vel ubicumque, ſive in judicio, ſive alibi, ut fuerit exhibitus, vel oſtenſus; & ſtetur firmitèr in omnibus, ſicut eiſdem originalibus litteris ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodò conſervari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1489. Pridie Idus Maii Pontificatus Noſtri Anno IX.

RUBRICA SPECIALIS

De modo, & ordine recipiendi Fratres, & Sorores de Pœnitentia Beati Dominici, ad Habitum prædicti Ordinis, qui communitèr obſervatur.

EST ſciendum, quod poſtquam homo recipiendus, fuerit diligentèr examinatus ab ipſis Fratribus de pœnitentia beati Dominici profeſſis, & à Magiſtro ipſorum receptus, & acceptatus, ſecundum quòd in Regula, & in expoſitionem eiuſdem quantùm ad Fratres apparet: tunc ſivè in die Capituli ordinarij, quod fit quolibet menſe ſemel, ſive in alia die ad hoc per ipſum Magiſtrum inſtituta; congregatis Fratribus alijs de Ordine Prædicatorum cum ipſo Magiſtro, ſeu Directore, ac alijs quibuſcumque honeſtis viris adeſſe volentibus, apud Eccleſiam Fratrum Prædicatorum, & ante Altare conſtitutis: ſive dé mane, ſive alia decenti hora, ſecundùm quòd opportunitas ipſa requiret,

idem Magiſter prædictus, vel alter Pater ſui Ordinis, cui ipſe commiſerit, locabitur ante Altaris medium, cum facie verſa ad Fratres, & perſonas alias circumſtantes, & Habitu illius qui debet indui ſuper dextra Altaris poſito, & duobus etiam cereis accenſis ſuper Altare poſitis. Et ipſe induendus venire debet ad gradus Altaris, ante præſentiam dicti Magiſtri; & cùm ſic venerit, debet genuflectere, & Magiſtro interrogante. *Quid petis?* debet manibus cancellatis devotè, & humilitèr reſpondere: *Miſericordiam Dei, & veſtram*, ſive in Latino, ſive in vulgari ſermone. Ipſe verò Magiſter, illud quod pro tunc dicendum iudicaverit dicet. Et ubi induendus ſumpto Habitu debeat immediatè, aut modicum poſt profiteri, (prout in quarto Capitulo ſupradictæ Regulæ, & expoſitione ipſius quo ad Fratres apparet) benedicet Habitum induendi ſecundum quòd habetur in tertio Cap. Regulæ, dicendo in bona voce, videlicet: ℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam*. ℟. *Et ſalutare tuum da nobis*: Et Magiſter. *Dominus Vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. Et Maſtiger. *Oremus*. *Domine Jeſu Chriſte, qui tegumen noſtræ mortalitatis induere dignatus es: obſecramus immenſæ largitatis tuæ abundantiam; ut hoc genus veſtimentorum, quod ſancti Patres ad innocentiæ, & ſanctitatis indicium ferre ſanxerunt, ita benedicere ✠ digneris, ut qui hoc uſus fuerit, te induere mereatur Chriſtum Dominum noſtrum*. ℟. *Amen* Quo facto Magiſter aſpergat Habitum, & etiam ipſum induere debentem Habitum, aqua benedicta. Et ſic induendus illum devotè ſuſpiciens, depoſitis ſecularibus veſtibus, à Magiſtro ipſo Habitu induetur. Et dum Magiſter eundem ſic ſtantem ante ſe genibus flexis induit, mittendo ei clamydem nigram, ſive induendo ipſum clamyde nigra, dicet: *Veni Creator Spiritus*. Et Fratres aſſiſtentes, & alii Clerici, ſi qui adeſſent, vertendo ſe verſus Altare proſequentes Hymnum, dicent in bona voce Hymnum: *Veni Creator Spiritus*. Et conſimiliter Magiſter cum receptum induerit vertet ſe ad Altare genuflectendo, proſequendo, atque dicendo cum eis: *Mentes tuorum viſita, imple ſuperna gratia, quæ tu creaſti pectora*. Quo primo verſu

dicto

dicto, ſurgere debent omnes, & Magiſter debet ſtare, & vertere ſe ad circumſtantes: alij verò contra ſe invicem, & ſic dictum Hymnum paritèr complere debent. Quo finito, Magiſter dicet: *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter*, cum Fratribus voce ſubmiſſa. Et conſequenter in bona voce ſicut ſupra dicet: *Et ne nos inducas in tentationem.* Et Frater ſiue Fratres, & ſi qui Clerici fuerint aſſiſtentes reſpondebunt: *Sed libera nos à malo.* Et Magiſter. ℣. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.* ℟. *Et renouabis faciem terræ.* ℣. *Saluum fac ſeruum tuum.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus qui corda fidelium, ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere; & de eius ſemper conſolatione gaudere. Prætende Domine famulo tuo dexteram cœleſtis auxilii vt te toto corde perquirat, & quæ dignè poſtulat aſſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.* Deinde Magiſter aſpergat Fratrem nouitèr indutum aquâ benedictâ. Qui tamen Magiſter in caſu quo plures eſſent induendi, debet in ſupradictis orationibus, & locutionibus ſemper uti numero plurali, & non ſingulari. Deinde ubi videbitur Magiſtro, & Fratribus, quòd Frater indutus tunc ad profeſſionem recipiatur: poterit tunc profiteri ſecundùm quòd in quarto Capitulo Regulæ, & in expoſitione eiuſdem quantum ad Fratres pertinet, continetur hoc modo. Quòd Magiſtro porrigente manus ſuas profiteri volenti, & ipſo profitente mittente manus ſuas in manibus Magiſtri, ad maiorem ſuæ profeſſionis firmitatem, dicat tunc in bona voce intelligibili, & expreſſa: *Ad honorem Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & Beati Dominici: Ego Frater N. coram vobis Fratre N. Magiſtro, & coram vobis Priore, aut Suppriore, ſeu Vicario Fratrum Ordinis de pœnitentia Sancti Dominici talis loci; facio profeſſionem, & promitto me velle viuere de cæterò ſecundum formam, & Regulam eiuſdem Ordinis de pœnitentia Beati Dominici uſque ad mortem.* Vel potiùs fiat in vulgari pro maiori euidentia.

Finis Regulæ, Tertii Ord. Prædicatorum.

INDVLGENTIÆ REGVLARIBVS CONCESSÆ.

SAnctiſſimus D. N. Paulus PP. V. per literas datas Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 23. Maij MDCV. Pontificatus Anno 1, quarum initium eſt: *Romanus Pontifex &c.* omnes Indulgentias, Religionibus conceſſas abrogavit, & annullavit: atque de novo conceſſit perſonis Religioſis ſequentes gratias: quas declaravit pertinere tantum ad eos qui intra clauſtra degunt, aut extra cum licentia Superiorum, legitimâ cauſâ conceſsâ. Primo recipientibus Habitum Religionis cauſa profitendi in Ordine, ſi eodem die verè pœnitentes, & confeſſi ſacram Euchariſtiam ſumpſerint, plenariam indulgentiam conceſſit. Item Novitio pœnitenti, & confeſſo, ſacra Communione ſuſcepta, qui expleto anno probationis Religionem profeſſus fuerit, ſimilitèr plenariam indulgentiam. Item quilibet Religioſus intra clauſtra viuens, in principali feſto ſui Ordinis confeſſus, & ſacra Communione refectus, aut celebrans: ſi preces fuderit pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Rom. Pont. ſalute San. Rom. Eccl. exaltatione ſimilitèr plenariam. In articulo mortis verè pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel ſi id nequierit, contritus, ſi nomen Ieſu ore, vel corde inuocauerit devote, etiam plenariam indulgentiam. Promotus ritè ad Presbyteratum, confeſſus, primam Miſſam celebrans, & Religioſi eodem die Communione refecti, aut celebrantes, qui Miſſæ interfuerint, plenariam indulgentiam. Qui de licentia Superiorum per decem dies à negotijs alieni in cella morabuntur, aut ab aliorum conſeruatione ſeparati operam dederint lectioni librorum ad ſpiritus deuotionem inducentium: addentes meditationes, & conſiderationes myſteriorum fidei, diuinorum beneficiorum, quatuor nouiſſimorum, paſſionis Domini, orationum iaculatorium, aut uocalium ſaltem duabus horis per dies ſingulos, & noctes; faciendo eodem tempore confeſſionem generalem, aut annualem, aut ordinariam, & communicantes,

cantes, aut celebrantes, quoties his exercitijs vacaverint, plenariam Indulgentiam. Item viſitantes ſuas ipſorum Eccleſias, & orantes pro Chriſtianorum Principum concordia; conſequenter eaſdem indulgentias, quas conſequuntur viſitantes Eccleſias Vrbis Romæ, & extra eam perindè, ac ſi perſonalitèr in diebus ſtationum illas viſitarent. Item recitantes quinquies *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria* ante Altare ipſarum Eccleſiarum quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas. Itinerantes de licentia Superiorum, aut degentes extra clauſtra tamquam Prædicatores, aut Lectores, eadem conſequentur, recitantes prædicta ante quodcunque Altare. Qui per menſem integrum ſingulis diebus per dimidiam horam orationi mentali vocaverint, & ultima Dominica illius menſis confeſſi, ac Communione refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas. Qui pœnitentes proprias culpas, & imperfectiones in Capitulo confitebuntur, & ſpecialitèr communicantes, & exercitium virtutis facientes, tres annos, & totidem quadragenas. Quoties de licentia Papæ, & ſuorum ſuperiorum miſſi fuerint in ditiones infidelium, aut hæreticorum, aut etiam Catholicorum ad docendum, & prædicandum pro eorum ſalute: ſi Confeſſione, & Communione ſe ad tantum opus præparaverint, quando itineri ſe accingent; plenariam Indulgentiam, & iterum quando Provincias illas ingredientur plenariam ſimilitèr conſequentur. Item ſi Prælatus in viſitatione generali orationem quadraginta horarum indixerit, quilibet Religioſus, qui per duas horas interfuerint etiam diverſo tempore, & oraverit pro Chriſtianorum Principum &c. Confeſſus, & Communicatus, plenariam Indulgentiam conſequetur.

Omnes iſtæ Indulgentiæ conceſſæ intelliguntur omnibus Monialibus in clauſula viventibus. Etiam Ordinarijs Locorum ſubiectis.

INCIPIT LIBER

De Inſtructione Officialium Ordinis Fratrum Prædicatorum ,

A Reuerendiſſimo P. Fr. HVMBERTO Magiſtro Generali eiuſdem Ordinis , editus .

PROLOGVS.

RELIGIONES approbatæ , ſicut in Conſtitutionibus ferè omnium Religionum diligentèr perlectis vidimus , diſtinxerunt antiquitùs , officia tradentes in ſcriptis quid cuilibet competeret Officiali : vt dum hæc ſciret quilibet, nullus alterius occuparet officium , nequè ſuum negligeret; & ſic ordinatiùs, & completiùs fierent vniverſa . Porrò in Ordine noſtro ſunt Officiales quidam , qui habent ordinariè curas pertinentes ad animas , differentes ſecundùm plus , & minùs : vt Magiſter Ordinis , Prior Provincialis , & Prior Conventualis . Alij ſunt qui habent hujuſmodi curam ex commiſſione : ut Supprior , Magiſter Novitiorum , Magiſter Converſorum , & Corrector familiæ . Ex horum quatuor , primus habet univerſalem in Conventu, alij vero particularem circa determinatas perſonas . Alij ſunt circa cultum Divinum, ut Cantor , Succentor , Sacriſta : alij circa ſtudium , vt Lector , Magiſter ſtudentium , Librarius , Procurator librorum , & ſcriptorum . Alii ſunt circa cuſtodiam diverſarum rerum , quæ indigent cuſtodia : vt Examinatores recipiendorum , circa cuſtodiam ingreſſus Circator , circa cuſtodiam Religionis Zelator , Cuſtos Dormitorij cir-

ca Dormitorium, & portarius circa portam, Depoſitarius circa res depoſitas. Alij circa varias neceſſitates Fratrum: & horum quidam ſunt generales, Procurator, Conſiliarij, Eleemoſynarius; quidam particulares, & horum quidam ſunt circa neceſſitates quotidianas, vt circa Conventum Refectorarius, ſeruitor menſæ, lector in menſa, & corrector in menſa, quorum primi deſeruiunt neceſſitatibus corporalibus, alij duo ſpiritualibus. Et circa infirmos infirmarius, & infirmorum cuſtos, & circa hoſpites, receptor hoſpitum: & his omnibus, ſcilicet Conuentui, infirmis, & hoſpitibus deſeruiens, conquinarius, & cuſtos cellarij. Alij circa indumenta, vt veſtiarius, ſartor, ſutor: alij circa opera Domus, ut præfectus operum; alij circa culturam horti, vt hortulanus. Sunt igitur in vniverſum, quadraginta ſeptem genera officialium apud nos, ſcilicet: Magiſter Ordinis, Prior Prouincialis, Prior Conuentualis, Supprior, Magiſter Nouitiorum, Magiſter Converſorum, Corrector familiæ, Cantor, Succentor, Sacriſta, Lector, Magiſter ſtudentium, Librarius, Curam gerens de ſcriptis, Examinator, Circator, Cuſtos Dormitorij, Portarius, Depoſitarius, Procurator, Eleemoſynarius, Refectorarius; ſeruitor menſæ, Lector in menſa: Corrector in menſa, Infirmarius, Cuſtos infirmorum. Receptor hoſpitum, Coquinarius, Cuſtos cellarij, Veſtiarius, Sartor, Sutor, Præfectus operum, Hortulanus. Sunt inſuper alij, quibus Ordo non indiget continuè, ſed in caſibus, & ad tempus, vt ſunt Deffinitor Generalis Capituli, & Socius eius, Elector Magiſtri Ordinis, Elector Prioris Prouincialis, Definitor Capituli Prouincialis, Viſitator, Prædicator generalis, & Socius Prioris Conuentualis ad Capitulum, & Confeſſor. Similiter præter hos ſunt alij quorum officia patent ex Ordinario, vt Hebdomadarius, & Miniſtri Altaris, lector Kalendarum, & alij qui in tabula ſcribi ſolent. Item cùm ſunt aliqui Fratres qui ſciunt artes aliquas mechanicas, vt ſuere ſcribere, radere, dolare, & huiuſmodi, debent hoc facere, proùt eis iniungitur: ſed hæc non computantur inter officia. Item

ubi paucitas eſt Fratrum, ſolent plura officia iniungi uni, & tunc ipſius intereſt omnia quæ pertinent ad illa exequi. Videtur autem tàm ex ratione, quàm ex conſuetudinibus noſtris, quod ea quæ Religiones prædictæ ſuper huiuſmodi ediderunt, poſſunt apud nos diſtingui, & aſſignari modo prædicto.

Iſta quæ ſcripta ſunt de Officiis Ordinis, non ſunt ſcripta ad hoc, quod inferant aliquam neceſſitatem: ſed ad hoc tantùm, vt Fratres quibus imponuntur aliqua officia, & non ſunt in illis plene inſtructi, poſſint hic reſpice ſi velint; & ſi aliquid ibi inuenitur, quod eis rationabile videatur, poſſunt acceptare ſi volunt: alioquin in nullo tenentur ex vi hujuſmodi ſcripturæ; propter quod dicunt Inſtructiones.

SE-

SERIES CAPITVLORVM.

DE Officio Magiſtri Ordinis *cap.* 1.
De Officio Prioris Prouincialis 2
De Officio Prioris Conuentualis 3
De Officio Supprioris 4
De Officio Magiſtri Novitiorum 5
De Officio Magiſtri Conuerſorum 6
De Officio Correctionis familiæ 7
De Officio Cantoris 8
De Officio Succentoris 9
De Officio Sacriſtæ 10
De Officio Lectoris 11
De Officio Magiſtri Studentium 12
De Officio Librarii 13
De Officio Examinatorum 14
De Officio Circatoris 15
De Officio Cuſtodis Dormitorij 16
De Officio Portarij 17
De Officio Depoſitariorum 18
De Officio Procuratoris 19
De Officio Conſiliariorum 20
De Officio Eleemoſinarij 21
De Officio Refectorarij 22
De Officio Seruitoris menſæ 23
De Officio Lectoris menſæ 24
De Officio Correctoris in menſa 25
De Officio Infirmarij 26
De Officio Seruitoris Infirmorum 27
De Officio Receptoris hoſpitum 28
De Officio Coquinarij 29
De Officio Cuſtodis Cellarij 30
De Officio Veſtiarij 31
De Officio Sartoris 32
De Officio Sutoris 33
De Officio Pręfecti operum 34
De Officio Hortulani 35
De quibuſdam communibus, ad Officiales multos ſpectantibus 36
De Officio Definitoris Capituli Generalis 37
De Officio Socii Definitoris Capituli Generalis 38
De Officio Electoris Magiſtri Ordinis. 39
De Officio Electoris Prioris Prouincialis 40
De Officio Definitoris Capituli Prouincialis 41
De Officio Viſitatoris 42
De Officio Prædicatoris Generalis 43
De Officio Socij Prioris Conuentualis ad Capitulum Prouinciale 44
De Officio Confeſſoris 45
De Officio Prædicatoris communis 46

Circa Ordinem in Generali.

MAgiſtri Ordinis Officium eſt, de toto Ordine ſibi commiſſo genere aſſiduam ſolicitudinem: paupertatis, humilitatis, & omnium obſeruantiarum Ordinis, totiuſque ſanctitatis quantum poſſibile eſt naturæ ſuæ, præ omnibus in ſe monſtrare indicia; vt non ſolùm præſentes Fratres exemplo ædificet, ſed etiam abſentes fama reficiat, Fratres præſentes verbis, abſentes verò litteris promouere ad omne bonum: & Deo, ac Beatæ Virgini, & Beato Dominico recommedare in orationibus Fratres, & Ordinem inceſſanter, & ad hoc etiam bonorum ſuffragia procurare, Debet quoque habere ſecum Regulam, Conſtitutiones, Priuilegiorum Ordinis tranſumpta, admonitiones Capitulorum Generalium, Breuiarium, & Miſſale bene correcta: & hoc ſcire bene, & Fratribus ſuper his ſatisfacere. Item ipſius intereſt pro poſſe laborare, vt interſit Capitulo Generali.

Circa Capitulum Generale.

IN Vigilia Pentecoſtes poſt Primam, prælectis in Capitulo Kalendis, & tabula, faciendus eſt ſermo aliquis breuis de pertinentibus ad Religionem, & ſtatum Fratrum ab ipſo, vel ab eo cui ipſe iniunxerit ad hoc idoneo: & poſtmodum admonitiones, circa ea quæ pertinent ad inſtans Capitulum. Orationes quoque aliquæ vel miſſæ pro ipſo Capitulo ſunt Fratribus iniungendæ. Poteſt etiam dare licentias aliquas generales durante Capitulo, vel de loquendo, vel de alijs ſecundùm quod viderit expedire. Ipſius etiam eſt congregare tunc Definitores, & in Definitionibus minùs exercitatos dirige: de Conſtitutionibus confirmatis, vel inchoatis, & de aliis actis præteriti Capituli, cum neceſſe fuerit, rationes quæ mouerunt Definitores, reddere. Summa quoque cura eſt ei adhibenda, vt Conſtitutiones vtiles

pro Ordine procedunt, aliæ verò non: & idem circa admonitiones, & alia agenda in Capitulo faciendum. Et circa hujuſmodi tunc prouidendum eſt ei, & frequenter per totum Capitulum cogitandum. Litteræ generales aliquæ de aliqua conſolatione, & utili exhortatione ad Fratres omnes, & Sorores, tunc ſunt ab eo tranſmittendæ: & tàm tempeſtiuè promulgandæ cum indulgentiis, ſi quæ nouæ fuerint, vel litteræ Papales, vel alia præter acta per Ordinem mittenda; quod ante Definitionem poſſint omnia à Fratribus tranſcribi. Curandum quoque eſt ei, quod acta modo debito, & decentèr formentur, & quod omnia fiant in Capitulo ordinatè. Committere etiam alicui debet, quòd habeat curam de litteris, de beneficijs concedendis, alij vel alijs, de legendis illis quæ fuerint tranſcribenda. Omnibus etiam qui ſcribunt ei ſiue Fratribus, ſiue extraneis de aliquo quod requirat reſcriptum; per litteram decentem reſcribendum eſt rationabiliter, & prout poterit gratiosè, & ut pleniùs expediantur litteræ, debet ſibi de pluribus prouidere dictatoribus idoneis, tunc habendis. In tenendo quoque Capitulum curandum eſt ſibi quòd diſſolutiones non fiant, quòd in loquendo, & in alijs, modus, & forma ſcripta ſervetùr, quod proclamationes iniquæ, vel indiſcretæ, doloſæ, & friuolæ reprimantur, quòd abſentes etiam leuiter non infamentur, & huiuſmodi multa. In terminatione verò Capituli, in ipſo Capitulo poteſt præfigere terminum, infra quem recedant Fratres: ſi timetur de mora Fratrum, & Domus grauamine. Denunciare quoque quò proponant inter dirigere, vt ſciant Fratrrs vbique vbi poterit inueniri, ſi eo indiguerint: & tam præſentium, quàm abſentium Fratrum orationibus ſe recomendare. Et his factis ab abſolutionem ibidem faciendam eſt procedendum.

Circa Prouincias verò debet habere curam magnam, quòd bonos Prouinciales habeant, cùm ex ipſis pro magna parte dependeat bonus ſtatus Ordinis in Prouinciis. Et ideò debet interdùm electoribus Priorum Prouincialium litteras ad hoc pertinentes dirigere: interdùm etiam concedere

eiſdem,

eiſdem, quòd poſſint eligere de alijs Provinciis; interdùm etiam circa perſonam eligendam eos dirigere, cum autem electio deuoluta fuerit ad eum, cum diligenti diſcuſſione prout vtiliùs poterit prouidere. Item pro communi bono Prouinciæ debet quandoque ſpeciales litteras ſpecialibus Prouinciis mittere, ſecundùm exigentiam negotiorum, & temporis; vel Viſitatores interdum ſecundum formam taxatam cum diſcretione, cum maior fuerit neceſſitas, (præcipuè cum conſilium Definitorum in hoc concurreret) deſtinare. Item Provinciis magis deſolatis, vel minùs ſufficientibus ſibi, debet eſſe fauorabilior in concedendis Fratribus utilibus, & idoneis, ſiue ad legendum, ſiue ad prædicandum, ſiue ad alia Ordinis negotia peragenda: vel in collocando Fratres de illis Prouinciis alibi ad proficiendum in huiuſmodi gradibus, per quos poſſint utilitèr reuelari. Suum eſt etiam transferre Fratres de Prouincia ad Provinciam; pro utilitate vel Ordinis, vel Fratrum transferendorum, vel Prouinciæ, a qua, vel ad quam translatio hujuſmodi fuerit facienda. Contentiones quoque, ſi quæ fuerint inter Prouincias debet dirimere, & à mutuis iniurijs conſeruare eaſdem. Per Fratres venientes ad Capitula, & alias cum commode poterit, de ſtatu Prouinciarum debet inquirere diligentèr: & ad habendam notitiam qualemcunque de regimine earum, vt Acta Capitulorum Provincialium ad ſe deferantur ad Capitula generalia, ſi voluerit, mandare.

Circa Conuentus.

INtereſt etiam ipſius, ut ad Conuentus ad quos non declinat, interdum literas mittat conſolatorias, ſi ſint in tribulationibus, vel de concordia, ſi ſint inter ſe diſcordes, vel aliàs ſecundùm quòd exigunt cauſæ variæ emergentes: vel etiam mittat Viſitatores ſecundùm formam taxatam, ſi major neceſſitas, & Prioris Prouincialis carentia, vel abſentia, vel negligentia, & ſufficientia hæc requirant. Sanè

nè eum declinat ad Conuentum aliquem in tranſitu, ſemper debet intrare Capitulum, & ibidem Fratribus congregatis recomendandos recommendare Fratrum orationibus, & cauſam ſui tranſitus (niſi ſit res ſecreta, reſerare eiſdem.) Niſi verò arĉta neceſſitas ipſum feſtinare compellat, non debet, ſi audiuit aliqua notabilia ibidem corrigenda, ipſa incorrecta dimittere. Si vera non audivit nihilominus, vel in Capitulo, vel coram ſenioribus aliquibus debet ſe offerre ad corrigendum, ſi aliqua videntur ſuam correctionem requirere. Quod ſi videatur ei, vt iſtis intendat, debet ſeorſim ſummatim illa, quæ eos mouerunt prælibare: & tunç ſi ei viſum fuerit, poſtea Capitulum, vel quoad omnia, vel quoad illos caſus tenere.. Ante receſſum autem ſuum, debet cum omnibus in Refectorio, ſi fieri poteſt comedere, & in Capitulo aliquem ſermonem, vel collationem, vel admonitiones aliquas proponere Fratribus; tam Clericis, quàm Laicis, ſecundùm exigentiam ſtatus eorum: & in fine conſuetam abſolutionem facere generalem; & ſe ſpecialitèr, & negotia ſi quæ grandia habet, tunc temporis Fratrum orationibus recommendare. Cum verò moram trahit in aliquo Conuentu, debet tàm frequenter, quàm diligenter tenere Capitulum: & cùm non tenet, interdùm tam utiles, & tam efficaces admonitiones proponere; quòd ex eius mora non ſolum in eius preſentia, ſed etiam poſt receſſum ſequatur in eadem Domo euidens Religionis augmentum. Melius quoque eſt, ut neceſſitates ſuas de communi prouiſione Conuentus, vel aliquibus amicis Ordinis manifeſtè recipiat, quàm quòd aliquid fiat circa hoc per modum occultum, vel ab aliquo Fratre ſingulariter procuretur. Cauendum eſt autem ei diligentèr, nè reddat oneroſum ſe in expenſis, aut in ſervitiis, quæ Fratribus aliis fieri non conſueuerunt, aut faſtu aliquo tamquam non ſit vnus illorum, aut in ſeruiendo nimias fieri ſibi reuerentias: ſed potiùs laboret, vt ſocietas ſua non ſolum Fratribus, ſed etiam familiæ (cum quam etiam habenda eſt ei aliqua Religioſa collatio) ſit amabilis, & accepta. Non decet etiam

etiam vt extrà Domum facilè comedat, vel inter ſeculares diſcurrat. Cùm autem eum ire oportuerit inter ſeculares, cum ſocietate moderata ire eum conuenit, ne nimis magna ſocietas attribuatur pompæ, vel nimis modica apud imperitos pariat contemptum. Sed in hoc tamen ſecundùm conditiones Regionum eſt temperandum. Fratres quoque qui occaſione eius ſuperueniunt, ne ex eorum mora Domus grauetur, debet breuitèr expedire, & licentiare curialiter comorantes ſine cauſa.

Circa Fratres.

AD ipſum quoque pertinet maiorum Fratrum exceſſus virilitèr corrigere; minoribus verò ſe talem exhibere, quod ad illum non timeant accedere. Dignos honore pro meritis, vel alijs conditionibus decenter honorare, irreligioſos, & malè viuentes à ſua gratia, & familiaritate ad correctionem repellere. Laborantibus laudabiliter, & fructuosè pro Ordine ſe gratum oſtendere: infirmis corpore, ſeu mente piè condeſcendere, proteruorum, contumacium duritiam frangere. Nouitiis tentatis, & afflictis, dulces conſolationes impertire, petitiones Fratrum rationabiles libentèr exaudire: cùm verò repellendæ fuerint, cauſas quare recipi non debeant prudentèr explicare; querelantium de alijs, cauſa diligenter audita, quod iuſtum fuerit ordinare. Diſſolutiones notabiles coram ſe nunquam ſuſtinere, de vtilibus, vel de confeſſione loqui ſecum volentibus facilè locum dare. Fratres omnes aduenientes (niſi ſit certum quòd inordinate vadant) cum læto vultu; & ad oſculum pacis ſemper recipere: diſcuſſa verò cauſa itineris, eoſdem ſecundùm merita tractare. Recedentes ad partes remotas cum oſculo licentiare abſolutionem generalem ſi petierint, eis conferre; & ſe per eos Fratribus ad quos declinauerint recommendare, & ſalutare eoſdem. Apoſtatis, & eiectis ad ſe confugientibus audientiam præbere, ipſiſque auditis ſcribere eorum Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus: & ſecundùm eorum relationem, quod viſum fuerit

expe-

expedire. In ſimilibus, & diſſimilibus ſe ſingulorum utilitatibus ſecundùm diverſos ſtatus eorum, coaptare.

Circa Curiam Romanam.

CUria Romana viſitanda eſt à Magiſtro tàm pro ipſius reverentia, quàm Ordinis utilitate, temporibus opportunis: vbi ſi eam turbatam inuenerit in aliquo contra Ordinem, vel Fratres aliquos, debet ad ſedandam ipſam ſollicitè laborare. Indulgentias, conceſſiones etiam verbo ſolo, vtiles Ordini quas poterit, impetrare, D. Papæ, & Cardinalium, & aliorum Curialium beneuolentiam erga Ordinem captare, negotia magna ſi quæ habet Ordo, pro viribus promovere, Cappellanis, & Pœnitentiariis Fratribus, & ſi qui ſunt alij in Societate Curialium, tenere Capitulum, & ipſos diligentèr corrigere: apponere etiam diligentiam, quòd indè cautè removeantur, ſi qui fuerint minùs apti, & quòd pauci ſint ibidem in ſocietate alicujus Curialium, & quòd qui fuerint, tales ſint; quod ex eorum mora in Curia honor ſequatur Ordinis, & utilitas animarum. Prouidendum eſt etiam ab ipſo, quòd in Conuentibus Civitatum, ubi Curia fuerit, ſemper ſint ſive de ipſa Provincia, ſive de aliis, Fratres perſonati diſcretione, & honeſtate pollentes: & præcipuè Prior, & Lector ſufficientes, & famoſi. Conſtituendos ſemper ab ipſo aliquis Frater in Curia litteratus, diſcretus, & zelator Ordinis, honeſtæ, & amabilis converſationis inter ſeculares; firmus in amore ſtatus Ordinis, & perſonatus: qui ſit ibidem Generalis Ordinis Procurator, habens ſuper hoc ſuas litteras cum diſcretione formatas. Cui etiam committenda eſt poteſtas aliqua ſuper Apoſtatas Ordinis, & ſuper Fratres ad Curiam inordinatè venientes: & etiam ſuper illos, qui ordinatè veniunt; ut cum conſilio ſuo procedant, & circa alia quædam, prout viſum fuerit expedire. Et de expenſis ei neceſſarijs, debet cum Definitoribus Generalis Capituli, vel per ſe, ſi commodè poterit, quod expedierit ordinare: & licentias ei dare, quæ ad exequendum ſuum officium utiles reputantur.

Cap.

Circa Nationes.

LIcet autem de omni fructu animarum per Ordinem faciendo ſit ei multum curandum, tamen ſpecialiorem curam, & zelum ferventiorem habere debet circa Barbaras nationes, & Paganos, Sarracenos, Judæos, Hæreticos, Schiſmaticos, & hujuſmodi qui ſunt extra Eccleſiam: ut per Ordinis laborem, & ſollicitudinem in viam dirigantur ſalutis; & Chriſti in eis gloria dilatetur. Et ideò curandum eſt ei, ut ſemper in Ordine ſint aliqui tractatus contra errores eorum in quibus Fratres exercere ſe valeant competentèr: & ut aliqui idonei inſudent in locis idoneis ad linguas Arabicam, Græcam, & Barbaras addiſcendas. Et in Provincijs, quæ ſunt ad hujuſmodi fructum faciendum aptiores, debet ſuper hoc excitare Fratres: & non quoſcumque, ſed qui circa fructum huiuſmodi fervent, & alitèr ſunt idonei, ad hujuſmodi negotia, deputare.

Circa Extraneos.

CUm aliqui extranei voluerint Magiſtrum viſitare, non debet eſſe ad eum difficilis acceſſus: ſed ſine mora in loco opportuno, vel exeundo ad eos, vel ipſis introductis ad eum, ſui debet præſentiam exhibere acceptabilem; affabilitèr omnes recipere, & ſecuudùm conditiones eorum plùs vel minùs honorare. Si verò petitiones aliquas faciunt, ſi commodè fieri poteſt, debet omnibus libentèr ſatisfacere: vel ſi non poſſunt exaudiri, de impotentia tali ſunt eis rationabiles cauſæ aſſignandæ. Caveat autem omnino nè incivile aliquid in eo inveniatur, & det operam quantùm poteſt, ut nullus ſcandalizatur ab eo recedat. Circa legationes, & alios nuncios ad ſe miſſos, ſic ſe debet haberè vrbanè in loquendo, & in neceſſitatibus eis providere faciendo: ita quòd recedentes occaſionem habeant bona loquendi de eo. Cum Religioſis tractandum eſt ei de ſanctitate, cum ſecularibus ſunt ei verba ſalutaria verbis ſecularibus immiſcenda. Nulli qui manifeſtè non ſit indignus, negare

negare debet in propria perſona gratiam hoſpitalitatis, aut eleemoſynas quæ fieri conſueverunt in Ordine. Benefactoribus, & amicis Ordinis ſpecialibus, dignæ ſunt gratiæ reddendæ, & in amore Ordinis ſunt per eius diligentiam confirmandi. Ipſi autem aliundè venientes (cum eos tales cognoverit) ſunt cum omni deuotione ſuſcipiendi, & omnis humanitas tàm in hoſpitalitate, quàm in alijs quæ nos decuerint, eſt eis ab ipſo exhibenda. Prælati per quorum Diœceſes tranſit, & præcipuè ſub quibus morantur Fratres, ſunt ab eo viſitandi: & ſi quas habent erga Fratres turbationes, pro poſſe conandum eſt ei ipſos pacificare, & Fratribus gratiam eorum acquirere; aut in ipſa continuanda (ſi habent) eos ſolidare. Magnates, ſiue ſint Principes ſeculares, ſive perſonæ Eccleſiaſticæ, quos non expedit per Fratres quoslibet, vel argui, tempore opportuno cum diſcretione, & modeſtia charitatiuè de ſalute ſua debet etiam commonere. Ad pacem Fratrum Minorum cuſtodiendam diligentiam debitam debet adhibere, ipſoſque viſitare; aut ſi non poteſt per ſe, per Fratres ad eos miſſos excuſare. In viſitatione verò cum opportunitas fuerit, collationem efficacem aliquam eis facere, eoſque cum omni deuotione recipere, & tractare: pedeſque eorum perſonaliter interdùm lavare, & exceſſus Fratrum contra eos ſine dilatione dignè corrigere. Prouidendum autem eſt ei, quod omnes cùm quibus eum eſſe contigit, antequàm recedant ab ipſo aliquam ædificationem in verbo, vel in facto reportent. Ad trahendum quoque ad Ordinem perſonas idoneas, curam debet apponere diligentem.

Circa Diuinum Officium.

NOn conuenit Magiſtro libenter ſe abſentare à Diuino Officio, & maximè à Completorio: niſi forte propter impotentiam corporalem, aut ſi habeat occupationes circa maiores vtilitates. Cùm autem præſens fuerit in Choro, debet primum locum in dextro Choro tenere: tempore

communionis abſolutionem in Capitulo facere, & Miſſam celebrare Conventualem. Fratribus infirmis, ubi præſens eſt ſacram miniſtrare Communionem, & extremam Vnctionem: & ſepellire Defunctos, recipere Nouitios, recipere ad beneficia, recipere legatos, & Magnates in Conuentibus in quibus fuerit; in magnis ſolemnitatibus facere Officia, & alias Conventuales Miſſas interdùm, cum requiſitus fuerit à Cantore celebrare. Extra Chorum verò cum maiori maturitate, & diligentia quàm ab alijs communiter conſueuit fieri, eſt officium dicendum ab ipſo, & celebrandum frequenter. Officium quoque mortuorum, non decet ab eo prætermitti.

Circa Menſam.

CVm comedit in Conventu, non eſt ei ſuſtinendum quòd ei ſingularitates notabiles fiant; cum vero habet unde poſſit aliquibus aliquid mittere, illi ſint potiùs eligendi, quibus cedit ad conſolationem; vt ſunt Novitij, vel tentati, & huiuſmodi, vel qui ſunt magis indigentes, vt debiles, vel infirmi, vel qui pro aliqua ratione ſunt honorandi, vt qui fuerunt nobiles, vel diuites in ſeculo, vel ſunt in Ordine Lectores, & ſimiles. Protrahenda eſt ab ipſo comedendo ſic menſa curialiter, vt qui moroſiùs comedunt, comeſtionem interrumpere non cogantur: nec ſignum facere debet quouſque videat, quòd comeſtio communiter ſit completa. Quòd ſi quis morâ notabili faciat alios plus debito expectare, per ſervitorem poteſt ipſum priuſquàm ſignum faciat, vt finem faciat commovere. Cùm autem extra Refectorium comedit in hoſpitio, vel in infirmitorio, cavendum eſt ei ne occaſione ipſius ſuperfluitates fiant inconſuetæ, & maximè ſi adſunt extranei. Nec danda eſt loquendi licentia paſſim, ſed modò uni modò pluribus, modò omnibus, modò nulli ſecundùm diuerſas circumſtantias ſecum comedentium: præcipuè verò cum interſunt extranei, cautè ſunt hujuſmodi licentiæ dandæ. Intereſt autem valdè ipſius aliqua verba ædificatoria, & ſpiritualis

con-

conſolationis interſerere comeſtioni, & frequenter lectionem aliquam in menſa, in parte, vel in toto habere: niſi pro reuerentia perſonæ excellentis: quæ adſit intermittatur; aut de ejus beneplacito fieri procuretur.

Circa Cameram.

CUM autem Camera ſit ei conceſſa propter certas vtilitates Ordinis, attendendum eſt ei, ne redundet in damnum Ordinis talis conceſſio: quod fieret, ſi fierent ibi diſſolutiones, ſi protenderentur vigiliæ vltrà ſignum; ſi fierent ibi comeſtiones, vel potationes, niſi tempore ſuæ infirmitatis, ſi permitteret fieri ibidem faſtum aliquem in lecto, aut in aliquo apparatu. Et ideò ſunt hæc ab ipſo, & familia coercenda. Nunquam etiam dormire debet in Camera, ſine duobus Socijs, & lumine.

Circa Itinera.

IN itinere conſtituto, vt tempus vtiliter expendatur, ſunt ei cum Sociis aliqui Pſalmi, & Orationes deuote dicendæ, aliquæ ſalutares collationes habendæ: ſed cum tali moderamine, ne vertantur in tædium graue Fratribus; quibus non moleſtum, ſed iucundum debet ſe Socium exhibere. Adiungentes ſe quoque ei debent ab eo, vel Socijs ſemper aliqua ſalutis monita reportare. Cùm opportunitas occurrerit, non eſt omittendum quin per eum: vel Socios prædicatio fiat. Illi autem qui cauſa Concilij, vel loquendi de ſalute ad eum acceſſerint, benignè ſunt audiendi, & cum favore dimittendi. Quamuis autem Fratres viatores: non debeat facile à ſua Societate repellere; tamen cauendum eſt ei, ne ex multitudine Fratrum concurrentium, vel ex ſuperfluitate expenſarum, quam cohibere poſſit, grauentur hoſpites, & ſine vtilitate eorum tranſeat. Et de ſalute animæ eſt cum habitantibus collatio ſemper habenda, & ad beneficia Ordinis ſunt interdùm recipiendi; & laborandum, vt nihil fiat, in quo male ædificentur, & quod bonus odor, & gratia apud eos remaneat poſt receſſum.

Circa Litteras.

LItteræ ineptæ nunquam ab eo ſunt mittendæ, ſed decenter formatæ, plus vel minus ſecundùm exigentiam materiæ, vel perſonarum, quibus dirigendæ ſunt. Et ideò ſunt omnes ante ſigillationem ſolicite reſpiciendæ. Scribentibus, diligenter eſt reſcribendum. Verba pungitiva ſunt in eius litteris ſemper deuitanda, & inſerenda lenitiva, & gratioſa: dandaque eſt ei opera, vt fructum quem verbis facere non poteſt, litteris compleat apud abſentes; ſive Fratres, ſiue extraneos in varijs caſibus emergentibus, prout fuerit opportunum. Non ſunt etiam litteræ paſſim dandæ, ſiue de beneficijs Ordinis, ſiue de precibus, ſiue de teſtimonio, & ſimilibus: ſed cum multa cautelâ, & deliberatione, Fratribus, & alijs qui ſcribunt, ſcribere non omittat.

Circa Poteſtatem.

LIcet autem Magiſter habeat plenam, & generalem poteſtatem in Ordine, tamen numquam eſt ei vtendum huiuſmodi plenitudine poteſtatis, vbi cauſa rationabilis non occurrerit. Specialiter vero eſt cauendum ei ne in temporalibus grauet Provincias, vel Conventus, vel Fratrem aliquem: vtpote libros, vel paramenta vnius alteri concedendo, onus pecuniæ alicui ſoluendæ imponendo, & ſimilia; ſine cauſa rationabili euidenti. Officia inferiorum non debet ſibi aſſumere libenter, niſi cauſa vrgente Licentias, quæ per alios expediri poſſunt raro dare debet, ſed potiùs Fratres ad Prælatos ſuos mittere pro ijs. Et quas dederit, quæ ſecretum non requirant, Prioribus Provincialibus, vel Conventualibus, prout magis conuenit ſignificare debet. In concedendo verò licentiam alicui Fratri confitendi alij, quam Prælato ſuo debet habere cautelam, ſciens quod huiuſmodi confeſſiones interdum in graue periculum Ordinis redundant. Item in licentiando aliquem ab Ordine, cauendum

dum eſt ei, quòd nihil faciat niſi quod liceat, & quod expediat; & quod ſalutem Fratris non negligat propter onus. Cùm autem fuerit faciendum, ſic provideatur, quod habeat locum, ad quem tranſeant antequam recedat, quod evagationi periculoſæ non exponatur. Circa diſpenſationem, & licentias, quæ ſibi reſervantur, vt de ſtudio in liberalibus artibus, de eundo ad Curiam, vel quæ non conſueuerunt fieri per aliquem de facili, vt de ingreſſu mulierum in clauſtra, & ſimilia: talem mediocritatem tenere debet, quod propter nimiam ejus duritiam circa hoc major fructus non impediatur; Vel grave ſcandalum generetur, & rurſus ex nimia facilitate periculoſa diſſolutio in Ordinem inducatur. Circa ſe vero quantùm valetudo permittit, ipſi parum diſpenſationibus eſt vtendum: & cum neceſſitas requirit aliud hujuſmodi neceſſitas eſt opportuno tempore inſinuanda Fratribus, ut non ſcandalizentur in ipſo.

Circa Socios.

ELigendi ſunt à Magiſtro Socij Deum timentes, Ordinis zelatores, diſcretione pollentes, religioſæ, & amabilis conuerſationis, corpore potentes: qui inter Fratres ſe ſicut unus cæterorum gerentes, nihil in hoc Officio quærant niſi ſolam Ordinis vtilitatem. Horum enim commune erit officium, quæ viderint in eo corrigenda, interdum cum humilitate, & modeſtia ei dicere; interdum quæ in aliis ſciuerint, vel audiuerint emendanda, eidem tempore ſuo referre, Agenda ei ad memoriam reducere; & circa eadem ipſum ſollicitare. Secreta quæ ad ipſum veniunt ſub diſtricto ſilentio cuſtodire. Si quæ grauia, vel periculoſa Ordini multum, ſciuerint in eo; Definitoribus, vel alijs qui prodeſſe poſſunt, & non obeſſe, tempore ſuo non tacere. Fratres cum eo loqui volentes, etiam in hoc timidos ad eum adducere. Aduenientes ad eum ſiue Fratres, ſiue alios extraneos benignè recipere, & ad eum ipſos introducere, vel ad ipſos eum euocare. Ipſorum negotia ſi quæ habent ſolli-

citè promouere, & curam habere, quod charitatiuè tractentur a Fratribus in hoſpitalitate, & huiuſmodi, cum fuerit faciendum. Dare operam ad pacificandum eos, quos turbatus viderint occaſione repulſarum petitionum, vel alia de cauſa erga Magiſtrum; & quòd in pace recedant, & cum gratia. Cùm ſenſerint murmur de factis aliquibus Magiſtri, eidem charitatiuè narrare debent: & murmurantes pro poſſe reddendo rationes de factis, vel quas fortè ignorant, ſedare. Contra neminem ipſum prouocare, niſi fortè cauſa correctionis, prout neceſſe fuerit. Horum unus debet eſſe Conuerſus, cuius erit officium ſpeciale cuſtodire ſigillum, ſigillare litteras, & pertinentia ad hæc in promptu habere: libros Magiſtri, & veſtes aliquas cùm fuerit neceſſe, portare in via, & circa neceſſitates eius corporales ſollicitudinem gerere, & ſuſtinere labores. Alius debet eſſe Notarius competens, qui magis debet laborare ad notandum ſententiosè, & breviter, quàm adornata verba multiplicare. Cùm Magiſter commiſerit ei litteras ſibi miſſas, debet eidem legere, & ſenſum ei referre ſummatim, & plenè: & notare diligenter ad quas litteras, vel ad quos articulos ſit reſpondendum. Si aliquod ſecretum in eis contineri aduertit, ſtatim ſuperſedere debet à legendo, & reportare Magiſtro, Congregationibus, & ſimilibus perſonis, & pro magnis negotijs, decentes litteras facere, & de littera magis legibili, & meliori. Litteras de beneficijs, & alias quæ committuntur aliis ſcribendæ, vel faciendæ, ante ſigillationem debet inſpicere, vt videat ſi ſint debito modo formatæ, & ſcriptæ. Poteſt, & præter iſtos (ſi viſum fuerit) tertium aſſumere Socium, virum conſilij, & litterarum, cum quo poſſit habere conſilium, vel de ſcripturis conferre: modò in via, modo in Domo, & in ijs quibus ſibi ſtudendum eſt, ipſum adiutorem habere; vel aliqua ſibi agenda, ei interdùm committere, cùm viderit expedire. Præter ſupradicta verò ſunt alia quædam ſcripta in Regula, & in Conſtitutionibus, & ordinario, aut in uſu. Alia verò quædam quæ dicere in ſingulis caſibus eſt magis rationis benè diſpoſitæ, vel unctionis,

quam

quàm hominis: veluti nihil ſubitò negare, vel concedere, non de facili aliquid in futurum promittere, quorundam conſilijs interdum acquieſcere, quorundam non; de nocte Deo, de die proximis vacare, benignè omnes audire, & ſimilia quæ ſunt ei ſollicitè peragenda. Quod ſimiliter intelligendum eſt de alijs Officialibus infraſcriptis.

Cap.II. De Officio Prioris Provincialis.

Circa principium regiminis.

OFficium Prioris Provincialis eſt, circa principium regiminis ſui cum timore, & tremore incedere, per orationem ad Deum concurrere; frequenter orationes aliorum ſibi ſollicite procurare, pro poteſtate committenda ſupra ſe in confeſſione, ad Magiſtrum recurrere: novitates nullas citò inducere, quouſque magis per experientiam, quàm per aliquam ſapientiam ſit edoctus: mutationis paucas facere, quouſque de ſtatu Provinciæ, Conuentuum, & Fratrum notitiam habeat pleniorem: Fratrum Deum timentium, & Religionem zelantium, & ampliori diſcretione pollentium magis conſilijs adhærere: notam fouendi partem aliquam, ſi fortè inter aliquos reputetur, declinare pro poſſe; & cavere ne ex amore privato, vel familiaritate, aliquid faciat non faciendum, aut facere videatur. Item ad ipſius pertinet officium diligenter conſiderare, quæ de Officio Magiſtri ſunt prædicta, & ea quæ dicuntur infra de Officio Prioris Conventualis, & ea quæ de illis competunt ſibi, ſecundùm ſtatum ſuum: & cum his, quæ continentur in præſenti nota de officio ſuo, quod debet ſtudiosè perlegere, & opere adimplere. Laudabilia quæ in anteceſſoribus ſuis fuerunt, prudenter inquirere, & inventa pro viribus obſervare: & per eorum Socios laude dignos inſtrui in officio humiliter, & devotè. Item ipſius eſt in Choro ſiniſtro ſtare, & quod Officium Divinum dicatur reverenter, & devotè, & ſecundùm modum Ordinis, tàm in Choro, quàm extrà, dili-

ligentiam apponere: & de Cantoribus competentibus, prout poteſt Conuentibus prouidere. Item intereſt ſua, cum Magiſter præſens non eſt, celebrare Miſſam in maioribus ſolemnitatibus, & miniſtrare Sacramenta decedentibus; & huiuſmodi, quæ ſupra dicta ſunt de Magiſtro Ordinis.

Circa commune bonum Prouinciæ.

ITem ad ipſum pertinet commune bonum Prouinciæ procurare ſollicitè, ſiue apud Magiſtrum, ſiue in Capitulis Generalibus, & Provincialibus. Item de ijs quæ videntur corrigenda, vel facienda, quæ per ſe non poteſt commodè expedire memorialia facere, & ipſa Capitulorum tempore promovere. Item in emergentibus neceſſitatibus Fratrum, in diverſis locis conſilium dare, ſiue per recurſum ad Curiam Romanam, ſive alijs modis, prout variæ neceſſitates exigunt; ad communem pacem Prouinciæ dare operam efficacem. Partes ſi quæ ſunt pro viribus auferre, inſtruendo vnitatem, & concordiam ponendo; querelas, ſi quæ ſunt inter Conuentus de terminis, vel alijs quibuſcunque, citò terminare. Conventus nouos, qui euidenter reputantur vtiles procurare, de minùs neceſſarijs non curare. Regulam, Conſtitutiones, Priuilegia, Acta Capitulorum, litteras Magiſtri benè correctas ſecum portare, & ad exemplar ſuum ubique per Conuentus facere ſcribi, quæ non habentur: quæ verò habentur perlegi, & corrigi diligenter, & interdùm facere legi, vbi viderit expedire. Infirma Fratrum, vel Conuentum aliquorum ſine cauſa rationabili numquam debet alijs recitare. Quòd Fratres ubique pacem habeant erga Clerum, & Populum, & Prælatos, & alios: laborare. Quòd metas privilegiorum, vel conceſſionum quæ habuit à Prælatis in confeſſionibus audiendis, vel abſolutionibus, & diſpenſationibus, & huiuſmodi, Fratres non tranſgrediantur; & quòd ad hæc exequenda non ponantur Fratres niſi ſufficientes, monere, & cauere. Diſcurſus Fratrum reſtringere, nec permittere, quòd diſcurrant propter negotia quæ poſſunt per litteras expediri.

Circa

Circa Conuentus.

ITem circa Conuentus debet apponere curam quam poteſt, ut habeant omnes Priores idoneos: & vt in quolibet ſit Lector, & aliquis, vel aliqui gratioſi Prædicatores; ſimiliter aliquis, vel aliqui viri conſilij. Et ubi non poterunt haberi tot Lectores, quot ſunt Conuentus; ſaltem ſit aliqua lectio, vel de ſumma Caſuum, de textu Sancti Thomæ, de Artibus, vel de Hiſtoriis, vel de aliqua alia ſumma, & huiuſmodi. Conuentus autem deſolatos, & pauperes, & remotiores, magis debet habere cordi, & plus cavere ab eorum grauamine, & eis magis ſubvenire in quibus poteſt. Siue in Fratribus concedendis, ſiue in alijs; & ad ſubueniendum eis, Conuentus alios, & Fratres animare, eoſdem quoque per litteras conſolari frequentiùs, & excitare in bonum. In miſſione verò nouorum Conuentuum, ſic ſollicitè prouidere debet de Fratribus Religione claris; quòd à principio Religionis rigor in illis ſeruetur, & fructus animarum cum ipſis perueniat ad totam viciniam, & honor Ordinis, & fama in illis partibus dilatetur.

Circa Priores.

ITem circa abſolutiones Priorum qui boni reputantur, non debet eſſe facilis, nec propter eorum inſtantiam, nec Fratrum aliorum importunitatem. Magis autem debet eos animare ad oneris ſuſtinentiam propter Deum, & Ordinem, eoſque fouere, & adiuuare in quibus bono modo poteſt: eoſque moleſtantes comprimere, pacemque eis prout poſſibile eſt procurare. Priores verò minùs idoneos facilè debet abſoluere, cùm ſperatur quòd meliores poſſunt haberi; & quandoque etiam ſuper eos aliquibus aliquam poteſtatem tradere, vel in recreationibus recipiendis, vel huiuſmodi, cùm cauſa rationabilis hoc requirit.

Circa

Circa Fratres.

ITem ipſius eſt de Fratribus periculoſis, & diſſolutis, ſollicitè ordinare, quòd non ponantur in locis diſſolutis, in quibus minus viget diſciplina: ſed in domibus, in quibus meliùs cuſtodiri poſſint, & corrigi. Et quantum fieri licet, conditiones eorum Prioribus ad quos mittuntur, notificare debet. Et cùm transferuntur de loco ad locum, prouidere, vt benè aſſocientur, & certum tempus habeant pro itinere taxatum. Qui autem peſtiferi fuerint inuenti ſecundùm quòd grauiores eorum culpæ requirunt, grauiùs, vel per carceres, vel percuſſiones, vel per eiectiones a Fratrum ſocietate, vel aliter puniantur. Perturbatores Conventuum, aut Priorum aliò transferre, colligationes in malum, per diſperſionem diſſoluere. Talem ſe debet omnibus exhibere, quò ad confitendum eidem non timeant accedere. Extra Capitulum quoque Fratribus aliquibus interdùm charitatiuas facere exhortationes, prout ſtatum eorum viderit indigere. Diligenter quoque debet ubique aduertere, qui & quot ſint in quolibet Conuentu, qui ſint apti ad proficiendum in ſtudio; & huiuſmodi ſi ſint benè morigerati, ad ſtudium promovere: vel ad ſtudia meliora mittendo, vel in ipſis domibus proprijs libertates aliquas concedendo, vel occupationibus aliquibus eximendo; inſuper de libris eiſdem prouidendo. Et eos etiam, de quibus eſt bona ſpes, quòd poſſint eſſe vtiles ad Prioratus, & officia Ordinis magis neceſſaria, in ſcientia, & huiuſmodi promouere. In recipiendis verò Conuerſis pluribus, vel qui non noverint officia, in quibus poſſint Ordini deſeruire, & etiam Clericis minùs idoneis, dignam debet adhibere cautelam.

Circa Viſitationem.

ITem viſitare frequenter Prouinciam debet prout poteſt, & frequentiùs Domos quæ plus indigent. Cum autem

non

non poteſt in propria perſona, debet interdum cum neceſsè fuerit, per alios Fratres diſcretos, & acceptos Fratribus hoc ſupplere; taxata eis per litteras diſcretè poteſtate. Cum autem de Prouincia recedit, ſemper relinquere Vicarium, vel Vicarios per diverſas partes Prouinciæ: & interdum etiam cùm præſens eſt in Prouincia in aliquibus locis magis remotis, Vicarium, vel Vicarios inſtituere; poteſtate eis taxatâ ſemper per litteras, & expreſsâ. Item cùm Viſitatores aſſignati à Capitulo Prouinciali viſitare non poſſunt, pro eis Viſitatores idoneos ſubſtituere. Porrò in viſitatione tantum debet in qualibet domo morari, quòd diligenter, & plene, quod requirit viſitatio valeat exercere. Epiſcopum loci, Fratres Minores, & alios amicos Ordinis viſitare, vel cum ipſis eum viſitantibus competentem collocutionem, & collationem habere. Populo, Clero, & Religioſis (ubi hoc expedierit) prædicare; ſcandala, & turbationes ſi quas inuenerit erga aliquos Religioſos, Prælatos, Clerum, & alios, ſedare curabit. Cum Fratribus in Refectorio, in officiis diuinis, & in Dormitorio aliquo tempore intereſſe. Fratribus tàm Clericis, quam Laicis ſui copiam facere, ſiue de confeſſione, ſiue de quibuſcumque alijs loqui voluerint cum eo, ſiue in Capitulo, ſiue extra. Collationes Fratrum audire, vt de profectu eorum aliquid in ſtudio eorum aduertere poſſit. Saltem ſemel audire computationem domus, & ſtatum, quo ad temporalia. Auſcultare infirmos, puſillanimes, & tentatos, & Nouitios ſingularibus collationibus conſolari; Nouitijs Conuerſis aliquas priuatas collationes facere. Familiam vbicumque ſuperfluam inuenerit, remouere. Si quæ majoris ponderis ordinare voluerit, priùs diſcretorum conſilium conuocare. Et quantùm poteſt fieri rationabiliter dare operam, ut omnes in pace, & conſolatione relinquat. Et ſic inter eos in illo tantillo temporis ſtudeat conuerſari, quod plùs eos exemplis, quam verbis ædificet, & informet.

Circa Capitulum Prouinciale.

ITem ad locum Capituli Prouincialis debet aliquantulum tempeſtiuius alijs venire, vt cum Fratribus domus tractet, ſi expedierit, de aliquibus ad Capitulum pertinentibus: & vt Fratres, qui quandoque citiùs veniunt pro aliquibus negotijs, expediat. Item intereſt ſua tunc temporis litteras ſibi miſſas per ſe, vel per Secretarium reſpicere, & ea ad quæ reſpondendum eſt notare: & quæ ſine Capitulo poteſt facere citò expedire. Ea verò, quorum reſponſio ex Capitulo dependet, in memorialibus ponere, vel ipſas litteras diſtinctè pro diuerſis Conuentibus ad confuſionem cauendam in diuerſis locis ſeruare, & quàm citò poterit expedire; illas verò quæ reſponſionem non requirunt, ſtatim diſcerpere. Item prouidere debet, quòd Acta Capituli Generalis, & litteræ Magiſtri, & ſi quæ aliæ litteræ, vel ſcripta emanauerint à Capitulo Generali per Prouinciam habenda, legantur ante electionem Definitorum: & ordinetur quòd certo loco, & certo tempore conueniant, qui habent tranſcribere, & per aliquem, vel aliquos legantur, & ad ſcribendum neceſſaria ibidem miniſtrentur de domo; ita quòd ante Definitionem Capituli omnia hujuſmodi ſint tranſcripta, & tunc acta Capituli, & ſi quæ alia mittenda ſunt in ſcriptis per Prouinciam, ſunt ab eodem Capitulo celeriter ſecundùm modum eundem ſcribenda. Item non debet dare licentias veniendi ad Capitulum ſine cauſis rationabilibus, & qui aliter veniunt, condigne cum conſilio Definitorum in ipſo Capitulo confundere debet, & punire: vel ſegregando à Capitulo, vel ſtatim remittendo, vel alias prout maior exceſſus eorum exigerit. Ordinare etiam debet quòd nimis tempeſtiuè non veniant, & quòd non nimis morentur qui venire tenentur. Item Definitores minus expertos in aliquibus dirigere, & de conditionibus perſonarum, quarum notitiam non habent, (cùm de eis agitur) inſtruere eoſdem quantùm commodè, & licitè poteſt, & Ordinis vtilitas requirit. Item dare operam quòd paucæ mutatio-

nes

nes Fratrum fiant, & quæ fiunt, non fiant ſine cauſa valde rationabili: cum ex huiuſmodi mutationibus frequenter inconuenientia multa oriantur. Item cauendum eſt ei, ne in ſuis agendis ſit ita favorabilis maioribus Conventibus, & perſonis contra minores (quibus magis eſt ſubueniendum) quod inde ſcandalum apud eos, & turbatio ſubſequatur. Ordinandum eſt etiam ab eo, quod Fratres qui tunc mittuntur de Conuentu ad Conuentum, certam, & bonam ſocietatem, & tempus ad viam habeant arripiendam, & conſumandam. Eo modo expedit tunc ordinare propter diſcurſus euitandos, quod Conuentus qui carent Prioribus habeant poteſtatem eligendi, prout ſibi viſum fuerit aliunde: & confirmare in domo, vel vicino Conventu aliquo interdùm, & pronunciare, quod ad eum nulli Fratres mittantur pro huiuſmodi, & ſimilibus, quæ per garziones, & litteras valeant expediri.

Cap. III. De Officio Prioris Conuentualis.

Circa ſeipſum.

OFficium Prioris Conuentualis eſt diligenter notare ea, quæ de ſupradictis Officijs Magiſtri, & Prioris Prouincialis ſibi competunt, ſecundùm ſuum ſtatum; & ea adimplere. Item pro Religione primo, & pro ſtudio ſecundo, pluſquam pro alijs quibuſcunque zelare. Item non tantum extra domum morari, quod ea quæ ſunt intus agenda negligat; nec tantum intus reſidere, quod fructus quos poteſt extra facere, damnose perdat. Item amore quietis, Fratrum, & Ordinis negotia non negligere, & rurſus propter nimiam occupationem circa curam ad alios, nimis a ſe exire. Item circa occupationes odioſas, & deuotionem hominum ad Ordinem ſuffocantes, (vt ſunt viſitationes, & correctiones poteſtativæ Monaſteriorum, receptiones arbitriorum, & ſimilia,) ſe de facili non implicare. Circa fructum vero animarum, qui fit per prædicationes, per charitativas admonitiones, per con-

conſilia, per confeſſiones, per paces, & huiuſmodi, quæ magis decent Ordinem, & ſpiritum magis ſapiunt, libenter intendere debet ſpiritualibus quoque exercitijs intra clauſtrum, vt ſunt ſcholæ, collationes, ſermones, Officium divinum, & huiuſmodi, libenter intereſſe. Circa coquinam verò, veſtiariam, vel hortum, vel ædificia, & huiuſmodi quotidianas anguſtias, & minoris valoris, quæ per alios Officiales exerceri ſolent, occupari raro. Item ipſius intereſt in abſentia Magiſtri, vel Prioris Provincialis, vel de eorum mandato (ſi præſentet exiſtunt) recipere Nouitios. In magnis ſolemnitatibus facere officium, ſepelire Fratres, infirmis miniſtrare Sacramenta, & alia ſimilia, quæ ſupra dicta ſunt in officio Magiſtri. Non autem debet de facili vnquam deeſſe à Completorio. Cum autem eſt in Choro, ſtare in dextra parte debet.

Circa Maiores.

ITem ad ipſum pertinet, Magiſtrum, vel Priorem Provincialem, Viſitatorem, & omnes Maiores ſuos cum debita reverentia ſuſcipere, & tractare: ſtatum ſui Conuentus cum quæſierint, vel expetierint, fideliter eis exponere, eorum mandata, & ordinationes, & Capitulorum Generalium, & Prouincialium deuote ſuſcipere; memoriæ commendare, Fratribus frequenter exponere; & ut plenarie obſeruentur operam dare. Vtilitatem quoque Domus, & Fratrum ſuorum ſollicite procurare, grauia ſi quæ ſibi imponuntur ab eis, ſine murmure portare, eos pro ſua abſolutione, vel alijs negotijs, non grauiter moleſtare: repulſam petitionum ſuarum patienter ſuſtinere, & cauſam quare hoc fiat ab eis rationabilem eſſe (licet neſciat) ſupponere; & in ſuis anguſtijs de multitudine negotiorum, & impotentia ſatisfaciendi omnibus, eis potiùs compati, quam de repulſa huiuſmodi indignari. Pro eis quoque orare, & alios frequenter inducere ad hoc ipſum; Si quæ in eis corrigenda viderit, vel de aliquo quocumque tractare cum eis habuerit, cum digna humilitate loqui debet eiſdem.

Circa

Circa Conventum.

ITem ipſius intereſt Conventui in victu, & in veſtitu, & infirmitatibus, & alijs neceſſitatibus, prout poteſt, commoditatem procurare. In Refectorio, in communi minutione, & raſura, & ubique libenter eſſe cum Conventu. Singularitates in cibo, vel extraordinarijs comeſtionibus, & hujuſmodi, cavere. In veſtium pretio ſequi communitatem, tàm in ſe, quàm in alijs. Singulares proviſiones in neceſſarijs nulli concedere, ſed de communi omnia providere, nunquam apud ſe, vel alium, niſi communem cuſtodem, & nonniſi pro libris pecuniam habere, ſuperfluitates in hoſpitio, & infirmitorio, & horum frequentationes præter neceſſarias, reſtringere; & in diſpenſationibus circa corporalia ſe non facilem exhibere. Ipſos quoque Fratres in ſpitualibus debet in Capitulo informare, ad omne bonum ſanctis exhortationibus animare, magis in dulcedine ſpiritus, quàm per potentiam pertractare. Curandum eſt ei multum de pace Conventus conſeruanda prout fieri poteſt: nec facilè deuiandum eſt ei à concordia ipſius, vel voluntate; vel conſilio, vel petitione. Debet quoque ab ipſo aſſignatos habere Fratres, qui audiant computationem, & ſtatum Domus ſciant, e de quorum conſilio in ædificijs procedatur. Diſpenſationes verò in ieiunijs, in abſtinentijs cum toto Conventu, nunquam ſunt faciendæ, etſi perſonis aliquibus ſit interdùm meritò indulgendum. Debita magna contrahere, vel emptiones vel venditiones magnas, vel alia magna facere non debet, ſine conſenſu Conventus, vel conſiliariorum: qui ex parte Conventus ad hoc fuerint aſſignati, & quibus ſuper his fuerit commiſſa poteſtas. Cùm autem accedit ad Capitulum, vel aliàs longè; debet ſemper Vicarium relinquere, ſive Suppriorem, ſiue alium vtilem, & idoneum pro Religione: & prout fieri poteſt acceptum communitati Fratrum. Debet autem ei poteſtatem taxare, & in ijs quæ videntur utilia inſtruere diligenter. Item cùm egreditur è civitate, ſem-

ſemper Suppriori, vel pluribus, cauſam viæ quò vadat ſignificare, & interdum ipſi Conventui, ſi major ratio hoc requirit.

Circa Officiales.

ITem ad officium ejus pertinet Officiales idoneos cum conſilio Fratrum diſcretorum, vel conſtituere, vel abſolvere: ipſos verò conſtitutos in ſuis officijs diligenter informare, & poteſtatem quam eos habere voluerit taxare, & ſi expediens viderit in ſcriptis eiſdem tradere: licentias quoque aliquas generales dare pro loquendo; vel de remanendo ab horis aliquibus, vel alijs quibuſdam, quæ ad exequendum officia ſua neceſſaria reputantur. Non licet autem ei aliqua officia ad manum ſuam tenere, nec de ipſis ſe multum intromittere: ſed potiùs officialium negligentias corrigere, & in eis quæ facienda fuerint, ipſos frequenter ſollicitare, & inſtruere. Fratres verò ipſos perturbantes corripere, reprimere, & pacem eis Fratrum procurare. Cavere etiam ne occaſione officiorum, ea quæ ſunt Ordinis negligant Officiales, aut omittant; niſi quantùm propter officium compelluntur, vel de licentia rationabiliter eis permiſſum fuerit, aut conceſſum.

Circa varietates Fratrum ſuorum.

ITem ipſius eſt cognoſcere tàm interius, quam exterius varias conditiones, & complexiones, & diſpenſationes Fratrum ſuorum, & non eodem modo tractare omnes: & coaptare ſe (quantùm ratio, & Religio permittit) ſingulis, ſecundùm eorum diſpoſitionem; & abſque peccato debet aliorum infirmitates, & defectus tàm morum, quam corporum portare. Aliorum proterviam, & contumaciam humiliare, puſillanimes roborare, deſolatos, & triſtes conſolari, naturaliter impatientes ad horam ſuſtinere: vitioſos debet corrigere, de Societate Fratrum eijcere contagioſos, ferventiores plùs debito, refrenare: periculoſos ſollicitè cuſtodire, ipſoſque ſi contingat interdùm exire, aſſociare caute, iuue-

iuuenes de facili non exponere: maturos, & idoneos ad fructum faciendum, non permittere otio de facili torpere: inutiles ad fructum animarum, circa negotia, & officia domus occupare. Cùm autem tempus extiterit, quòd Fratres ad prædicandum, vel quærendum neceſſaria fuerint diſpergendi; eſt ei de hoc tractandum cum Fratribus ſenioribus, & diſcretis. Summoperè verò illi, qui apti ſunt ad magna, vel officia Prioratuum, vel Lectoratuum, dare opportunitatem ad proficiendum in ſtudio: & ad hoc etiam compellere ipſos cùm fuerint negligentes. Sic agendo in ſimilibus, & diſſimilibus, modò priuatè, modò publicè, modò dure, modo blandè, modò verbis, modò diſciplinis, modò pœnis, modò recreationibus, modò per ſe, modò per alios Fratres diſcretos agendo, modò licentias negando, modò concedendo dare debet ſingulorum, & Ordinis profectibus operam efficacem. In trahendis verò, & recipiendis Nouitijs, tantam debet in Deo habere fiduciam: quòd nunquàm propter onus domus, aut expenſas in veſtibus, ſi pauperes fuerint: repellat aliquos, qui ad Ordinem idonei reputantur. Nec rurſum debet ità eſſe facilis, quòd Ordo oneretur perſonis inutilibus, & veniat in contemptum. Nullum quoque debet licentiare ab Ordine, abſque Magiſtri, vel Prioris Prouincialis licentia ſpeciali.

Circa Fratres aliorum Conuentuum.

ITem Fratribus, & Conuentibus vicinis, debet ſe favorabilem, ſi eo in aliquo indiguerint, exhibere: eis piè in eorum neceſſitatibus, in quibus poterit ſubuenire, bona aliqua procurare. Aduenientes Fratres charitatiuè ſuſcipere, & tractare: & ſecundùm quòd eorum ſtatus requirit plus, vel minùs honorare. Quando verò de alijs Provincijs venerint lætiùs eos videre, & in prouiſione eorum, quibus indiguerint, vt ſunt ſotulares, naulum, vel veſtes interdùm, & huiuſmodi; antequàm cogantur petere, præuenire, & ipſos commodiùs recreare. Cauendum eſt tamen ne curialitatis

cauſa ad hoſpites, Fratres ad hoc ſe extendant, vt in hoſpitio nimis ſine neceſſitate rationabili detineantur: vel quòd ibidem diſſolutiones fiant, vel quæ ſunt Religionis diſſipentur: quin potiùs ad Capitulum euocandi ſunt, & corrigendi charitatiuè, & ad ea ſeruanda, quæ ſunt Ordinis inducendi; & ſi neceſſe fuerit, compellendi.

Circa Extraneos.

ITem laborandum eſt ipſi, ad amicos Ordini conſeruandos, & multiplicandos, & habendam gratiam Prælatorum, Magnatum, Sacerdotum, Cleri, & Nobilium, & ſi fieri poteſt, omnium aliorum. Proinde debet omnes affabiliter recipere, eos etiam in ſuis negotiis honeſtis libenter per Fratres, & per ſe iuuare illorum aliquos magis interdùm viſitare, ad hoſpitalitatem aliquos magis familiares recipere, & inuitare: & Fratribus eis notis aliquas licentias ſuper hoc cùm expedierit dare. In hoc tamen cauendum eſt, ne ſuperfluitates aliquæ, quæ paupertatem noſtram non deceant, pro eis fiant: & ne ad tantam recipiantur familiaritatem, quòd infirma noſtra videntes minùs appretient, quòd antè in reuerentia habebant. Prouidendum eſt ei cum diſcretione, qui inducantur in hoſpitium, & qui in refectorium, & quòd quando comedunt in hoſpitio pauci Fratres, aut interdùm nulli, cum eis comedant: cùm autem in refectorio, deputandi ſunt Fratres, qui eos aſſocient intrando, & exeundo, & eos collocent in ſuis locis. Hoc prouiſo, quòd in menſa Prioris non ponantur paſſim perſonæ minores, nec mutetur ordo deferendi ſcutellas, niſi pro magnis perſonis, ſicut ſunt Epiſcopi, Comites, & maiores his: & nihilominùs vltima ſcutella feratur tunc Priori, & pro huiuſmodi perſonis, & non minoribus, in refectorio remaneat ad gratias. Alii verò in Eccleſiam ſequantur Fratres, vel alij Fratres ducant eos ad capitulum, vel ad locutorium: & ibi redditis gratijs, ducantur ad lotionem manuum in lauatorio. Maioribus verò, qui remanent in refectorio, mini-

niſtretur ibi aqua ad lotionem prædictam poſt gratias, & poſteà ſecundùm morem patriæ, tam hi, quam alij prædicti ducendi ſunt ad hoſpitium, ad bibendum, vel ad capitulum ad loquendum: & quocunque ducentur habenda ſunt cum eis verba ſancta, & ædificatoria. Inſtruendi ſunt quoque ab eo ſeruientes, & Fratres, ad quos ſupradicta pertinebunt, circa prædicta, & alia facienda: & prouidendum eſt, quod tales ſeruitores tunc ponantur, qui omnia expedite faciant, & decenter. Cauendum eſt autem ne in menſa Prioris collocentur niſi perſonæ dignæ reuerentiæ: nec etiam omnes hujuſmodi immediate juxtà eum collocentur, niſi magna reuerentia hoc exquirat: quod etiam ſtrictiùs ſeruandum eſt circa Priorem Provincialem, & Magiſtrum, cum in illa menſa fuerint. Non debet autem cedere Magiſter loco ſuo, qui eſt ante campanam, niſi pro Rege, vel Cardinali, vel Legato, vel Epiſcopo, vel Electo. Pro Abbatibus vero, & Maioribus, vt ſunt Cluniacenſes, Ciſtercienſes, & ſimiles: Archidiaconis, & Decanis, Magiſter poteſt aliquantulum cedere, ita quod campana ſit inter vtrumque. Priores vero Prouinciales, vel Conuentuales pro minoribus cauſis poſſunt cedere, primo, vel ſecundo modo: ita tamen, quod non ſine rationabili, & decenti cauſa.

Circa fructum animarum.

ITem ad officium eius pertinet ſcire clare, & plene, & cum neſcit diligenter certificari ab alijs, cujuſmodi poteſtatem habeat Ordo in confeſſionibus audiendis, in prædicationibus, in diſpenſationibus, & in abſolutionibus circa Fratres, & alijs multis. Scire etiam cujuſmodi poteſtatem habeat ipſe ab Epiſcopo ſuo, vel Epiſcopis vicinis, circa confeſſiones, & abſolutiones tam pro ſe, quam pro alijs Fratribus: & quid in huiuſmodi poteſt committere Fratribus, & quid non. Et cauere debet ne vltra poteſtatem, quæ habetur, fiat aliquid à quocumque. Procurandum etiam eſt ipſi, quid, & quantum, & quibus expediat in huiuſmodi

committere Fratribus. Ipſos vero, qui noui ſunt Sacerdotes, vel etiam antiqui minùs inſtructi circa iſta, inſtrui diligenter, ne circa ſalutem animarum oberrent. Et licet quantùm rationabiliter fieri poteſt ſit ei zelandum pro animarum ſalute, tamen magis expedit pro Ordine, & Fratribus: quod minor potiùs fiat fructus, quam cum fructu multo fiant Fratres occaſio periculi, vel ſcandali; dum minùs idonei laxantur indiſcrete ad prædicandum, ad conſilia danda, & ad confeſſiones audiendas, & ſimilia.

Circa temporalia.

IN procurandis quoque temporalibus, ſiue per ſe, ſive per Fratres, cauendum eſt ei quantum fieri poteſt, ne grauentur homines notabiliter, & ne fiant quæſtus inhoneſti. Cogitandum quoque eſt ei, quod huiuſmodi ſic acquiſita, cum timore Dei, & parcitate congrua expendantur: ne propter negligentiam cuſtodiendi depereant, vel prodige conſumantur. In ædificijs vero nulla curioſitas, ſed ſola Fratrum commoditas eſt attendenda qualiſcumque, & Religionis opportunitas eſt ei quærenda. Et quia Fratres laici propter Fratrum, & Religionis ſeruitia corporalia conceſſi ſunt in Ordine, non ſunt recipiendi, nec procurandi, niſi quibus neceſſario indigent Fratres. Et attendendum eſt ei, quod qui erunt in domo, omnes vtiliter occupentur.

Circa familiam.

FAmilia quoque nonniſi neceſſaria, & de cuius honeſtate, & fidelitate firma præſumptio habeatur, nullatenus eſt habenda. Circa quam prouidendum eſt etiam, ut ipſi habeant Fratrem inſtructorem, & correctorem, ut per eius diligentiam apud Fratres proficiant in his, quæ pertinent ad ſalutem animarum ſuarum. Prouideatur autem, quod non ſit notabilis in laſcivia, vel ætate, vel pulchritudine, vel ornatu. Cum autem recipiuntur, fiat eis pro-

proteſtatio, quòd Fratres nolunt eis tenere in aliquo, quin Fratres poſſint eos quandocumque voluerint, etiam ſine mercede licentiare, vel expellere: ſi ſibi à mortalibus peccatis non cauerent, vel bona domus diſtraherent, quamdiù eſſent cum eis. Prouidendum eſt tamen ipſi, quòd illi, qui laudabiliter Fratribus ſeruiunt, non fraudentur iuſtà retributione: etiamſi Fratres ex pacto eis non teneantur; & quando incurrent infirmitates, vel impotentiam in ſervitio Fratrum, non expellantur, ſed charitativè cum illis agatur.

Cap.IV. De Officio Supprioris.

Circa Priores, & Maiores.

OFficium Supprioris eſt, cùm inſtitutus fuit quærere diligenter à Priore, & retinere memoriter, cuiuſmodi poteſtatem vult eum habere, ſiue in præſentia, ſiue in abſentia ſua, & non vltrà ſe extendere. Aliquando etiam eadem, quæ dicta ſunt de officio Prioris inſpicere, & notare quid ſibi conuenire poſſit, ſiue ratione officij Supprioratus, ſiue ratione Vicariæ, cùm Vicarius Prioris relinquitur, & illa cùm illis, quæ Conſtitutiones ſibi concedunt facere ſollicitè. Item ipſius eſt conſeruare memoritèr mandata, & ordinationes Prioris Conuentualis, Viſitatoris, Prioris Prouincialis, Capitulorum Generalium, & Prouincialium: & dare operam, quòd à Fratribus plenariè compleantur. Item ipſius eſt Priorem fideliter adiuuare: quæruloſorum, & turbantium alios, non ſe receptorem exhibere: & de his, quorum curam ei iniunxit Prior, ut hoſpitum, vel infirmorum, & huiuſmodi, ſollicitè ſeruare, vel curare. Ad ipſum etiam pertinet pacem Prioris erga Conuentum, quantùm poteſt, procurare: & in factis eius, quæ turbant aliquos, quantùm conſcientia permittit, ipſum apud alios excuſare: pro his quoque, quæ vtilia ſunt Conuentui, ſiue corporalia, ſiue ſpiritualia, apud ipſum intercedere; & grauamina ſi quæ facit, ei-

dem ipſi charitative oſtendere , & quandocumque occurrerit occaſio inter Priorem , & Conventum , fidelis mediator eſſe . Ideo enim Supprior eſt , & ſuper alios , vt ſit mediator eorum . Ipſi etiam Priori debet maiora quando emergunt reſeruare , & quæ corrigere non valet ei denunciare , & de his , quæ agenda ſunt , vel corrigenda frequenter cum eo tractare . Item notabilia , quæ emerſerint in abſentia Prioris , debet eidem cum venerit referre , licet fuerint correcta , & circa ea , quæ fuerint facienda ab ipſo , cum fuerit oblitus , vel negligens , aut occupatus alijs , ipſum debet ſollicitare . Item ipſius intereſt ſpecialiter Viſitatori , & Prouinciali ſtatum Domus , & Fratrum , & Prioris enarrare fideliter : & ſuper his ſcribere Priori , vel Capitulo Prouinciali , vel Generali interdum , cùm maior neceſſitas hoc requirit .

Circa Conuentum .

ITem ipſius officium eſt de Conventu magnam , & ſpecialem curam habere , & quaſi continue cum ipſo eſſe , Cum autem propter proceſſionem , vel funus , vel alios caſus emergentes fuerit conuocandus Conuentus , debet de convocando ipſo , & de ducendo , & reducendo diligentem curam habere . Prouidere etiam debet , quod non nimis citò , vel nimis tarde , ſed debito modo ſurgat ; quod ſigna , quæ ipſum conuocant , debito modo fiant : quod nunquam inutiliter moretur aliquid expectando : quod hora debita comedat , & intret dormitorium , quod nunquam ſine rationabili cauſa extraordinarie congregetur , & omnia fiant decenter , & ornate . Cùm autem in abſentia Prioris tractatur de Priore in Conventu , vel de aliquo ; ſive tempore quo tractatur de mittendo ad Capitulum , ſiue alio ; debet ipſum regere , & inordinationes , & inſolentias , ſi quæ emerſerint , cohibere . Si autem aliqua ordinantur , quæ Priorem , & alios , qui non adſunt non expediat ſcire , poteſt imponere, quod illud non reueletur . Hebdomadam etiam ſuam , vbi non eſt multitudo Fratrum nimia , debet in Conuentu , ſuo tem-

tempore facere, & in Conuentu vbique in ſiniſtro Choro, primum locum habere: & in abſentia maiorum ſigna facere in Choro, & in fine Horarum, *Fidelium* dicere; & in abſentia Prioris, quæ dicta ſunt ſupra de Priore, ſupplere pro eo. Item debet habere curam, quod ſigillum Conuentus cuſtodiatur: & quod nihil ſigilletur cum illo, niſi negotia Conuentus.

Circa Religionem.

ITem ad ipſum pertinet, quòd Religio in Domo plenè ſeruetur, & diſtrictè. Et ideò curare debet, & apud Priorem laborare, quòd habeantur in Domo bene correcta, & benè legibilia, Regula, Conſtitutiones, literæ Magiſtri, Acta Capitulorum, & præcipuè admonitiones: & quod totum officium Eccleſiæ diligenter ſeruetur. Vt autem per obliuionem non negligantur, debet ordinare communicato conſilio Prioris, ſi præſens fuerit, quod interdum cum plures Fratres interſunt, legantur Conſtitutiones, & litteræ prædictæ: aliæque Rubricæ dè officiis, quorum notitia frequentiùs indigent Fratres. Debet etiam laborare, quod habeantur in domo, vitæ Patrum, & liber Collationum, & huiuſmodi libri, ex quorum lectione proficiunt Fratres in Religione; & præcipuè iuuenes ſollicitare, quod in huiuſmodi partem ſtudii ponant: & ordinare, quod in Refectorio in ſerò legantur: Item ipſius eſt aduertere defectus, & offenſas, quas faciunt Fratres in quocunque officio in Conuentu, vel qui aliquid de Religione omittunt, vel in aliquo reprehenſibiliter gerunt ſe: & ipſos quandoque extra Capitulum, quandoque in Capitulo accuſare, & corrigere. Item ſi dubietas de aliquo pertinente ad officium, vel Religionem inter Fratres oriatur, certitudinem debet habere à maioribus: & quod diffinitum fuerit, facere obſeruare. Manifeſtos quoque errores, & inordinatos, qui fiunt publicè in Conuentu ſtatim corrigere, maximè in abſentia maiorum.

Circa Vacationem Prioratus.

ITem ipſius intereſt, vacante Prioratu, ad tractandum de Priore creando conuocare Conuentum, & cum conſilio Fratrum diem ad electionem Prioris aſſignare: abſentes vocandos vocare, ac dare operam, quòd bonus Prior eligatur. Ad Priorem Prouincialem mittere gartiones pro huiuſmodi negotio, vel alios, cum neceſſe fuerit, & à miſſione Fratrum quantum commode fieri poteſt, abſtinere. Item ad eum pertinet apponere curam, quòd Prior citò habeatur, & interim Conuentum in bono ſtatu cuſtodiat: quòd pauca immutet, quòd nihil magnum interim attentet, niſi fortè magna neceſſitas, vel euidens vtilitas hoc expoſcat; & conſilium magnum concurrat. Debet quoque Priorem cum aliunde venerit, vel ſtatum Domus, vel Fratrum ignorauerit, ſollicitè in huiuſmodi inſtruere, prout viderit expedire. Ipſique prout poterit, ſolatio eſſe, onera ipſius, circa primordia maximè, fideliter ferendo.

Cap. V. De Officio Magiſtri Nouitiorum.

Circa ſeipſum.

OFficium Magiſtri Nouitiorum eſt in primis inquirere à Priore, quam poteſtatem velit eum habere ſuper Nouitios in confeſſione, & dandis licentijs de loquendo, & huiuſmodi: & in prouidendo eis in neceſſitatibus, quoad veſtes, quoad ieiunia, & alijs huiuſmodi. Item quas licentia Generales vult ei dare ratione officij quoad perſonam ſuam, ſiue de loquendo cum omnibus, ſiue cum ſolis Nouitijs: vel de intrando officinas, vel de remanendo ab horis interdum, & cauere ne licentias petat, vel recipiat, niſi quas rationabiliter reputat ſibi neceſſarias propter officium ſuum, & quod ipſis ad aliud non abutatur. Item diligentiam magnam

gnam apponere debet circa Nouitios, ſciens quòd tota ſpes eorum Religionis, dependet ex informatione eorum primitiua. Se quoque eis ita amabilem debet reddere, quod ſit eis ex hoc occaſio libentiùs in Ordine remanendi. Item reſpicienda ſunt ab eo diligenter ea, quæ habentur in Conſtitutionibus ad eum ſpectantia, & complenda.

Circa ingreſſum Nouitiorum.

ITem cùm aliquis debet ingredi, ducendus eſt ab eo in aliquem locum extra capitulum idoneum antequam intret capitulum; & ibidem debet dicere aliqua verba ei conſolatoria, & inquirere de his, quæ in capitulo publicè ſunt inquirenda. Et ſi inuenerint in eo aliquid de impedimentis, debet hoc notificare illi, qui habet eum recipere, antequam ulterius procedatur: & fiat tunc, quòd ei videbitur faciendum. Si verò nihil talium inuenerit, nihilominùs debet ei dicere, quòd hæc inquirentur ab eo in capitulo, & quomodò debeat reſpondere. Item ibidem debet eum inſtruere, quomodò ſit venia facienda in capitulo, denidè in choro, & ſi viderit expedire ei, ipſe Magiſter faciat, vel ab alio Fratre faciat fieri coram illo, ut melius ſic addiſcat. Item debet eum inſtruere quid debeat facere, vel reſpondere in capitulo, ad ea, quæ dicentur ei, ſecundum quod ſcriptum eſt in Conſtitutionibus: & quid poſtmodum ſit ei faciendum in choro cùm illuc ducetur. Item debet eum docere quomodo in capitulo remouebit veſtes ſeculares uſque ad tunicam, & prouidere, quod omnia pertinentia ad veſtes ſint parata in capitulo, antequam eum inducat: Poſtea debet eum introducere, & vſque ad locum veniæ ducere, & ibidem propè eum ſtare: & dirigere, ſi neceſſe fuerit in agendis, & iuuare ad ipſum veſtiendum. Et egrediente Conuentu ipſum ducere in fine, uſque ad locum veniæ antè Altare, & ibidem interim propè eum ſtare, quouſque finitis Orationibus fuerit erigendus ab ipſo. Quo erecto ducendus eſt ab ipſo, extracto aliquantulum caputio ad receptorem, & aquâ benedictâ aſperſus, ad oſculum recipien-

piendus, & ab omnibus Fratribus, per choros diſcurrendo: & primò per dextrum, deindè per ſiniſtrum, ipſo Magiſtro cum ſemper ſociante, & in omnibus eum dirigente. Deindè ad locum tonſionum immediatè eſt ducendus ab ipſo: prouiſo primò, quòd in hoc nullus ſit defectus. Facta autem tonſura, & raſura, poſtmodum citò hora competenti ducendus eſt ad locum, in quo deponat omnes veſtes ſeculares, & ſotulares; ut ſolum ea, quæ ſunt Religionis, deindè habeat. In remotione ſecularium veſtium, & indutione regularium, curialiter eſt inſtruendus.

Circa Profeſſionem.

POrrò vt ſciatur quando ſit completus annus probationis, ſcribenda eſt ab ipſo dies receptionis: & appropinquante termino anni, animandus eſt ab ipſo ad profitendum, ſi viderit eum vtilem pro Ordine, aliter non. Et cùm petierit recipi ad profeſſionem, antè diem profeſſionis petitionem eius in capitulo proponere debet, & de eo cùm requiſitus fuerit, ſiue pro eo, ſiue contra eum, fidele teſtimonium perhibere: ità tamen quòd per teſtimonium, vel conſilium ſuum nulla mala ſuſpicio poſſit in cordibus Fratrum de ipſo generari: de aliquibus illorum malorum, ſi quæ ſunt; quæ ipſe per confeſſionem nouit, & aliter, & ab alijs neſciuntur. Sanè cum recipiendus fuerit Nouitius ad profeſſionem, aſſignanda eſt dies profeſſionis, & antè illam inſtruere eum in omnibus, quæ ei tunc fuerit agenda: videlicet qualiter venia ſit facienda, & ad verbum dicentis: *Quid petis?* reſpondendum eſt: *Miſericordiam Dei, & veſtram*. Et cùm erectus fuerit, & propoſitum ei fuerit de voluntate profitendi, quid reſpondendum? quomodò verba profeſſionis ſunt ei cordetenus retinenda, & quomodò flexis genibus inter manus recipientis ſunt dicenda: & quomodò antequam dicat illa, ſi vult petat quòd mutet ei in profeſſione alia vota, ſi quæ alia habeat. Deindè quomodò ſolus ille, qui recipit ad profeſſionem, poſt illum receptum, recepit eum ad oſculum pacis. Ad ipſum etiam pertinet prouidere,

uidere, quòd aqua benedicta, & liber, in quo eſt oratio benedictionis veſtium, ſint in promptu, & benedicendam veſtem offerre benedicenti: & deindè profeſſo tradere (quòd non ſolet fieri niſi de ſcapulari) poſtmodum autem debet mittere profeſſum ad locum ſuum. Si autem viderit expedire, debet ſuggerere Priori, quòd adhùc ad maiorem humilitatem, & informationem, ſit cum alijs Nouitijs in capitulo eorum, & ſub cura ſua ad tempus: ſecundùm quod vtilitas illius, & Ordinis requirit.

Circa repulſam.

ITem ipſius intereſt, cum aliquis minùs benè ſe habet in probatione, circa tempus profeſſionis conſulere, quòd adhùc ſtet in probatione, niſi omnino ſit certum, quòd nullatenùs expediat, quòd recipiatur, & hoc ad videndum ſi melius ſe habebit; cum proteſtatione tamen, quòd adhùc tanquam Nouitius, & ſolùm ad probationem retinetur. Si ergò benè ſe poſteà habuerit, debet ipſi poſtmodùm adiutorium præſtare, quòd ad profeſſionem recipiatur. Si autem non fuerit ſpes in proceſſu temporis, quòd benè ſe habeat, procurandum eſt ei tam apud Nouitium, quàm apud Fratres, quòd recedat: & dandum eſt ei conſilium, & auxilium, quòd in aliqua Religione ſibi magis competenti ponatur. Non autem debet eſſe facilis ad repellendum, niſi magnæ cauſæ concurrant: & Fratribus minùs rationabiliter motis ad repellendum eum, prout meliùs poteſt, bono modo contrarium perſuadere, & pro Nouitio ſtare. Nunquàm autem repellendus videtur inuitus Nouitius pro illiteratura, vel impotentia aliqua, vel deformitate corporali, & huiuſmodi defectibus, qui ab initio noti fuerunt Fratribus: nec propter infirmitatem ſuperuenientem, niſi à principio receptioni facta fuiſſet proteſtatio expreſſa, quòd pro huiuſmodi caſibus, vel pro ſola voluntate, poſſent eum Fratres repellere ſi vellent. Cum autem recedere debebit, prouidendum eſt ſollicitè ipſi Magiſtro, quòd tam vrbanè, & cautè, & occultè, & cum omnibus bonis ſuis, quæ portare uoluerit recedat; quòd alijs non

non ſit ſcandalum, nec ipſe ſcandalizatus recedat, ſed potiùs quantùm fieri poterit ædificatus, & cum amore Ordinis, & Fratrum.

Circa Scholam, & Capitulum.

ITem ad eum pertinet laborare, quòd aliquis locus ſequeſtratus, & remotus ab acceſſu ſecularium, & idoneus habeatur, qui ſit quaſi ſchola Nouitiorum, ad quem ducendi ſunt, cum ipſe, vel alius Frater habuerit loqui cum eis de eorum neceſſitatibus, & de quocumque alio. In hoc loco inſtruendi ſunt in cantu, & legendo quæ neſciunt, addiſcere poſſunt. In hoc repetendum eſt ab eis quidquid habent legere, vel cantare in Conuentu: & auſcultandum, & reddendum cordetenus illud, quod de Pſalterio, & diuino Officio cordetenus ſcire oportet; videlicet Officium Mortuorum, & de Beata Virgine, Pſalmi de Horis diurnis, & Veſperarum per ferias. In hoc faciendæ ſunt eis admonitiones interdùm, vel collationes, vel collocutiones ædificatoriæ ab ipſo, vel Fratribus ad hæc gratioſis: ipſo procurante familiares collocutiones, & conſolationes. Cauendum tamen eſt ei, ne Fratres quicumque adiungant ſe eis ſua voluntate, niſi de ſua licentia, & quibus viderit expedire. In hoc etiam loco docendi ſunt de Regula, de Conſtitutionibus, de Officio, & alijs, quæ in docendo locutionem requirunt. In hoc etiam loco (ſi alius aptior non habetur) tenendum eſt eis capitulum: in quo cauendum eſt, quod Nouitius per multos dies non accuſet ſe, nec accuſetur, quouſque multoties viderit quomodò alij ſe accuſant, vel accuſantur: nec moleſtandi ſunt in aliquo pro culpis, quas in primis incurrunt. Si verò non fuerit niſi vnus Nouitius, vel duo, mittendi ſunt aliqui de iuuenibus profeſſis ad capitulum eorum, qui ſe accuſando multis diebus, exemplo ſuo eos doceant, quomodò ſunt huiuſmodi facienda. Cauendum eſt autem ipſi Magiſtro ne in capitulo eorum aliquid fiat, quòd alicui verecundiam inducat: & quòd modus capitu-

li

tuli ſcriptus in Conſtitutionibus bene ſeruetur; quod magis informationi eorum intendat, quam punitioni culparum. Sunt etiam inſtruendi, quod ad locum capituli ſui conueniant, cùm in capitulo Fratrum dicitur: *Exeant Nouitij*, ſi tunc debet eis capitulum teneri, vel alio tempore cum teneri debet: & quomodo finìto capitulo recipiant diſciplinas, qui recipere debent. Et poſteà, vel alio certo tempore, & loco aſſignato ab eo, loqui de confeſſione. Cùm autem tanta fuerit multitudo Nouitiorum, quod Magiſter non poteſt plene ſufficere omnibus, poteſt aliquibus magis novis, aliquos magis inſtructos aſſignare: qui circa eos curam habeant de aliquibus, proùt eis videbitur expedire. Non tamen debet ita alijs imponere onus, quin ipſe nihilominus ſit frequenter cum eis, & eis quantum poterit intendat.

Circa neceſſitates.

ITem ipſis Nouitiis ſemper pie compatiens debet cogitare, quod competenter ſecundùm quod Ordo, & facultates permittunt, habeant neceſſitates in victu, in veſtitu, in lecto, in infirmitatibus, & in huiuſmodi: & diſpenſare quandoque cum neceſſitas fuerit in vigilijs, & facile in ieiuniis Ordinis. Cauere etiam debet ne ſingularitatibus aliquibus in abſtinentijs, vel vigilijs, vel alijs afflictionibus indiſcretis, conterant corpus ſuum. Porrò circa paupertatem, & neceſſitates, quas interdum ſecundum Ordinem oportet ſuſtinere, ſic debet eos animare, & ab omni ſuperflua recreatione retrahere, vt à principio quantum fieri poteſt aſperis aſſueti ſemper Ordinem tolerabilius ferant: & declinare, proùt commode poteſt, vt cauſa recreationis ad commune hoſpitium, vel minutionem, vel infirmitorium (ubi interdum fiunt diſſolutiones maiores) ſed alio ducantur. Et cum oportebit ducere illuc, habeatur cura ab ipſo, vel ab alio, quod tarde veniant, & cito recedant; & Fratres cauti reddantur, quod coram eis diſſolutiones non fiant. Ipſos quo-

quoque debet Nouitios confortare, quod in quibuſcumque aliquo indiguerint, ad eum ſicut ad matrem recurrant. Et debet eos docere, vbi ſit lectus; vel cella ſua; ut ſi die, vel nocte ipſo indiguerint, ſciant, vbi poterunt eum inuenire, & illuc ad eum recurrant. Debet etiam, & docere eos, quomodo in neceſſitate in loco ſilentij per vnam dictionem, vel imperfecte loqui poſſunt: & quomodo in huiuſmodi locis digito ori ſuperpoſito ſciant petere licentiam loquendi.

Quo ad membra ſua.

ITem ipſius officium eſt informare diligenter, & ſollicitè Nouitios circa hominem exteriorem, & interiorem. Circa exteriorem, quo ad membra ſua, vt manibus caueant ab omni tactu indecenti, & ab iniurioſo: pedibus à vagis, & incertis diſcurſibus, & ne intrent loca prohibita. Cùm ſederint ne coxas nimis diſiunctas teneant, vel vnam tibiam ſuper aliam ponant; cum maturitate incedant, nec ſe moueant de facili ad eundum ſine cauſa præmeditata. Cùm autem ſteterint, non ſicut arundo mobilis, ſed potiùs appareant ſicut fixi ſuper gradum ſuum. Oculis quoque caveant ab intuitu rei, quam non licet concupiſcere, a vagatione, ab hauſtu vanitatis, & aſpectu turpi, & curioſo. Linguam aſſueſcant refrenare, licet inuitam, & libentiùs audiant quam loquantur. Cum autem loquendum fuerit, pauca ſint verba, & priùs ad limam quam ad linguam veniant. Omnibus autem cum reverentia loquantur: per pluralem dicendo potius *vos*, quam per ſingularem *tu*: nunquam de Fratre, vel Fratribus loquendo vocent eum ſine additione huius nominis *Frater*, nec nomen novum imponant Fratri, vel impoſitum recitent vllo modo, nec aliquid cum juramento quantumcumque levi, more ſecularium proferant. Cùm autem maioribus loquuntur, ſemper caputium extrahant: vultum non triſtem habeant, ſed iucundum moderate. Os ad cachinnos, vel ad riſus diſſolutos pronum non habeant, licet ad riſus mediocres ipſum interdum aperiri ſit tolerabile. Cervicem, & col-
lum

lum erectum non habeant, ſed potiùs mediocriter inclinatum. Iram, vel impatientiam in vultu, vel actu aliquo non oſtendant: Supercilia non erecta, ſed potiùs depreſſa habeant. Aures, non ad rumores ſeculares, & otioſa, ſed ad ea, quæ Dei ſunt, & ſalutaria faciles: & veloces habeant. Nares ad fœtores aliquos ſi occurrant, non ſicut delicati cum ſcandalo intuentium nimis notabiliter obturent; ſed pro odoribus, in quibus malè delectati fuerant in ſeculo, iſta in pœnitentia patienter ferant. Quòd in faciendo venias non proſternant ſe ſuper ventrem, ſed ſuper latus, & in longum, tibiam vnam ſuper aliam tibiam tenendo. In proſtationibus verò ſuper cubitos ſe appodient iunctis manibus ſtando. In inclinationibus verò uſque circa genua caput deponant. In genuflexionibus, ſtent ſuper genua capite eleuato,

Quo ad veſtes.

ITem quo ad veſtes informandi ſunt, ut eas diligenter ſecundùm modum Religioſum, non laſciuum ſibi coaptent, in omni loco, & tempore: prouidentes, quod inferiores tunicæ non appareant ultrà ſuperiore, & quòd tunicæ non nimis ſint ſuccinctæ, aut breuiatæ notabiliter; & maximè cùm tranſeunt per villas. Quòd cappa, vel caputium non ſint ultrà formam Conſtitutionum longa: in Conuentu, & in quocunque loco, caputium non nimis ſuper oculos habeant: quod ad cameras è contrario vadant, & ſtent capite cooperto. Quòd in cameris ſedendo veſtes circa ſe non nimis eleuent: ſed potiùs ſe ipſos honeſtè cooperiant. Quod in diſcalceando, & calceando ſe ſotularibus, aut caligis, tibias non nimis eleuent. Quòd vbicunque ſedeant, caueant ne veſtes eleventur. Quòd cùm tunicas deponunt, retento caputio per aperturam tunicam ſuperiorem, vel inferiorem ſi voluerint deponat. Et quòd cùm intrant lectum, aut ſurgunt, vel ad miniſtrandum in Altari ſe parant, nunquam, ſine caputio in capite apparent. Quod in Conuentuali loco diſcalceati, vel in caligis, vel ſoccis, ſine ſotularibus nunquam

quam vadant. Quòd ſedendo, vel inclinando, cappam ſuper genua complicent, vel caputium, cùm fuerint ſine cappa. Quòd in loco Conventuali, nunquam deferant ad modum mantelli cappam. Quòd in raſura, & lotione capitis, caputium inuerſatum retineant, & in lotione pedum nunquam vltrà genua ſe diſcooperiant. Quòd ad primam tunicam cíngulum, & cordam pro bracali habeant. Quòd ad diſciplinas ſe parando, cincti corrigia retenta, & cappa, & caputio, vel caputio ſolo pro tempore, ſuperiores partes tunicarum cadere primò permittant, & poſtea cappam, vel caputium ſuper caput replicent. Quòd cappellum nunquam ſine neceſſitate ferre aſſueſcant, & quando ferunt vile ſit: & quòd nunquam in loco Conuentuali extra caputium appareant. Quò prouideant ne pelliceum per collum, vel alias appareat vnquam. Quòd ad extraneos cum bottis magnis nunquam vadant, & de die ſine neceſſitate nunquam ferant: quòd cùm jacent, caputium, vel in capite retineant, vel de ipſo caput cooperiant, & quòd ſic ſemper ſe cooperiant, quòd aliquid indecens in eis videri nunquam contingat. Quòd lectum poſtquam ſurrexerit decenter cooperiant, & quòd ſubtus, vel circa, nihil appareat, quòd videri, vel non deceat, vel non expediat. Quòd lectiſternia, & veſtes munde cuſtodiant; & non ſub lecto, ſed in loco honeſto alio replicata reponant, & interdùm excutiant, & tempore ſuo ad lauandum tradant, & de modo excutiendi doceantur. Quòd cum ſeruiunt in Refectorio, vel Hoſpitio, cappam deponant. Cùm autem in lauandis pedibus, vel capitibus occupantur, honeſtè ſe ſuccingant, caputij prima parte cum corrigia ligata. Quòd ad lectum, vel cellam alterius, ſine cauſa valdè neceſſaria non accedant. Quòd veſtes, vel ſotulares (cum alij indigent) habita licentia libenter concedant. Quòd abiectas, & humiles veſtes cariùs complectantur. Quòd quando novæ dantur, veteres ſemper reddant, & quæ ſunt vltrà numerum in Conſtitutionibus expreſſum.

Circa

Circa loca, & primo de Choro.

ITem ad officium eius pertinet inſtruere eos, circa loca, quæ eis licet intrare ſine licentia, quæ non; & quando fiunt ſigna, ad quæ loca debent conueniri ſecundùm varietatem ſignorum, ſiue ad Eccleſiam, ſiue ad Capitulum, ſiue ad ſcholam, ſiue ad Refectorium, ſiue ad collationem, ſiue ad repetitionem officii, ſiue ad infirmitorium cùm infirmi fuerint, & huiuſmodi. Item quòd nunquam ſe ingerant inter Fratres colloquentes, niſi vocati fuerint, aut adducti: Quod in omni loco vbi Conuentus fuerit congregatus, religioſiùs, & maturiùs ſe gerant: & in Choro præ cæteris, præcipuè quando miniſtrant ibi in aliquo officio, vel quando fiunt admonitiones, adorationes ſolemnes, ut in die Paraſceue ad adorationem Crucis, vel oblationem, vt in feſto Purificationis cùm cærei offeruntur, & huiuſmodi, & maximè vero tempore communionis; circa quæ, & ſimilia inſtruendi ſunt, quomodo ſe habeant ſecundum formam traditam in Ordinario, cuius Rubricæ ad hæc pertinentes ſuis temporibus ſunt eis exponendæ, & addenda, quæ in illis minus plenè continentur: ſicut eſt, quòd mappam cum duabus manibus urbanè ſub mento applicent, quòd recepta hoſtia terram non oſculentur, ſed ſolùm aliquantulùm caput inclinent, & recedant ad locum, vbi flexis genibus hoſtiam conſumant; qua conſumpta ad calicem cum reuerentia accedant, & alia ad huiuſmodi pertinentia ordinatè faciant, & honeſtè. Docendi ſunt etiam, quos libros, & quibus horis ad Chorum deferant, & vt finitis horis reponant eoſdem decenter: & quomodò de nocte candelas pro abſconſis accendant tempeſtiuè, & ad libros ipſas teneant; cauentes, vt poterunt, ne lumine lædant oculos aliorum, & cum aliis diligenter cantent, & pſallant.

Circa Refectorium.

ITem inſtruendi ſunt circa Refectorum, quomdò lauandæ ſunt manus: ad quod cùm primo debent venire, veſtes replicent, ne eas deturpent, & ubi lotis manibus ſedeant. Quomodò intrantes Refectorium, ante imaginem quæ eſt ante menſam Prioris aliquantulùm inclinent. Quòd in prandio, vel cœna ordinatè intrent, & ſedeant, & exeant ſua loca tenentes. In collatione verò non exigitur iſtud. Quòd collocantes ſe ad ſedendum, non nimis vnum ſuper alium ſe comprimant: ſed tantum ſit ſpatium, quòd competenter in illo valeant excreare. Quòd ſe collocent ante præparatam aliquam portionem. Quòd non nimis citò poſtquam ſederint ad modum ſecularium comedere incipiant, ſed cum maturitate, mappa explicata, & pane inciſo. Quòd panem, vel aliam pictantiam ſuperfluè non ſcindant, vel in fruſtra comminuant, ſed ſolum quantum comedent. Quòd paraturas panis notabiles non faciant. Quòd vinum (niſi temperatum fuerit) temperare aſſueſcant. Quod à deturpatione manicarum, & cappæ, vel mappæ nimia, caueant. Quòd pro modica effuſione vini, vel aquæ, vel alijs huiuſmodi minimis, in fine veniam facere non oportet. Quòd ſingularitates in comeſtione non faciant: ſed comedant, quod apponitur cum gratiarum actione; & ſi aliquod genus ciborum non conſueuerint comedere, aſſueſcant; vt poſſint inconſueta comedere. Quòd ſcutellas, quando comederint quod placebit, ponant in loco apto miniſtris ad tollendum. Quòd oculos vagos ad reſpiciendum quid alij faciant, non habeant. Quòd circa finem menſæ aduertant quando alij finiunt comeſtionem, ita vt eos in protrahendo comeſtionem expectare non faciant. Quòd cum alij replicare mappas cœperint, & ipſi replicent decenter: ſemper reliquias, & panem remouendum anteponant, vel ſeruientibus diſcurrentibus ad tollendum, in caniſtro eorum proijciant decenter. Quòd etiam prædicta, & alia huiuſmodi, quæ ad hone-

honeſtatem pertinent, ſervent etiam alibi vbicumque eos comedere contingat, & magis quando ſeculares contigerit intereſſe. Quod (niſi forte aliquando data fuerit licentia loquendi ab aliquo; qui hoc poſſit,) nihilominus ſervent ſilentium, aut valde parum loquantur.

Circa Locutorium.

ITem inſtruendi ſunt, quod ad locutionem, vel ad locum alium loquendi, facile non vadant, niſi vocati fuerint vel ex aliqua cauſa rationabili, & præmeditata. Tolerabile eſt autem, ut interdum vadant illuc ad horam, propter tollendum faſtidium, vel aliquam recreationem habendam, ſed cum licentia, & ſpeciali ad hoc Socio deputato; qui ad recreationem honeſtam eis faciendam idoneus reputetur. Verùm in huiuſmodi locis non eſt loquendum de facili, niſi ſedendo, & ſine clamore: & nunquam eſt coram Nouitijs diſputandum, vel contenſioſe loquendum; ſed de aliquo vtili quærendum, vel conferendum. Si autem ad ſeculares vocati fuerint, nunquam ſine licentia ſpeciali, & Socio ad hoc deputato, eſt ad eos eundum. Cùm autem ſunt cum eis, debent dare operam, vt eos edificent, religioſe, & mature ſe habendo: vultus hilaritatem prætendendo, de rumoribus non curando, verba ſalutaria inſerendo, eos ſi perverſi fuerint reprehendendo, & mala quæ fecerint deteſtando, & eis de religione, vel pœnitentia potiùs perſuadendo, & periculum ſtatus ſecularis oſtendendo. Non autem eſt immorandum cum eis in quacunque locutione, ſed inventa curialiter aliqua occaſione recedendum eſt feſtine. Item docendi ſunt quod ſemper libentius morentur in clauſtro cum Fratribus, quam extra cum ſecularibus. Item quod libentius in clauſtro morentur in loco ſilentij, vt ſunt cella, oratorium, & huiuſmodi, quam frequentent locutoria. Item quod libentiùs interſint in locis omnibus cum Conventu, quam extra in locis alijs extra Conventum, vt ſunt hoſpitium infirmitorium, & huiuſmodi. Item quod libentius de-

clinent ad loca, ubi ſunt maturi, & religioſi aggregati, quam vbi ſunt diſſoluti, & leves. Item quod libentiùs currant ad loca in quibus audiuntur vtilia, vt ſunt ſcholæ, & locus collationum; quam ad alia in quibus contigit interdum audiri inutilia, vt ſunt hortus, & plateæ curioſorum. Item quod libentiùs veniant ad loca, in quibus in aliqua actione ſalubri occupantur, vt eſt lotio pedum vel veſtium; quam inutiliter diſcurrant per Domum. Item quod plus diligant loca, in quibus exercentur magis vtilia, ſcilicet pertinentia ad Religionem, & virtutem, vt eſt Capitulum, & Oratorium; quam alia in quibus minùs vtilia, & pertinentia ad ſcientiam, vel corporis neceſſitatem, vt ſunt ſcholæ, Infirmitorium, & Refectorium, & huiuſmodi.

Circa tempus.

ITem inſtruendi ſunt circa tempus, quod ipſum non ſolùm quando ſunt in occupationibus Conventualibus, ſed etiam totum reſiduum vtiliter expendant. Et ideo inter duo ſigna poſt dictum Officium de B. Virgine, & quandocumque Conventus congregatur, vel congregatus aliquid expectat, & intrando lectum, & ſurgendo, vel in lecto cum iacentes dormire non poſſunt; vel cum ſpatiando per hortum, vel clauſtrum deambulant ſoli, & huiuſmodi ſimilibus temporibus, debent aliquas orationes dicere, vel aliquid ſalubre meditari. Similiter, tempus quod eſt inter gratiarum actiones, & dormitionem in æſtate poſt prandium, in oratione, vel lectione, vel aliqua actione vtili ſub ſilentio occupent. Item tempus quodcunque conceditur ad loquendum, ſi in hoc recreare moderate voluerint, reddere ſibi vtiles recreationes huiuſmodi ad finem debitum dirigendo: videlicet ut fortiores ex hoc reddantur ad Ordinis actiones, & ſervitium Creatoris, vel in huiuſmodi recreationibus de repetitionibus lectionum, diſputationum, vel ſermonum, vel alijs vtilibus cum alijs pertractando, vel dum his vacant, alijs, vel aliquibus quæ ſibi agenda ſunt, vt ſi habent aliquid facere in

veſtiaria, vel ſimilibus, tunc intendendo. Sunt etiam docendi, quòd in cella nunquam ſint otioſi, ſed legant, aut ſcribant, aut orent, aut meditentur vtilia. Item iuuando, Fratres in quibuſcumque; officijs, vel ſervitijs libenter occupentur. Quòd non de facili, otioſi, diſcurrant. Quòd aliqua mechanica, quæ neſciunt, ut ſunt ſcribere, qui neſciunt, vel ſimilia interdùm addiſcant. Quod ad officium mortuorum extraordinarium libenter remaneant. Quòd in itinere rumores, & otioſa declinent: ſed de aliquo utili quærant, vel conferant cum ſocio, vel cum alij, cum quibus fuerint; ſiue in Domo, ſiue in via, quòd aliquem librum ferant, in quo cùm non meliùs fecerint, & vacaverint, ſemper legant.

Circa ſeruitia.

ITem ipſius eſt inſtruere Nouitios, quomodo ſeruire debent in Miſſis privatis, in miniſterio Altaris, in Conuentu, & incenſando Chorum: in Refectorio, & hujuſmodi, tàm in ſpiritualibus, quàm corporalibus ſeruitijs, diverſis; ſecundùm quòd in Rubricis, & in deſcriptionibus officiorum diuerſorum continetur, & addat, quòd minùs continetur in illis. Sunt etiam animandi, quòd libenter in huiuſmodi ſeruiant, vel ſuppleant vices Fratrum cum fuerint requiſiti, & præcipuè in magis humilibus, ſicut eſt lotio pedum, mundatio Domus, lotio veſtium, ſeruiri infirmis; parare mortuos, & huiuſmodi. Cauendum eſt tamen ei, ne de facili occupentur in ſeruitijs extra Conuentum, propter diſſolutiones, quas faciliùs videre ibidem poſſunt.

Circa reuerentiam.

ITem inſtruendi ſunt, quòd reverenter ſe ſemper habeant, & vbique. Quòd quando tranſeunt antè imaginem aliquam, vel Altare, vel alia ſacra, inclinent, & caputium extrahant aliquantulum. Quöd in Officio Divino dicendo extrà chorum reuerenter ſe gerant, cum maturitate dicendo:

quod dicendum eſt ſollicitè prouidendo, in nullo alio ſe occupando, & humiliter inclinationes, & proſtrationes bono modo faciendo. Quod non ſolùm Prælatis ſuis, immo etiam omnibus honorem exhibeant, & præcipuè ſenibus Sacerdotibus, Prioribus in Ordine, ſanctitate famoſis, & hujuſmodi, prout variæ conditiones requirunt. Fiat autem reuerentia hæc multis modis: ſcilicet cùm tranſeunti aſſurgitur, cùm ante alium non nimis propè tranſitur, cùm ante alium inclinatur, aut genuflectitur; cum ſedenti decenter aſſiſtitur, cùm iuxtà ſedentem ſedere volens aliquantulum à longè ſe collocat, vel ſedere volenti ſedens aſſurgit, vel cedit, vel loqui volens antè alium extrahit caputium, vel in humili ſeruitio miniſtrat, vel alium in via, vel in omni verbo anteponit, vel cùm præire in aliquo cogitur, cum reuerentia hoc facit, & alijs varijs modis, quæ ſecundùm plùs, & minùs ſunt exhibenda diuerſis, & præcipuè Prælatis, non ſolùm Ordinis, ſed etiam Epiſcopis, quibus ſecundum conſuetudinem regionum ſunt interdùm manus oſculandæ, vel genuflexiones faciendæ, ſimiliter Regibus, & Magnatibus.

Circa Confeſſionem:

ITem inſtruere debet eos circa Confeſſionem, quomodò plenè, & benè confiteri ſciant, ſupplendo cùm neſciunt per interrogationem de peccatorum generibus, & circumſtantijs: quod, & de quibus circumſtantijs debeant confiteri. Item quando recordantur, vel aduertunt in ſcripturis aliquod peccatum, quod ante neſciebant, vel quod non ſunt confeſſi, vel aliquod de novo occurrerit in cogitationibus, vel omiſſione alicuius eorum, quæ ſunt de Ordine, & ſimilibus: debent citò venire ad confitendum iſta. Item quando poſſunt ſcribere confeſſionem, ut per ſcriptum meliùs ſciant quando erunt plenè, & benè confeſſi.

Item attendendum eſt ei, quod det eis bona conſilia, quomodò expediantur de reſtitutionibus, de irregularitatibus, de votis, ſi iſtis fuerint irretiti. Item & docendi ſunt,

quod

quod in confeſſione nihil celent, nec de præteritis, nec de emergentibus, nec de tentationibus quibuſcumque, nec de viſionibus, aut viſitationibus ſibi accidentibus, nec de ſingularitatibus, ſi quas ſupra alios facere voluerint: & quod ſuper his, & ſimilibus ſemper credant Magiſtro ſuo, ne fortè aliquo modo decipiantur. Item cum fuerint nimis ſcrupoloſi, quomodo non oporteat eos de aliquibus, vel timere, vel confiteri: cum autem fuerint negligentes circa confeſſionem, quod certo, & aſſignato tempore confiteantur. Item quomodo venientes ad confeſſionem debent facere veniam, & dicere *Mea culpa*: & erecti flexis genibus, inclinato capite, & procumbentes, extracto caputio incipere debent, dicendo: *Confiteor Deo Omnipotenti, & B. Mariæ ſemper Virgini, & B. Dominico P. N., & omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opere, & omiſſione, mea culpa*, vel cauſa brevitatis, ſic dicere: *Mea culpa, ego peccaui in hoc, & in hoc*, & in fine dicere; *Et in multis aliis, mea culpa, precor te orare pro me*; & recepta pœnitentia, & abſolutione, & completa inſtructione, ſi in aliquo Confeſſor eum inſtruere voluerit; ſurgere debet, caputium reponendo vt primo. Item quod nunquam cum conſcientia alicuius peccati mortalis ingrediantur lectum de nocte, vel accedant ad Sacramentum aliquod, vel miniſterium, Miſſæ, ſiue in Conventu, ſiue in privatis Miſſis, niſi prius confiteantur. Item quod non confiteantur, niſi Magiſtro ſuo, vel Priori, ſine licentia ſpeciali. Item quod quando per primam Confeſſionem generalem non eſt eorum conſcientijs ſatisfactum plenè, poſſunt ſecundo, vel pluries Confeſſionem generalem iterare, vt tunc eis pleniùs ſatiſfiat, cum ſciunt melius confiteri.

Circa Orationes.

ITem circa Orationem debet eos inſtruere, quod non ſolùm Pſalmos, vel orationes formatas debent dicere: immò ſecundùm varias neceſſitates modo pro peccato, vel offenſa alit, vel talibus remittendis, vel cavendis, vel

pro talibus defectibus tollendis, vel talibus gratijs, aut virtutibus conferendis, & ſimilibus devotè ſupplicare. Item, quod orationi ad contritionem, vel devotionem incitandam potiùs debent intendere, quam in multis dicendis laborare. Item non ſolùm ſui, ſed etiam parentum; & amicorum, familiarum, & benefactorum, & etiam peccatorum, & infidelium Deum ignorantium, aliorum, qui adhuc longe ſunt à Deo, & per diverſa detinentur peccata, debent memores eſſe. Item tempora otioſa debent in aliqua oratione occupare, & aliquem locum ad hoc idoneum in Eccleſia eligere: vel ante Altaria ſingula diſcurrendo ibidem, ad quodlibet aliquam orationem facere ſpecialem, vel in quocumque loco facere idem. Item, quod in orationibus communibus magis, quam in privatis debent confidere, & illis libentiùs intereſſe: ſive in Horis, ſive in privatis poſt Completorium, poſt Matutinas, & quod ad hæc benè, & devotè dicenda, debent magnam curam adhibere; & quod ante plenam terminationem Horarum, vel gratiarum, à Choro ſine neceſſitate non recedant, nec etiam ipſis terminatis, niſi priùs aliquantulùm orent, vel Deo ſe commendent. Item, quod cum legendo, vel audiendo intelligunt aliqua, in quibus peccaverunt, vel omittendo, vel committendo, vel aliqua bona, quæ eis deſunt: debent in ipſa lectione converti ad orationem, pro malis amovendis, vel bonis adipiſcendis. Item quomodo in perplexitatibus, dubijs, & tentationibus, & difficultatibus, & in principio novarum actionum ad orationem recurrere: & quomodo pro malis quibuſcumque, quæ vident, vel audiunt, tollendis, vel remittendis aſſueſcere ſupplicare, & pro bonis gratias agere, & in omnibus tam proſperis, quam adverſis. ſemper Deum laudare oporteat. Item quomodo laborare debent, vt in his, quæ dicunt orando, cor verſetur; quod ſi non ſemper fecerint, non tamen debent propter hoc deſperare, quin orationes ſint fructuoſæ; nec propter impugnationes, quas acriores interdùm ibi faciunt inimici, debent eis cedere, & orationes

nes dimittere. Item, quod in orando non debent ſe ſuper ventrem, nec ſe totos extendere, vel caput nimis incli-natum tenere: ſed potius ſtando ſuper genua, erecti, vel aliquantulum incuruati orare debent.

Circa Studium.

ITem inſtruendi ſunt ab ipſo circa ſtudium, quod ſecula-ribus ſcientijs neglectis, ſe totos transferant ad diui-nas: & inter alias à principio magis vacent vtilibus, & planis, quam ſubtilioribus, & obſcurioribus; & præcipuè illis, quæ vtiliores ſunt ad informationem, & inflammatio-nem ipſorum, vt ſunt Meditationes B. Bernardi, S. Bona-uenturæ, & Diui Anſelmi: Liber Confeſſionum S. Augu-ſtini: Collationes, & Vitæ Patrum, & dicta eorum, Paſ-ſiones, & Legendæ Sanctorum. Epiſtola ad Fratres de Monte Dei: D. Bernardus de gradibus ſuperbiæ. Item lib. de diligendo Deum. Et Libri Fr. Ludouici Granaten. Item Tractatus de vitijs, & virtutibus, & ſimilia. Item, quod potius intendant pauca ſapere, & memoriæ commen-dare, & circa illa ſe afficere, & ſe informare, quam multa legere. Item quandocumque alia audiunt, vel legunt, conſiderent ſi poſſint ſibi ad aliquid valere, & inde ali-quam ædificationem trahere. Item, quod ſemper liben-ter audiant, & ad docendum non feſtinent. Item, quod quando incipiunt facere collationes, vel ſermones, potiùs ſtudeant circa bonum modum dicendi, & vtilem mate-riam, quàm circa multitudinem verborum: & quod ſem-per multitudinem caueant, ſiue in audiendo lectiones plu-res, & nimias, ſiue in legendo nimis: ſiue in docendo mul-ta in collationibus, & in ſermonibus, & lectionibus, ſi quandoque contingat ipſos Lectores fieri. Item, quod nunquam ſic ſint ardentes circa ſcientiam, quod propter ſtudium negligant ea, quæ ſunt Religionis, vel virtutum, vel charitatis. Item, quod nunquam de libris, & ſcriptis ſuis ſint auari, ſed libenter illa alijs communicent; & quod nunquam confidentiam de ſciendo aliquid ponant in ſcri-

ptis,

ptis, ſed potius ingenium, & memoriam excitent ad ſciendum cordetenus quidquid poſſunt.

Circa Meditationes.

ITem circà Meditationes inſtruendi ſunt, quod tempus interdum expendant: vel cum ſunt in via, vel cum per clauſtrum, vel hortum, vel alibi per Domum quaſi ſpatiando deambulant; vel cum ſunt in orationibus ſecretis, vel in cella, vel in lecto vigilando quieſcunt. Sunt autem Meditationes huiuſmodi habendæ quandoque circà Dei beneficia generalia, vel particularia: quandoque circa peccata ingratitudinis humani generis generalia, vel propria: modo circa opera creationis, modo circa opera Redemptionis, vt eſt Incarnatio, Paſſio, & huiuſmodi; modo circa præmia bonorum, modo circa pœnas malorum: modo circa vindictas iam factas, modo circa miſericordias exhibitas, modo circa creaturas, modo circa ſcripturas, modo circa proprios defectus: modo circa profectus, modo circa fallacias dæmonum, modo circa miniſteria Angelorum, modo circa exempla Sanctorum, modo circa peruerſitates peruerſorum, modo circa ſtatum ſuum interiorem, modo circa exteriorem: modo circa facta recogitando, modo circa facta faciendo, modo circa Dei omnipotentiam, modo circa eius ſcientiam, modo circa bonitatem, modo circa ſeueritatem, modo circa eius miſericordiam, modo circa iuſtitiam, modo circa iudicia manifeſta, modo circa occulta. Sunt autem in huiuſmodi, & ſimilibus, diuerſæ trahendæ affectiones, modo ſpei, modo timoris, modo doloris, modo gemitus de malis, modo ſuſpiria ad bona; modo admirationis, modo exclamationis, modo gratiarum actionis, modo ſupplicationis: modo verecundiæ, modo reuerentiæ, & huiuſmodi, quæ per experientiam meliùs, quam per doctrinam addiſcuntur.

Circa alia exercitia multa.

ITem inſtruendi ſunt, quòd de viſionibus videndis, & miraçulis faciendis non curent, cùm hæc parùm valeant ad ſalutem, & interdùm in his homines illudantur; ſed potiùs curent de virtutum operibus, in quibus ſalus conſiſtit. Item, quòd ſi conſolationes diuinas, quas audiunt alios recipere, non habent, non indè contriſtentur; ſed ſciant hoc interdùm ex cauſa ſubtrahere pium Patrem. Item, quòd ſi compunctionis, vel devotionis gratiam non habent, non ex hoc reputent ſe non eſſe in ſtatu bono: dummodò bonam habeant voluntatem, cùm ipſam ſolùm reſpiciat Deus. Item circà conſcientiam dirigendi ſunt, quod ipſi purgandæ, curam magnam habeant, & opponant: quod non nimis ſcrupuloſam, vel audacem habeant, quod contra ipſam nihil faciant, quod erroneam ad conſilium deponant. Item intentionem in omnibus operibus ſaltem à principio ad Deum erigant, & vana ſi quando aduenerint, abijciant. Item, quod nullam affectionem carnalem ad aliquam perſonam habeant ſuſpectam, vel in ſe diù durare permittant: & quod caueant ne affectiones ſanctæ in carnales tranſeant. Item quod propriam voluntatem frangere aſſueſcant, ſenſum ſingularem penitùs dimittant, privatum amorem ad aliquid nunquam habeant. Item, quod in omnibus obedientiam præponant, & propter ipſam omnia alia etiam bona dimittant. Quod tam ſibi, quam alijs in melioribus bonis, quàm minoribus libentiùs vacent, & intendant. Quod virtutes eorum, quos audiunt laudabiliùs viuere, diligenter notent, & imitentur pro poſſe. Quæ autem ſuprà ipſorum vires, vel naturam ſunt; potiùs admirentur, quam imitentur. Quod ſuper lapſus aliorum non indignentur, ſed compatiantur, & ſibi à ſimilibus timeant. Quod de factis aliorum non cogitent, nec de domus negotijs ſint in aliquo ſolliciti, ſed tantummodò de ſe. Quod omnia agant cum diſcretione: quæ ſummè conſiſtit in hoc, ut non ſenſu ſuo

ſe regant, ſed alteriùs, & maximè Magiſtri ſui. Quòd ea; quæ audiunt in ſcripturis de virtutibus, & operibus à Deo acceptis, ſtudeant exercere; & vitia, ſeu mala, quæ quotidiè in ipſis ſcripturis plus, & plus cognoſcunt, diligenter cauere.

Cap. VI. De Officio Magiſtri Conuerſorum.

AD Officium Magiſtri Conuerſorum pertinet ſcire à Priore, poſtquam impoſuerit ei iſtud Officium, qualem vult eum habere poteſtatem ſuper eos: ſiue Novitios, ſiue Profeſſos, ſiue in confeſſionibus audiendis, ſiue in licentijs dandis, ſiue in corrigendis exceſſibus. Item reſpicere diligenter, quæ prædicta ſunt de Officio Magiſtri Nouitiorum, & illa, quæ de illis ad Conuerſos, ſiue Nouitios, ſiue Profeſſos pertinere poſſunt, notare, & circa illos executioni mandare. Item debet eiſdem exponere de Regula, & Conſtitutionibus, quæ ad eos pertinent: & ea, quæ dicuntur in Actis Capitulorum Generalium, vel Prouincialium, vel in Capitulo Conuentuali, vel à Priore Conuentuali, vel à Priore Prouinciali, vel Viſitatoribus, vel à Suppriore, vel Vicarijs ipſorum, ad hos pertinentia ſollicite retinere, & ijſdem notificare, & obſeruanda imponere: & *Pater noſter*, & *Aue Maria*, & *Credo in Deum*, cùm neſciunt docere, non in ſcriptis, ſed cordetenùs. Item debet eis tenere capitulum tempore, & loco ad hoc à Priore aſſignato, & accuſationes Fratrum Clericorum, quas in capitulo ſuo, vel extra de eis faciunt retinere: & eos ſuper his in capitulo proclamare; & Fratres Clericos, qui interdùm ad capitulum eorum propter hoc veniunt, recipere ad accuſandum, & exceſſus maiores Priori relinquere ad corrigendum. Ipſum quoque Priorem Conuentualem inuitare frequenter ad tenendum eis capitulum: & tam ipſum Viſitatorem, quam etiam Priorem Prouincialem (cùm ad domum veniunt) de corrigendis circa ipſos, debet inſtruere. Item ſtudium debet appo-

apponere, vt fiant eis exortationes vtiles, & ad ſtatum ſuum pertinentes: ſiue ſermones, ſiue collationes, ſiue per alium, ſiue per ſe: ita tamen quod pauca ſemper dicantur eis vna vice. Procurare etiam debet, quod ſit aliquod ſignum in Domo, per quod covocentur, vel ad ſuum Capitulum, vel ad Capitulum Clericorum, ſecundùm diverſitatem ſignorum: & cùm vocandi fuerint, debet illa ſigna facere. Accuſationes quoque eorùm contra Clericos (ſi quas habent) debet ex parte ipſorum in Capitulo Clericorum facere, & moleſtatores eorum accuſare, & ab iniuriis aliorum prout poteſt defendere: & cum irrationabiliter aliqui inſurgunt in eos, in Capitulo, vel extra quantum poteſt cum bona conſcientia, eorum innocentiam oſtendere, & in ſua iuſtitia ſemper eos fovere. Item debet eſſe certus, quod confiteantur frequenter, vel ſibi, vel Priori, vel alij de licentia ſpeciali; & ſi negligentes fuerint, ſtatuere eis certum tempus, & locum, in quibus confiteantur. Item debet eos in officijs, quæ eis imponuntur interdùm inſtruere, quomodo illa faciant ſollicitè, & plenè, & diligenter. Item illis qui neſciunt, aliquam artem in Ordine neceſſariam, debet aſſignare de illis qui ſciunt aliquem, qui eos doceat; & ad diſcendum eos compellere. Item debet eos ſumme incitare ad laborandum ſemper, & libenter in aliquo opere pro Conventu: & propter hoc licentiare eos ab omnibus horis ſiue de die, ſiue de nocte, præterquam à Completorio; à quo non ſunt licentiandi, niſi propter ſervitia quæ tunc ex neceſſitate ſunt facienda. In Feſtis etiam ſimiliter ſunt licentiandi propter officia quæ tunc oportet fieri, & etiam concedendum eſt eis, quod nunquam teneantur ad Miſſam Conventualem, vel Horas Canonicas præter Completorium: ſed ſufficiat eos audire aliquam Miſſam privatam, & dicere horas vbi voluerint. Illis etiam qui inſtante hora dormitionis de die laborant, poterit indulgeri ne ſurgant ad Matutinas. Coercendi ſunt etiam à multitudine Miſſarum audiendarum, & ab audiendo Horas Conventuales: cum propter hoc labores omittant. Inſtruendi ſunt etiam diligenter ab eo quando

ſunt

ſunt inter extraneos, vt honeſte ſe habeant, & mature, & quod ad menſas magnorum ſe non collocent, niſi invitati, & tunc etiam cum quadam difficultate. Item debet eſſe ſollicitus pro eis, quod in infirmitatibus, & alijs eorum neceſſitatibus, charitative miniſtrentur ei neceſſaria. Item cum ſenſerit eos ſcandalizatos ex aliquibus ordinationibus quæ interdum fiunt circa eos per capitula, vel maiores, quæ reputant fieri in eorum contemptum, piè, & prudenter debet eos ſedare: oſtendendo quomodo non in contemptum eorum hæc fiant, ſed propter aliquam cauſam rationabilem. Sicut ſupra Priores, & Lectores, & alios interdùm fiunt ſimilia, non in contemptum eorum; ſed propter aliquam vtilitatem Ordinis, oſtendendo quomodo in ſtatu honorabili magis ſunt apud nos, quam alij Converſi in alijs Ordinibus. Item debet eis reducere ad memoriam, quomodo faciunt eandem profeſſionem quam, & Clerici: vt ex hoc intelligant ſe ita eſſe obligatos, ad ea quæ ſunt Ordinis, & ſic non negligant ea; quæ ſunt Religionis. Item vbi habent dormitorium ſeparatum, debet iacere cum eis, vbi vero non habent ſeparatum, debet ſaltem iacere propè eos. Debet etiam quandoque de eis ſollicitudinem ſpecialem habere, vbique notare defectus, & offenſas eorum, & ipſos charitative corrigere, vel ad partem, vel in Capitulo. Cùm aliqui fuerint ei inobedientes, quod ſupra vires ſuas eſt, debet maioribus referre, vt per eos meliùs emendentur.

Cap. VII. De Officio Correctoris familiæ.

FRater cui imponitur cura de familia, debet præ cæteris Fratribus curare, quod non recipiantur in familia niſi tales, de quibus ſit bona ſpes, quod honeſte ſe habeant inter Fratres. Cùm autem recepti fuerint, debet habere curam quod ſibi, vel alij confiteantur frequenter, & de hoc debet eſſe certus. Inſtruendi ſunt etiam ab eo, cum ei confitentur, vel alio cui confitentur, ipſo procurante. Circa con-

confeſſionem, quod plene ſint confeſſi, & quod ſciant benè confiteri. Item informandi ſunt ab eo ſingulariter, & inſimul de modo habendi ſe honeſtè, & cogitandi, & laborandi pro ſalute ſua; & interdum faciendæ ſunt eis aliquæ collationes ab ipſo, vel ab alio, ipſo procurante, & ordinante: & curet, quod veniant ad ſermones, qui fiunt ad populum in Domo cum poſſunt, vel ad ſermonem qui fit Conuerſis interdum, ſi Priori viſum fuerit. Item quod laborent fideliter, & diligenter in ſuis officijs: & qui fuerint in coquina mundè faciant omnia, & bono modo parent quæ habuerint ibi præparare, & ea quæ neſciunt ſollicite addiſcant, vel à Fratribus, vel ab alijs de familia qui ſciunt. Item quod per villam non diſcurrant niſi pro neceſſitatibus Domus, & cum licentia; nec pro ſeruitijs Fratrum ſpecialibus dimittant communia, niſi de licentia Prælati ſpeciali. Item debet Priori oſtendere, & apud eum procurare, ſi clauſura Domus eſt minus bona, quod ſic aptetur; quod non poſſint egredi de nocte, vel hora dormitionis: ne fortè ex nimia requiſitione ab eorum deuotis, videantur modo aliquo abhorreri. Item debet eſſe ſollicitus quæ ſit fama de eis, vel intus, vel extra, & conſiderare facta eorum, & vitam; & quod inuenerit, vel per alios audierit corrigendum in eis, ad partem corrigere, vel interdum in communi quaſi per modum capituli poſſunt eis pœnitentiæ aliquæ tolerabiles tamen iniungi. Et eſt eis dicendum in principio quando veniunt, quod ſi volunt eſſe cum Fratribus, quod ipſi ita corrigentur. Cauendum tamen eſt omnino ne vnquam ipſe, vel alius Frater eos percutiat, non ſolum ex ira, ſed nec ludo, nec etiam cauſa correctionis. Fratres quoque qui excedunt in eos, vel indebitè eos moleſtant, vel aliquod malum exemplum oſtendunt eis, vel in aliquo reprehenſibiliter ſe habent circa eos, debet proclamare in Capitulo: & cum minus rationabiliter loquuntur contra eos, debet eos excuſare prout poteſt cum bona conſcientia, dum non ſunt in culpa ſuper illis quæ dicuntur. Item cùm aliquis petit recipi in Conuerſum,

ſum, debet fidele teſtimonium perhibere quid ſuper hoc expediat: magis attendendo Ordinis vtilitatem quàm illius petitionem. Cum autem aliquis inuenitur talis, quod non expedit Fratribus, vt cum eis moretur; debet apponere curam quod ſic vrbane licentietur, quod non ſcandalizetur contra Fratres, ſed cum amore eorum, & Ordinis recedant, & ad id laborandum eſt circa omnes qui recedunt à Fratribus quocumque modo. Porro circa aduenientes gartiones debet cauere; quod nunquam introducantur alicubi vltra portam: niſi priùs conſtet, quod ſint apud Fratres alios vnde veniunt intimi, & familiares valdè, & quaſi vnus ex eis. Debet autem inſtare apud Procuratorem, vel Priorem, quod fiat eis in porta, vel in villa quoad jacendum, illud quod fuerit faciendum. Debet etiam laborare quod illis qui gratis ſeruiunt, & propter Deum Fratribus, vel laudabilius ſe habuerunt inter eos, Fratres ſint magis grati, deuoti, & in ſuis neceſſitatibus ampliorem eis exhibeant charitatem. Ipſius etiam intereſt maiorem apponere diligentiam, quod omnia quæ de ipſis ordinantur in Capitulis, vel à maioribus, executioni mandentur: ſicut eſt illud, quod diuiſim iaceant tam illi de Domo, quam extranei. Quod non habeant veſtes notabiles in pulchritudine, vel ornatu, vel pretio, vel colore: & rurſus, quod non habeant veſtes ſimiles Conuerſis, nec tondeantur ad modum eorum. Quod non recipiantur ad ſecreta, & familiaria ſeruitia Fratrum, vt eſt lavare pedes Fratrum, ſeruire in hoſpitio, in Refectorio, in infirmaria, quod carnes pro eis non parentur. Quod nullus Frater ſingularem habeat gartionem. Quod quando mittuntur, ita prouideatur eis in expenſis, quod alios Fratres non grauent, & ſimilia. Et quæ non poteſt deducere ad effectum, debet ad Priorem deferre, & ipſum ſollicitare, ut hoc faciat obſeruari.

Cap-

Cap. VIII. De Officio Cantoris.

Circa libros, & ſcripta.

OFficium Cantoris eſt ſollicitare Priorem, ut totum officium bene correctum habeatur in Domo, & ſi negligens fuerit circa hæc, apud maiores eum accuſare, & laborare ſollicitè quod hoc faciat emendare. Pertinet etiam ad eum libros Eccleſiaſticos corrigere diligenter in cantu, & verbis, & punctationibus, & accentibus, & huiuſmodi: vel per ſe, ſi ſcit, vel per alios ſi neſcit, adhibita auctoritate Prioris; & eoſdem mundos ſeruare, præparare, & reparare in camiſijs, & coopertorijs, & in ligaturis, & malè tranctantes accuſare. Item debet reſpicere diligenter totum officium, & firmare cordetenus, & maximè ea quæ ad ipſum pertinent, ſecundùm quod notata ſunt in diuerſis locis, & rubricis; & in notula præſenti, quæ continet multa, quæ alibi minùs plenè ſunt notata. Item oportet procurare quod aliquod armarium habeatur in Choro, vel in Sacriſtia, vel alibi, prout videbitur locus magis idoneus deputatus ad hoc, in quo libri omnes de Choro reponantur: præter libellos proceſſionales. & inde per ipſum, vel per alium, ſi Prælato viſum fuerit, deportentur ad Chorum tempore officij, prout neceſſarij fuerint, & poſteà reportentur. Ipſius autem eſt diſtribuere ipſos per Chorum, prout videbitur expedire, ſiue pro funeribus, ſiue proceſſionibus. Item ipſius intereſt ponere in aliqua cedula, quæ affigenda eſt parieti in Sacriſtia in loco apto, numerum Miſſarum, & Orationum, quæ iniunguntur in Capitulo, vel à maioribus cuilibet Fratri, vel Conuentui, vt Fratres ſciant ad quid tenentur, & quando ſoluerunt totum, & de Miſſis quæ debentur à Conuentu ſpecialem curam debet habere, vt ſoluantur quàm citò commodè fieri poteſt, & facere memoriale de ſolutis. Item quando emanat aliquod mandatum, quod fiat aliquod Feſtum, vel memoria alicuius Sancti, vel alicuius defuncti Anniverſa-

rium, vel memoria alicujus animæ perpetuò per Orationem aliquam in Miſſa, debet hoc inſerere per ſcripturam in libris, in ſuis locis. Item ipſius eſt procurare apud Prælatum, quod aliquæ rubricæ de officio, quæ magis ſunt neceſſariæ ad ſciendum, legantur in Refectorio interdùm, maximè quando Fratres plures interſunt; & ſimiliter illæ, quæ habent maiorem difficultatem, & minùs ſunt vſitatæ, vt ſunt illæ, quæ pertinent ad tres dies lamentationum, & ſimiles, legantur inſtantibus diebus, ad quos pertinent. Item ad ipſum pertinet formare litteras, quæ interdùm ad alia loca mittuntur pro ſuffragijs impetrandis, & procurare per quem mittantur. Forma autem huiuſmodi litterarum eſt talis: *Tali die obijt Frater talis in tali Conuentu*.. Similiter recipere huiuſmodi litteras quando mittuntur aliundè, & tradere eas ei, qui legit Kalendas, ut eas recitet in Conuentu ante illud: *Commemoratio Fratrum, & Sororum &c.* ſimiliter in rotulis qui mittuntur interdùm pro ſuffragijs ſcribere. Et ſcribi ſolet hoc modo. *Titulus Fratrum Prædicatorum talis loci: anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum requieſcant in pace. Orauimus pro veſtris, orate pro noſtris. Die tali fuit rotulus apud nos*. Item debet auſcultare Fratrem, qui voluerit, qui habet aliquid legere, vel cantare, loco, & tempore ad hoc aſſignato. Et etiam ſi fuerint aliqui rudes in his, debet eos per Priorem facere corrigi. Interdùm etiam cùm occurrunt novæ hiſtoriæ, vel alia ad cantandum difficilia, debet conuocare Conuentum hora qua videbitur Priori, vt communiter cantus huiuſmodi præuideatur, & repetatur. Item ipſius intereſt facere tabulam ſemper, niſi fortè ad alleuiationem eius alij iniungatur à Priore. Debet autem ipſo procurante haberi tabula bona, & ad hoc officium apta, & de littera bona, per illum, qui eam ſcribit, vel alium ſibi ad hoc aſſignatum, & ita tempeſtiuè, quod in Sabbato legi poſſit cum Kalendis poſt lectionem de Conſtitutionibus, vel de Euangelio illa tabula, quæ eſt pro ſeptimana; illa verò quæ fit pro Feſtis, & alijs diebus, in menſa præcedentis diei. Debent autem omnes abſque acceptione perſonarum ſcribi ad officia tempore

pore ſuo, qui poſſunt, & ſciunt ea facere: niſi forte aliquibus ex cauſa de licentia Prioris parcatur quo ad aliquod officium; hoc tamen prouiſo, quod in Feſtis, & diebus quando plures conueniunt, talis Sacerdos ponatur ad officium, qui laudabiliter ſciat dicere, & maximè Miſſam. Qui autem ex impotentia, vel ignorantia, vel de licentia non facit illa officia, debet ſic in alijs recompenſare, quæ poteſt facere, & ad illa ſcribi; ut fiat æqualitas qualiſcumque. Cum autem poſt tabulam ſcriptam aliquis de Fratribus ſcriptis in ea debet recedere, vel infirmatur, vel alias habet cauſam rationabilem, quare non poteſt facere illud, ad quod ſcriptus eſt: debet hoc notificare Cantori, qui debet tunc alium ſcribere loco eius. Quotieſcumque immutat aliquid circa tabulam poſt pronunciationem eius, debet notificare illi qui ſcribitur, & illi qui deletur. Porrò defectu Fratrum qui deſunt, nec alios poſuerunt loco ſui, debet ſupplere authoritate ſua, per ſe, vel alios, & omnes debent eidem in hoc obedire: & facientes defectus, debet tempore ſuo in Capitulo proclamare. Frater qui per quatuor dies facit officium ad quod ſcriptus eſt, & poſtea impeditus non poteſt reſiduum facere, ſeptimanam feciſſe reputetur. Si Prior ordinauerit, quod aliqui Fratres ſcribantur in tabula per ſeptimanam, vel quindenam, vel menſem, vel amplius, ad aliqua officia, quæ non pertinent ad Eccleſiam; ut eſt ſeruire infirmis, vel in hoſpitijs, & huiuſmodi; faciendum eſt ſecundum modum quem dixerit, & de perſonis, & de tempore. Tabula verò ſcripta collocanda eſt in Sacriſtia, vel in alio loco idoneo eminenti, & aperto, vt poſſint ibidem legere, qui eam non audierint, vel audientes non intellexerint; vel qui audierint, & obliuioni tradiderint, & vt ſciatur quidquid debet facere, & quos defectus quis faciat.

Circa Sedes.

ITem ad ipſum pertinet ſtare in Choro dextro, poteſt tamē cauſa officij mutare ſedem, & ſtare modo ſupra, modo

infra, modo in Choro maiori, modo in Choro minori, & quandoque tranſire ad ſiniſtrum. In feſtis vero Duplicibus, & Totis Duplicibus, licet habeat ſtare in medio Chori incipiendo aliquid: tamen poteſt poſt inceptionem diſcurrere ante Fratres ſui Chori, ad incitandum eos ad cantandum meliùs: & interdum in Choro ſuo ſedere inferius, vel appodiare ſe in aliqua ſede. Ipſius eſt etiam collocare Nouitios, vel alios Fratres de nouo venientes in Choro altero, prout viderit expedire in ſuis ſe diebus ſecundum tempus, quo ſteterint in Ordine: quod a ſuperuenientibus quærere, pertinet ad ipſum. Cum autem aliqui extranei intrant Chorum, vel ponunt ſe in oſtio, pertinet ad ipſum ſecundum quod dignores fuerint, eos trahere ad locum honeſtum. Si autem abiectæ fuerint perſonæ, vrbanè eos trahere a ſedibus dignioribus, vel a toto Choro, ſi ſine ſcandalo fieri poteſt. Ipſius etiam eſt dare operam, ne extranei nimis faciliter intrent Chorum, & maximè laici, vel pueri. Quod ſi Clerici aliqui cantent cum Fratribus, ipſius eſt in pauſis, & cantu eos rectificare, vt Fratribus ſe conforment, & eos in locis debitis collocare. Ad ipſum etiam pertinet ſic prouidere cum conſilio Prioris vtrique Choro de Fratribus, qui ſciunt legere, & cantare, quod non ſit inæqualitas notabilis. Cum autem propter abſentiam Fratrum aliquando Chorus alter nimis eſt vacuus, debet innuere aliquibus de alio Choro, vt ad alterum ſe transferant, & illi debent in hoc obedire eidem: vel ad horam, vel ad diem, vel plùs faciendum quod ipſe ordinauerit. Ipſius etiam eſt nouos Sacerdotes inſtruere circa Miſſam; & prouidere eis de auditore, & inſtructore idoneo in Miſſis primi, quouſque ſint ſufficienter edocti. Similiter omnes promotos de nouo debet in ſuis officiis inſtruere diligenter. Cum autem Abbas, vel Epiſcopus, vel alius extraneus celebraturus eſt in Conuentu, debet prouidere quod tales ponantur ad officia, qui omnia ſciant facere decenter, & ordinatè: & quod talem Sacerdotem ſibi aſſiſtentem habeant (ſi viderit expedire) qui

qui eos ſciat in omnibus rectificare diſcrete . Cum autem tales celebrant , vel miniſtrant in Conventu , vel etiam Fratres celebrant , de quorum ruditate timet , debet accedere verſus Altare interdum , vt ſi voluerint aliquid ab eo quærere , habeant eius copiam , vel ipſemet eos in aliquibus præveniat : vt quando debet dici *Credo.* , vel non , vel quando debet dici *Flectàmus genua* , vel non ; vel cuiuſmodi Orationes debent dici , & huiuſmodi , maxime quæ non habentur ſemper in memoria à minus providis. Debet etiam notificare Sacerdoti in Miſſa , vel ante , quando aliqua Oratio , vel aliquæ Orationes ſunt ex aliqua iniunctione dicendæ in Miſſa : ut pro infirmis , vel pace , vel huiuſmodi.

Item Miſſas , quæ non debentur , vel ratione diei , vel ordinis , vel alicuius iniunctionis , non debet dicere pro arbitrio ſuo in Conventu , ſed cum conſilio Prælati . Cum autem Miſſa fuerit celebranda , poteſt interdum inter primum ſignum , & ſecundum ad Sacreſtiam ire , ad ſollicitandum Sacerdotem , & miniſtros ſuper faciendis . Item ad officium eius pertinet facere Officium , cum hebdomada pertinet ad Chorum dextrum : & ſemperità cito venire ad officium , & maxime in ſeptimana ſua , quod in principio inchoationis ſit ; & ita continuè , & finaliter ibi manere , quod ex eius abſentia non ſit defectus in aliquo. Item debet excitare dormientes in Choro , & torpentes incitare ad cantandum , & pſallendum : & interdum eos ad librum ducere , ad melius cantandum , maxime in Feſtis devotioribus . Item Antiphonas in Choro ſuo imponendas debet iniungere , ſimiliter omnia cantanda , vel legenda , quæ ex Ordinario , vel tabula non ſunt determinata à quo debeant dici , debet imponere in hebdomada ſua . Item Antiphonas de Choro ſuo debet reincipere , præter Antiphonas ſuper Magnificat, & Benedictus in Duplicibus , & Totis Duplicibus . Similiter Alleluia in Miſſa in hebdomada ſua , cum cantatur à pluribus . Item inchoare Pſalmum ex parte Chori ſui modo mediocri , & tenere tonum , & exaltare vocem , tam in Pſalmis , quam in alijs , quando nimis demittitur , & facere ſigna cum manus

percuſſione ad pauſas in Pſalmis, vel Hymnis, & alijs huiuſmodi faciendis diſtinctè cum notabiliter confunduntur, & ad illos, qui confundunt pauſas, interdum accedere, ad corrigendum eos, ſine ſtrepitu manuum, & ira, ſed cum pace & honeſtate, ne correcti perturbentur, & adſtantes offendantur. Item Sacerdoti, in Feſtis præcipuis deferre verſiculum, quem oportet dicere ante Laudes. Item, quando tarde ſurgitur ex errore ad Matutinas, facere feſtinare officium, & abbreviare lectiones. Item pertinet ad eum in hebdomada ſua, in ſolemnibus proceſſionibus, in ſepulturæ officio, in miniſtratione Sacramenti infirmis, & huiuſmodi, providere de miniſtris, ſi non ſunt ſcripti in tabula: & ſi ſunt ſcripti, reducere ad memoriam quid facere debeant. Debet etiam providere, quod omnes vadant ordinate, & quod qui facit officium, habeat librum ſibi neceſſarium: & iuxta eum ſtare frequenter, & rectificare eum, & alios omnes in his, quæ agenda ſunt, vel dicenda. In Proceſſionibus vero ſolemnibus pertinet ad vtrumque, ſcilicet Cantorem, & Succentorem de his curam habere. Item ipſius intereſt in hebdomada ſua cum Prælatus non vult, vel non poteſt facere officia, quæ ad eum pertinent, & eſt præſens; de conſilio eius imponere alicui alij huiuſmodi officia. Si autem non eſt præſens, vel ei loqui non poterit, debet alicui iniungere, quod faciat officium: hoc obſervato, quod huiuſmodi officia ſemper iniungantur perſonis ſenioribus; & qui ſciant ipſa facere competenter. Ipſius etiam eſt corrigere errores in quocumque errent, ſive ab aliquo, ſiue a Conventu, ſiue in legendo, ſiue in cantando, ſiue in annexis Officio: vt ſunt inclinationes, proſtrationes, genuflexiones, ſeſſiones, ſtationes, & ſimilia, in quocumque loco, præterquam in Refectorio, in lectione, & ſuper huiuſmodi facere proclamationes. Ipſius autem correctionem omnes ſequi debent (etiamſi erret) dummodo error non ſit intollerabilis, & obedire ei in his, quæ pertinent ad officium, licet proclamandus ſit in Capitulo, & corrigendus ſuper his, in quibus erraverit.

Cap.IX.

Cap. IX. De Officio Succentoris .

OFficium Succentoris eſt reſpicere diligenter, quæ prædicta ſunt de Officio Cantoris, & circa ea, quæ dicta ſunt de libris, & ſcriptis ſollicitare Cantorem, & iuuare eundem diligenter: & quæ ad ſe pertinent de illo titulo memoriter retinere, & ſtudere in Officio diligenter, & firmare cordetenus, & de diſtributione librorum in ſuo choro executioni mandare. Item pertinet ad eum iuuare Cantorem circa tabulam faciendam, vel ipſam facere pro ſeptimana ſua, vel ſemper, ſi à Priore fuerit ordinatum. Defectum verò Fratrum debet in hebdomada ſua ſupplere ſecundum modum, qui ſupradictus eſt de Cantore in Choro ſuo. Ipſius eſt etiam ſtare in Choro ſiniſtro, & mutare ſedem ſuam poteſt ratione officij in Choro ſuo, cum voluerit. In Feſtis Duplicibus, & Totis Duplicibus, poſt inceptionem, quæ fit in Miſſa, vel in Choro, poteſt facere, quod ſupra notatum eſt de diſcurſu, & ſeſſione, & apodiatione Cantoris. Item de extraneis collocandis, vel repellendis, & de Clericis, qui cantant in Choro ſuo rectificandis, debet habere curam, ſicut ſupradictum eſt de Cantore. Cum autem Chorus ſuus nimis à Fratribus vacuus fuerit, ſi in alio abundant, poteſt innuere Cantori, vt aliquos mittat ad Chorum ſuum. Ad ipſum etiam pertinet facere in ſeptimana ſua circa Miſſam quidquid ſupradictum eſt ab illo loco: Cum autem tales in Conuentu celebrant, vel Fratres, &c. uſque ad illum locum: Item officium eius pertinet &c. Item ipſius eſt, cum hebdomada ſua fuerit ex parte ſui Chori, facere officium, & exequi diligenter ea, quæ circa officium Cantoris ſupra notata ſunt ab illo loco: Semper ita cito venire, &c. vſque ad illum locum: Ipſius autem correctionem &c. in quantum pertinent ad Chorum, & ſeptimanam ſuam: hoc excepto, quod correctiones, & directiones in Officio non pertinent ad eum ſuper totum Chorum, ſed ſolum ſuprà Chorum ſuum, niſi tempore hebdomadæ ſuæ, præter errores intollerabiles, quos ſemper poteſt corri-

h 4 gere

gere Cantore non corrigente. Ad Cantorem vero pertinet illa omni tempore, quando ſibi videtur expedire. Item ad ipſum pertinet acquieſcere Cantori in dubijs, & etiam ſi male corrigat, vel dicat non debet ei contradicere in Choro, ſed corrigi debet in Capitulo. Item, quando Cantor non eſt præſens, debet ſupplere vices eius, & tanſire in eius ſeptimana ad Chorum eius, & è contrario, quando Succentor, vel non habetur, vel non eſt præſens in Choro, debet Cantor facere pro eo, vel alij committere, ut ſuppleat vices eius. Cum autem conſtituuntur aliqui adiutores Cantores, vel Succentoris, vel vtriuſque; eorum intereſt ſupplere vices eorum cum deſunt, & cum præſentes ſunt iuuare poſſunt eos, qui in quibus fuerit de conſilio Prælati ordinatum.

Cap. X. De Officio Sacriſtæ.

OFficium Sacriſtæ eſt curam habere de Eccleſia ſæpæ ſcopanda, & ab araneis, & huiuſmodi purganda, & munde ſeruanda; & de choro magis, quam de naui, & de presbyterio tam maioris Altaris, quam minorum, quam de choro. Et vbi eſt conſuetudo in maioribus Feſtis in æſtate herbas virentes, vel ramuſculos aliquarum arborum, & in hyeme paleas ſternere in choro, & presbyterio, & ante parua Altaria, & in Sacriſtia, & in capitulo: & habere curam de reparandis coopertorijs, ne vnquam pluat in Eccleſia, & de alijs reparandis in Eccleſia, vel Sacriſtia, cœmeterio, & de ſeris, & clauibus oſtiorum omnium. Et debet hæc claudere, & aperire tempore ſuo, ſequens ordinem Prioris de horis claudendi, & aperiendi oſtium Eccleſiæ de die.

Circa pulſationes.

ITem ad eum pertinet omnis pulſatio, quæ fit in Eccleſia, niſi quando fiunt cauſa Capituli, vel ſermonum. Porrò primum ſignum ſic debet fieri, quod non ſit nimis prolixum, nec nimis breue, ſed medie temperatum: hoc tamen magis, vel

vel minus pro tempore obſeruetur. Similiter ſignum, quod fit pro collatione, ad quod ſufficiunt quaſi quinque ictus ex vtraque parte campanæ. Secundum vero ſit debet eſſe prolixum, quod à principio illius poſſint conve-nire Fratres de omni loco in quocumque fuerint in domo, ad Eccleſiam: & tunc debet ſtatim terminare cum venerint omnes, non expectato etiam ſigno Prælati. Spatium verò quod eſt inter duo ſigna, ſic debet eſſe temperatum præcisè, quod illo ſpatio poſſint eſſe Fratres expediti de Horis Beatæ Virginis, quas habent dicere: & de neceſſitate camerarum, & lotione manum hora Primæ. Ad Veſperas verò tali debet hora pulſare, quod poſt ſecundam menſam tempore binæ refectionis, vel poſt Veſperas tempore ieiunij, non ſit multum de ſpatio, vel tempore vſque ad horam Completorij. Ad Completorium vero tali debet hora pulſari, quod facto vltimo ſigno in æſtate ſit adhùd quaſi dies, in hyeme vero quaſi nox. Spatium verò, quod conceditur ad orandum poſt Completorium, nec nimis prolixum ſit, nec nimis breue; ſed mediè temperatum, & tam moderatum, quod Fratres communiter ſine faſtidio poſſint illud tempus in oratione expendere quod reputatur poſſe fieri, cum tempus eſt tantum præcisè, quod poſſint in illo dici Pſalmi ſeptem, & Litaniæ. Signum vero vltimum ſic faciendum eſt, quod bene poſſit audiri vbique per totam domum. Cæterum de modo pulſandi ad Miſſam, & ad funus, poteſt conſuetudo patriæ obſeruari. Conſuetudo tamen Ordinis magis generalis videtur eſſe, quod pulſatio ad Miſſam fiat per tres interruptiones. Ad funus verò. & ad proceſſionem, & ad unctionem faciendam, convocantur Fratres per ſignum in campana factum tantum ex vna parte. Ad ipſum etiam pertinet habere curam, vt ſollicitet Priorem, & Fratres de bonis campanis habendis, & moderatæ magnitudinis & de habendo horologio tali, quod non ſit notabile curioſitate, vel pretioſitate, magis autem detur opera, quod ſit verax, & certum. Et de conſilio Prioris, & Fratrum, horam ſurgendi ad Matutinas, & Primam, & Nonam tempore

re dormitionis diurnæ obſeruet. Debet autem valdè eſſe ſollicitus circa pulſationes tempore ſuo, & modo debito faciendas, ne earum inordinatione contingat Conuentum turbari, vel impediri.

Circa Luminaria.

ITem ipſius intereſt cura de habendis lampadibus, & oleo, & cera, & candelis, & cereis, & candelabris competentibus; & in miniſterio circa Altare maius, & in proceſſionibus, circa funera, & de miniſtrandis his tempore ſuo, & in lampadibus, cereo Paſchali: & alijs cereis circa maius Altare in Miſſa, in Veſperis, in Matutinis, in Completorio accendendis, & extinguendis, & melius inflammandis, & emungendis. Similiter curam debet habere, & prouidere, quod non ſolum in maiori Altari, ſed etiam in minoribus, cerei aliqui competentes ſecundum varietates dierum, & Feſtorum, & candelæ ſufficientes ibidem in choro ſemper ſine defectu habeantur. Debet etiam prouidere de candelis in hoſpitio, in infirmitorio, refectorio, & Fratribus itinerantibus, & ſimilibus, vel plus, vel minùs, vbi hoc ordinatum fuerit à Prioribus. Porrò expenſas ad ſupradicta debet accipere à Procuratore, vel de quæſtu proprio, vel de oblationibus, vel alio modo, ſecundum ordinationem Prioris, & de omnibus computationibus ſecundum tempus computare. Beneficia verò collata Sacriſtiæ ſpecialiter debet recitare in Capitulo. Debet etiam habere ferrum, & lapidem, cum quo ſolet ignis excuti ad habendum ignem, ſi fortè eſſet neceſſe; in quo caſu contingit ignem non inueniri in domo: Item debet prouidere, quod hoſtiæ pulchræ cum pixidibus decentibus, & vinum purum, & ſanum, & bonum, & aqua recens, & munda, cum ampullis honeſtis: calices, veſtimentis, libri neceſſarij pro Miſſis, carbones in patellis tempore magni frigoris, flabella tempore muſcarum, thuribu-

lum

lum cum carbonibus, & thus in diebus feſtivis in maiori Miſſa, & Crux deferenda in Totis Duplicibus, cuſſini, & mappulæ ad tergendas manus, & aliæ ad purgandos nares, candelabra, inſtrumenta apta ad candelas tenendas in Miſſis, & omnia alia neceſſaria pro Miſſis, tam in maiori ſolemnitate, quam alijs ſemper habeantur in promptu, & in certis, & competentibus locis inueniantur, & reponantur. Cauere quoque debet ne hoſtiæ propter loci humectationem, vel alias corrumpantur, & cum minus idoneæ fuerint, alias miniſtrare. Debet etiam prouidere, quod in Sacriſtia in loco competenti ſemper inueniatur aqua ad lotionem manuum volentium celebrare, vel miniſtrare, & mappulæ ad exterſionem faciendam. Solènt etiam haberi ibidem à quibuſdam pectines honeſti ad capillos componendos, & forcipes ad vngues ſciendendos ab illis, qui interdum his indigent, & hoc ibidem volunt facere. Debet etiam prouidere, quod in Sacriſtia ſit piſcina, vel peluis, in quibus recipitur vltima ablutio; & quod munde, & honeſte, & ſollicite cuſtodiantur in omni munditia, & quod in iſtis nunquam alia ablutio recipiatur, vel ad alios vſus applicetur. Debet etiam procurare, quod aliqua ſcamna lignea ſint circa minora Altaria apta ad orandum, in quibus interdum procumbere poſſint Fratres miniſtrantes, vel aſſiſtentes.

Circa Sacramenta, & Sacramentalia.

ITem accuratius quoquo debet habere diligentiam magnam quod locus honeſtus, & decentis pulchritudinis habeatur ſuper Altare, in quo Corpus Domini in pixide habeatur, & honeſtè ſub claui ſervetur.

Item, quod Oleum infirmorum ad faciendam Extremam vnctionem ſemper habeatur in Domo, & in honeſta ampulla in loco honeſto ſub claui conſervetur.

Item ſi debent fieri Ordines in Domo, vel Confirmationes, vel Conſecrationes Eccleſiæ, vel Altaris, vel Epiſcoporum, vel benedictio Abbatum; vel Cœmeterii, & ſimilia

lia; debet providere cum conſilio Capellani Epiſcopi, vt ſecundum Ordinarium eius omnia ad huiuſmodi pertinentia fiant, & habeantur in promptu. Si verò fiant aliquæ coronæ, eius eſt aſſiſtere Epiſcopo, & miniſtrare forcipes ad capillos incidendos, & ipſos debet recipere, & comburere. Et cum inſtat inunctio facienda pro fratribus, vel communio infirmi decumbentis, vel etiam ad Altare non potentis venire, vel etiam extraordinaria Communio Fratris alicuius ex alia aliqua cauſa facienda in Conventu, debet de omnibus ad hoc pertinentibus gerere ſollicitudinem, & de neceſſarijs providere: & conuocandos conuocare vel verbis interdum, vel cum pulſationibus, cum Conventus fuerit conuocandus. Item circa funera eius officium eſt prouidere de foſſis faciendis, & de loco foſſarum, cum conſilio Prioris. Item de cereis, & candelis, & candelabris, & thure & thuribulo, & carbonibus pro thuribulo, & de convocandis Fratribus ſuo tempore, & de Cruce deferenda, & aqua benedicta, & ſtola, & libello Sacerdoti recepturo funus, & de libellis manualibus, & alijs neceſſarijs miniſtrandis tam pro Fratribus, quam pro extraneis defunctis curam debet habere. Item debet, ſi contingat Epiſcopum, vel Abbatem vtentem mitra, vel anulo, vel baculo, vel Cardinalem, vel Legatum, vel alium dignitatis excellentis apud nos facere officium in Miſſa, vel Proceſſione, vel aliter quocunque modo, debet cum conſilio Capellani ſui, vel aliorum ſociorum eius, de neceſſarijs, ſecundum ſuæ dignitatis exigentiam providere, & gerere ſollicitudinem, quod non ſit defectus in aliquo, & quod fiant omnia ordinate.

Circa ornatus, & paramenta, & mundicias.

ITem ad officium eius pertinet apponere curam, quam poteſt, quod habeantur indumenta pro Miniſtris, & ornamenta pro Altaribus honeſta, & pulchra, & diuerſa, ſecundum diuerſitatem temporum, & Feſtorum; ita quod in diebus feſtiuis meliora producantur. Porrò ad ornatum

tum Altaris cuiuslibet, præter illam mappam, quæ adhæret lapidibus, debet habere aliam deſuper: quæ tam longa ſit, quod quaſi vſque ad terram ex vtraque parte deſcendat, ſuper quam palla iterum collocetur, quæ ſit adeo longa, & lata, quod quaſi totum Altare deſuper cooperiat, ſuper quam eſt corporale collocandum. Cum autem iſta fuerint replicata, debet haberi aliquod groſſum coopertorium ad totum cooperiendum Altare. Cogitandum eſt etiam ei, quo habeantur aliquæ Reliquiæ in vaſis pulchris, & decentibus, vel arcellis, & Cruces, & imagines competentis decoris: & de his aliqua ſunt ponenda in Feſtis maioribus ſuper Altare ad ornatum. Debet etiam habere curam, quod ampullæ, piſcinæ, & pelues, & alia vaſa, & vtenſilia, camiſiæ, albæ, pallæ, & tobaliæ, & Altarium corporalia, & manutergia, & cætera omnia linea in uſus Altarium, vel miniſtrorum ſic frequenter laventur; quod ſemper inueniantur munda, & nitida, & præcipuè ea, quæ ſunt circa Altaria. Corporalia verò, & panniculi pro abſterſione calicum, & manuum poſt ultimam ablutionem, lavanda ſunt ſeparatim ab alijs, & lotio in piſcinam ſacram mittenda. Cum autem conſumpta fuerint vetuſtate comburenda ſunt, & cineres in eandem piſcinam mittendi.

Circa Cuſtodiam rerum.

AD ipſum etiam pertinet cum de nouo ponitur in officio, facere memoriale de numero calicum, librorum, paramentorum, & omnium huiuſmodi, quæ ſunt valoris notabilis, & ſunt ab eo cuſtodienda. Et cauere debet ne perdatur aliquid de iſtis, ſed potius ſecundum eius induſtriam augmentetur. Et cum abſoluitur, ſucceſſoribus per memoriale debet rationem reddere de prædictis. Debet etiam cauere veſtimentis, & paramentis a putrefatione, & corroſione, interdum ad ventum, & calorem exponendo, non in locis humidis, ſed ſiccis, & a tineis conſervando, Debet curam habere, quod diſſuta reſarciantur, & læſa in ali-

aliquo, ſiue vaſa, ſiue vtenſilia, & huiuſmodi, reparen-
tur diligenter. Vetuſta, & minus vtilia, quæ poſſunt ven-
di, de licentia vendantur, & eorum pretia in aliqua me-
liora commutentur. Item debet oblationes omnes Eccle-
ſiæ recipere, & diligenter cuſtodire, & eas Procuratori in-
tegre reddere, vel neceſſaria pro Sacriſtia de illis procura-
re, & reſiduum eidem Procuratori, ſi quid fuerit, redde-
re: vel in alios vſus expendere, ſecundum quod Prior du-
xerit ordinandum. Pro receptione verò, & cuſtodia ho-
rum ſolent interdum haberi trunci in Eccleſia, vel pixides
clauſæ deſuper, cum modicis aperturis, vel alia huiuſmo-
di apta ad ſecuram reſeruationem. Sunt etiam habenda
aliqua armaria, & arcæ fortes, & aptæ ad cuſtodiam
rerum, vel in Sacriſtia, vel extra in loco ſecuriori,
vel vtrobique. Et Sacriſtia dedet eſſe fortis in oſtijs,
feneſtris, & clauibus, in qua etiam, propter rerum
cuſtodiam iacere poteſt cum vno ſocio, vel duobus,
cum locus ad hæc aptus fuerit: & hoc, ſi Priori vide-
bitur expedire.

Circa Ordinarium.

AD eundem pertinet ſcire benè Ordinarium totius Offi-
cij, vt per eum quandoque Fratres rectificentur de
aliquibus, quæ requirunt: & ea, quæ in eodem ſcripta ſunt
præter ſupradicta ad eum pertinentia; vt in cineribus in
capite ieiunij, & ramis in die Palmarum, & ſimilibus ſol-
licitè exequatur. Debet etiam habere curam, quod Ordi-
narium de Miniſtris, & Miſſa maiori, & alijs habeatur in Sa-
criſtia, vt Fratres per huiuſmodi ſcripturam certificari poſ-
ſint, cum de aliquo dubitant de prædictis. Summas quo-
que, & tractatus Magiſtrorum de officijs Eccleſiæ, debet
procurare libenter cùm poterit, ut in Sacriſtia inueniantur.
Poſtremò, quia in magnis Conuentibus difficile eſt omnia
ſupradicta ab vno executioni mandari; tamen cum ſocius
ei datus fuerit de conſilio Prioris, poſſunt ſupradicta ſic per
eos diuidi, ut utroque ſciente, quid ad ſe pertineat, nec
confi-

confidente de alio in his, quæ ad ſe pertinent, fiant ordinatiùs vniuerſa.

Cap. XI. De Officio Lectoris.

Circa Doctrinam.

OFficium bonis Lectoris eſt conformare ſe capacitati auditorum; & vtilia, & expedientia eis vtiliter, & intelligibiliter legere: opiniones nouas refugere, & antiquas, & ſecuriores tenere: ea quæ non benè intelligit nunquàm dicere: à faſtidioſa prolixitate, quæ accidere ſolet ex nimia repetitione eiuſdem, aut ex inuolutione verborum, vel ex alijs cauſis, cavere ſemper. Dare operam, vt ex lectionibus ſuis proficiant auditores, aut circa veritatem librorum, aut circa quæſtionum vtilium intelligentiam, aut circa aliqua, quæ poſſint ad morum ædificationem eſſe: literam tantùm legere, relicta multitudine eorum, quæ dici poſſunt ad ſingula, quod auditores ſub eo proficiant ad ſciendum Biblia, & hiſtorias, & ſententias, maximè lectiones, aut omnes, aut ſaltem vnam continuare libenter. Tempore verò vacationum, & in alio tempore, libenter legere debet aliquid Fratribus aliquibus in camera, qui habiles ad proficiendum in ſtudio reputantur. Dubitantibus vero, & interrogantibus de aliquo debet benignè, & charitatiuè ſatisfacere; prout poteſt, & ſcit. Cum verò exigente intelligentia, & utilitate auditorum, interdùm expedit diſputare, eligenda eſt ab eo materia vtilis, & intelligibilis, maximè ſi ſit diſputatio inter minùs peritos. Vt autem melius, & fructuoſius officium exequatur, debet ſtudere diligenter, & præcipuè in ſcriptis, quæ communi iudicio meliora reputantur. Et ut melius poſſit vacare ſtudio, ab alijs occupationibus, debet ſiue in domo, ſiue extrà, poteſt ſaluâ obedientiâ ſubtrahere ſe libenter.

Circa Vitam.

ITem ad ipſum pertinet, ut ſicut alios præcellit in ſcientia Diuina, ita, & in exemplo totius ſanctitatis, & virtutis, & præcipuè humilitatis, patientiæ, & ſobrietatis. Debet etiam animare alios ſermonibus, collationibus fraternis ad omnem Religionem obedientia ſpecialiter, & iuuare efficaciter Prælatos. Item ad Prælatos ſemper pacem habere debet, & reuerentia dignam, & cauere ne perturbatores, vel diſcoli, vel indiſciplinati apud eum refugium inueniant, vel favorem. In Refectorio, vel Choro debet libenter eſſe cum poteſt, & à Capitulo, vel Completorio nunquam ſine magna, & evidenti neceſſitate remanere. Diſpenſationes verò in ieiuniis, & abſtinentijs (cùm non indigent) aut nunquam, aut raró, & cum difficultate recipere; cum verò recipit, caveat ne in infirmitorio, vel hoſpitio, occaſione eius fiat aliqua diſſolutio, aut in vigilijs, aut ſuperfluitatibus, aut inordinatis locutionibus, & ſimilibus. Item nomine Magiſtri, vel Lectoris quantùm in eo eſt, non debet permittere ſe vocari, ſed ſolùm nomine Fratris. Cùm habuerit, debet ſe ad Socium habere non ſicut dominus, ſed ſicut Socius, & Frater, nec permittere debet, quod ei faciat ſeruitia, quæ non ſolent alijs Fratribus fieri, vt eſt facere lectum ſuum, & diſcalceare eum, & ſimilia. Debet etiam cauere ne camera ſua ſit in occaſione diſſolutionis, aut ex vigilijs, aut ex frequentibus ibidem collocutionibus, vel conuenticulis, vel clamoribus, vel huiuſmodi alijs. Item non debet verecundari, quin libenter quærat ab alijs dubitationes ſuas, immò quandocumque occurrunt notare debet diligenter, & cùm inuenerit à quo poſſit edoceri, quicunque ſit ille, quærere debet humiliter, & audire, & retinere diligenter. Debet etiam procurare quantùm in eo eſt, quod habere aliquem ſublectorem, qui legat interdùm cùm hoc requirit multitudo, vel vtilitas auditorum, & eidem charitatiuè in omnibus aſſiſtere debet. Porro monitiones ema-

emanantes à Capitulis circa Lectores, debet diligenter retinere in memoria, & ſervare. Licentijs verò generalibus de loquendo, vel remanendo à choro, & ſimilibus non debet vti propria auctoritate, & ad libitum ſuum, ſed proùt Priori viſum fuerit, & cauſa rationabilis requiſiverit. Poſtremo vero, vt Deo, & Prælatis, & Fratribus ſit acceptum eius obſequium, non debet ſe reddere difficilem ad legendum, vel quærere in hoc aliquid, quod ſapiat vanam gloriam, vt eſt legere in maioribus Conventibus, vel anhelare ad habendam licentiam in ſolemnibus ſtudiis; vel ferre graviter, ſi de modo legendi in aliquo corrigatur; ſed bono animo debet implere quidquid à ſuis maioribus fuerit ordinatum, & ſe corrigere libenter in his, quæ fuerint ſibi dicta corrigenda.

Cap.XII. de Officio Magiſtri Studentium.

Circa Studium in genere.

OFficium Magiſtri Studentium eſt habere zelum, & curam ſpecialem de ſtudio promouendo, modis omnibus, quibus poteſt. Et ideo debet habere in memoria ea, quæ ſcripta ſunt in Conſtitutionibus, & Ordinationibus, quæ emanaverint, vel emanant, quotidie a Capitulis vel Generalibus, vel Prouincialibus, a Priore Provinciali, vel Viſitatoribus circa ſtudium, & dare operam, vt diligenter ſerventur. Ipſius etiam eſt notare diligenter, & ſuggerere admonitiones, quas reputat expedire fieri Fratribus, pro ſtudij promotione in domo. Debet quoque ſollicitare Priorem, & maiores, vt procurentur libri vtiles pro Conventu: negligentias verò Prioris, & Fratrum circa ſtudium Priori Prouinciali, & Viſitatoribus referre fideliter, & ſuper his accuſare eoſdem, vel in domibus proprijs, vel mittere accuſationem ad Capitulum Prouinciale. Interdùm procurare etiam, & pro poſſe ſuo laborare, quod neceſſaria ad ſtudium, ſcilicet cellæ aptæ, attramentum, ſebum pro tem-

 pore

pore ad lumen, & ſimilia ſine defectu habeantur in domo, & Fratribus cum his indiguerint, miniſtrentur. Ipſius etiam eſt habere ſollicitudinem, quod habeantur ſcholæ competentes, & aptæ in feneſtris, & ſedibus, & contra pluuiam bene munitæ. Et vbi veniunt ſeculares, debet providere, quod recipiantur, & collocentur honorifice, iuxta exigentiam ſui ſtatus.

Circa Sermones.

ITem ipſius intereſt, iniungere ſermones, qui ſolent in capitulo fieri in omni feſto novem Lectionum, niſi legatur in ſcholis: & in capite ieiunii, & in vigilia Natalis Domini, & in alijs caſibus emergentibus, ſicut eſt tempore Capitulorum Prouincialium, vel Generalium, & quandocumque in caſu aliquo ſunt faciendi. Non ſunt autem ad huiuſmodi ſermones paſſim admittendi extranei, niſi vbi intereſſe voluerit competens multitudo, & hoc de licentia, & cum ſcientia Prælati, & debet dici illi, qui facturus eſt ſermonem, quod extranei debent adeſſe; & in hoc caſu non iniungantur ſermones alicui, niſi tali, de quo credatur, quod ſit idoneus ad laudabiliter proponendum. Porrò ſermones, qui fiunt in Generali, vel Prouinciali Capitulo, debet iniungere de licentia, & ſcientia maioris Prælati. Extraneis verò non debent huiuſmodi ſermones iniungi, niſi de ſcientia, & voluntate Prælati. Cùm autem contigit pertranſire Cardinalem, vel Legatum, vel Epiſcopum magnæ litteraturæ, vel Magiſtrum aliquem in Theologia, vel alium magnæ authoritatis virum, & in prædicatione exercitatum: vel Miniſtrum Fratrum Minorum Generalem, vel Provincialem, vel aliquem de Ordine noſtro Priorem, vel Lectorem, vel Fratrem alium in prædicatione famoſum: debet cum Prælato conferre, ſi ſit horum aliquis inuitandus ad prædicandum Fratribus in Capitulo aliqua die, & fiat quod ei videbitur faciendum. Huiuſmodi verò ſermones Capituli fieri ſolent vel poſt Matutinas, cum ſunt noctes prolixæ, vel poſt Primam, cùm hora illa non eſt in alijs occupata, vel poſt Nonam tempore dormi-

dormitionis diurnæ, vel alia hora, ſecundum ordinationem Prioris, in qua Fratres poſſunt commodius intereſſe. Pertinent verò ad ipſum pulſare hora competenti pro ſermone huiuſmodi. Cum autem horam variari contigerit, debet in præcedenti Capitulo, ſi hoc ſciuerit, Prælato dicere, vt Fratribus prædicatur. Debent autem huiuſmodi ſermones Fratribus tam tempeſtiuè iniungi, vt ſe de modico tempore non valeant excuſare. Debet etiam dirigere Fratres, maximè iuniores, indicando, in quibus libris inuenire poſſint opportunas materias ad prædicandum, & magis vtiles ad ſalutem audientium: & diligentiam adhibere, quod tales libri in domo habeatur, aut procurentur, quibus Fratres magis proficere valeant; & circa hoc frequentius ſollicitare Priorem, aut alios, ad quos ſpectabit, prouidere. Vndè cum aliquis Frater ſe excuſat à faciendo ſermone ſibi iniuncto, nec apparet rationabilis cauſa, præter ſolam ignauiam, non debet eſſe facilis ad relaxandum eum; ſed omnino vrgere, & omnem operam polliceri. Si autem imminenti die prædicationis, appareat ei, quod debeat eſſe defectus ſermonis ex cauſa quacumque, debet rogare Prælatum, vel alium ad hoc idoneum, quod ſuppleat hunc defectum, vel ipſemet ſuppleat: & ille, qui defectum huiuſmodi facit, ſuo tempore, vel in ipſo die ſermonis in Capitulo, corrigatur. Si autem aliqui Fratres adeo ſunt inepti, quod non ſperetur, quod vnquam poſſint habere modum prædicandi; non oportet, quod ſit nimis importunus iſtis, ad iniungendum ſermones. Ipſius etiam eſt præmonere Fratres, quibus iniunguntur ſermones, vt caueant à prolixitate ſermonum: interdum juxtà eos ſedere, vt cum nimis prolongant ſermones, faciat eis ſignum. Cum autem aliquid reprehenſibile dixerint in ſermone, debet ipſa die hora competente charitatiuè oſtendere Fratri, vt alias caueat circa illud; vel ſi melius ei videbitur, & fructuoſius, antequam ſermo fiat in Conuentu, præuidere quid ibi ſit dicendum, & blandè corrigere, ſi quid diſplicuerit; ne fortè Frater concionaturus animum de-

ſpondeat. Porrò ſermones ad populum in villa, vel extrà, debet alij, cui Prior iniunxerit imponere, & annexa illi officio exequi: vel ipſemet, vbi propter paucitatem Fratrum; hoc ei committitur à Prælato.

Circa Collationem.

CIrca collationes, quæ fieri eius opera, & diligentia inter Fratres ſoleant, advertat in primis, quod ad eas non ſunt admittendi extranei, ſiue ſeculares, ſiue Religioſi alterius Ordinis, niſi eſſent adeo familiares, quod in defectibus Fratrum, ſi quos ibi viderent, credatur eos non eſſe ſcandalizandos. Tam vero circa collationes priuatas, quàm circa publicas diſputationes, ad eum ſpectat ſuggerere Priori admonitiones, quas in capitulo faciat Fratribus: ad hoc, vt bene ſe habeant, & religioſè in omnibus prædictis. Item ad ipſum pertinet conuocare Fratres aliquo ſigno ad collationes in loco apto ad hoc, ſecundum ordinationem Prioris, & hoc ſemel, vel bis in ſeptimana, vel frequentius, ubi, vel quando non ſunt lectiones. Facienda autem eſt huiuſmodi conuocatio cum ſigno ad hoc determinato, vel poſt Nonam, binæ refectionis tempore, vel poſt Veſperas tempore ieiunij, vel inter comeſtionem, & Completorium in Quadrageſima; vel alia hora, in qua Fratres commodius poſſint intereſſe, ſecundum voluntatem Prioris. In huiuſmodi autem collationibus ſolet interdum recitari aliqua quæſtio determinata in ſcholis ab illo, cui fuerit iniunctum, vel recitari aliqua ab aliquo, qui eam præuiderit, ex iniunctione ſibi facta: & poſt recitationes, Fratres qui volunt opponant recitanti, &ità exercitent ſe opponendo, & reſpondendo. Vel ſolet ab eo quæri aliquid de lectionibus, vel quæſtionibus auditis a Fratribus, vt videatur de profectu eorum. Vel ſolent fieri collationes de moralibus, vel de certa aliqua materia, vt de Euangelio, vel de Epiſtola, vel de ſumma de vitijs, & virtutibus, vel de caſibus, & ſimilibus: ità quod quilibet Frater ſciat de quo titulo debeat recitare: vel de quolibet,

libet, ad voluntatem cuiuslibet, & ab illis, qui non ſunt adhuc ſufficientes ad maiora, ſaltem aliqua notabilis authoritas recitari. Solet autem interdum ordinari, quod vnus Chorus dicat vna vice, & alius alia vice; vel certis Fratribus iniungi, quod faciant collationem, alij in vna die, alij in alia die, & ſic de alijs. Et de modis iſtis quis ſeruetur, fiat cum conſilio Prioris, quod melius videbitur. Fratres autem, qui non faciunt, quod debuerint, vel in aliquo offendunt, vel falſum dicendo, vel authoritatem aliquam non bono modo aſſignando, vel confusè, vel prolixè loquendo, vel ibidem clamosè contendendo, vel alias quoquo modo reprehenſibiliter ſe habendo: debet ibidem verbis corrigere, cum humilitate, & curialitate; & de exceſſibus grauioribus ſuo tempore in Capitulo accuſare. Cum vero ſunt intermiſſæ aliquando collationes, & debent reſumi, debet hoc prædici in Capitulo præcedenti, & ordinari quomodo fiant.

Circa Diſputationem.

ITem ipſius intereſt inſtare, quod fiant diſputationes cum expedit, vel quod non fiant, vel raro fiant: vel quando non eſt ad hoc Lector ſufficiens, vel non ſunt qui conuenienter poſſunt apponere, vel reſpondere; vel non creditur, quod ſequatur inde notabilis vtilitas propter ſtatum auditorum. Cum autem fiunt, debet conferre cum Lectore, quod fiant de vtili materia. Debet etiam ante prædicere Fratribus tempeſtiue, de quo fieri debet diſputatio, vt ſibi prouideant; & docere, in quibus ſcriptis, & vbi poſſint de illa materia inuenire. Debet autem ſemper iniungere alicui, vt ſibi prouideant de reſpondendo, ſi neceſſe fuerit, ne ſit in hoc vnquam defectus. Debet autem iniungere Fratribus, qui ſunt ad hoc idonei, quod ſemper in omni diſputatione ſint parati apponere in aliquo: & quod ſibi in hoc prouideant illi, qui ſine præuiſione ad hoc ſufficere non putantur. Non debet autem aliquis incipere, opponere, vel reſpondere in ſcholis, niſi prius ei hoc impo-

ſitum fuerit, vel licentiam habuerit. Extranei vero quando veniunt ad diſputationes, honorandi ſunt, ut cedatur eis ab omnibus cum volunt opponere, & inuitentur ad reſpondendum; & ſi male dicunt, non confundantur: nec contendatur cum eis, & caueatur ab eorum offenſa. Porro ſi quis, vel Frater, vel Lector in diſputando in aliquo reprehenſibiliter ſe habuerit, debet eum ſuper hoc ſuó tempore in Capitulo proclamare. Si autem aliquis contentioſus notabiliter in diſputatione ſe habeat, & non ſperatur de eius correctione; debet ei imponere ſilentium extra ſcholas in aliquo loco charitatiue, vel ſuggerere Priori, quod hoc faciat in Capitulo publice, vel priuatim, ſi magis viſum fuerit expedire.

Circa Lectiones.

ITem ad ipſum pertinet conferre cum Fratribus, quot lectiones, & quæ ſint lectiones legendæ; & ad illud, quod ei viſum fuerit vtilius, inducere Lectorem. Vbi vero eſt ſtudium ſolemne, vel magna multitudo Fratrum, vel aliorum auditorum; debet procurare ſi poteſt, quod habeatur aliquis Frater, qui legat extraordinarie tempore vacationum: & in diebus vacationum, quibus non legit Lector ſaltem ſit aliquæ lectio leuis, vel de hiſtoriis, vel de aliqua ſumma, vel ſimilibus: & ſi aliqui ſunt iuuenes habiles ad proficendum, habeant aliquem Lectorem in Grammaticalibus, vel Logicalibus, & ſimilibus, prius ſuper hoc licentia impetrata. Item debet procurare, quod fiat repetitio Lectionum ſemper, vel per eum, vel per alium; vel per alios: vel modo per iſtum, vel modo per alium, vel vna lectio per vnum, alia repetatur per alium, prout ab ipſo, vel à Priora fuerit ordinatum. Fratres verò qui proficiunt, & non ſunt multum prouecti in ſcientia, & maxime iuniores, ſunt compellendi, vt repetitioni huiuſmodi interſint.

Circa profectum Fratrum in ſtudio.

ITem ad ipſum pertinet gerere ſollicitudinem circà Fratres omnes, & ſingulos, quomodo ſe habeant circà ſtudium, vel qui frequentant ſcholas, collationes, diſputationes, repetitiones: vel qui non libenter in cellis reſident, vel ſunt vagi, vel qui ſtudent, in quo ſtudent; qui habent voluntatem proficiendi in ſtudio, & qui non curant, qui ſtudent ordinatè, & qui confusè, qui circa vtilia, qui circa curioſa, qui libenter audiunt vel interrogant, quod neſciunt, & qui non: & quidquid circà hoc, & ſimilia inuenerint reprehenſibile in aliquo, ſtudeat emendare, modò per admonitiones ſecretas, & charitatiuas, modo per accuſationes, in Capitulo, & modijs alijs, quibus poterit diligenter. Cùm autem fuerint aliqui in Conuentu, de quorum profectu in ſtudio multum ſperetur, & ſunt benè morigerati; debet laborare, vt detur eis occaſio, & adiutorium ad proficiendum in ſtudio; iuuando eos ad hoc, in quibus poteſt per ſe, & innoteſcendo hoc maioribus, intercedendo pro eis, vt mittantur ad ſtudia meliora, aut parcatur eis ab alijs occupationibus; vt fiant eis aliquæ recreationes (ſi fuerint debiles) vt habeant aliquas licentias ab officio remanendi, & ſimilia, quæ poſſunt ad promotionem valere prædictam. *Hæc ferè omnia ad officium Regentis pertinent, iuxta Conſtitutiones noſtras diſtinct. 2. cap. 14. de Studentibus.*

Cap. XIII. de Officio Librarij.

Circa armarium.

OFficium Librarij eſt, habere curam vt poteſt, quod habeatur bonus locus pro Libraria, & ſecurus, & benè aptus contra pluuiam, & intemperiem, & copiam habens boni aeris pro libris cuſtodiendis. Armarium autem, in quo libri reponuntur, debet eſſe de lignea materia, ut melius cu-

ſtodiantur à putrefactione , vel nimia humectatione , & habere multa intermedia, & diſtinctiones, in quibus reponantur libri , & ſcripta diuerſarum facultatum , & diverſi libri & huiuſmodi ejuſdem facultatis ſeparatim , & non confusè, cum ſignationibus debitis factis per ſcripturam : quæ applicanda eſt vnicuique interſtitio , vt ſciatur , vbi inueniatur , quod quæritur . Debet autem ipſe cuſtodire clauem huiuſmodi armarij , ſeu Librariæ , & aperire , & claudere tempore ſuo : & habere cellam pro ſtudio (ſi locus eſt aptus) in ipſa libraria : vel propè , vt citiùs inueniatur , cum quæritur pro aliquo negotio ad ſuum officium pertinente .

Circa Libros .

ITem ad ipſum pertinet habere chartam,in qua ſint ſcripti omnes libri Conuentus , & cùm augmentantur , vel minuuntur , ſcribere , vel abradere in charta illa , ſicut fuerit faciendum . Huiuſmodi autem chartam debet tradere ſucceſſori ſuo , cum dimittit officium , & accipere à prædeceſſore cùm aſſumit officium de novo : vt ſic ſemper poſſit reddi ratio de libris , cùm exigitur à Prælato: ne per obliuionem eos deperire contingat . Ipſius etiam intereſt habere curam , quod per ſe , vel per alium , ſecundùm ordinationem Prioris reparentur , cooperiantur , & benè ligentur , & ſignentur in vnoquoque volumine in tergo cuiuſmodi libri, vel liber ſit , vel cuius ſcriptum , vel ſcripta contineantur in illo , & in principio cuiuslibet ponatur titulus huiuſmodi: *Iſte liber eſt talis Conuentus Fratrum Prædicatorum*. Et ſi fuerit dignum , quod dator libri in memoria habeatur , addatur , & dicatur , *quem dedit talis N. pro anima ſua* . Debet etiam dare operam , quod libri communes ſub eo augmententur , acquirendo eleemoſynas ad hoc aliquas cùm poteſt : vel à Nouitijs cùm intrant , & habent libros aliquos , vel laborando , quod de libris Fratrum decedentium aliqui ad vſus communes applicentur, & modis alijs , quibus poterit diligenter . Item debet apponere curam , quod libri , qui non habentur in omni genere facultatum ,

tum, habeantur. Cùm habentur aliqui duplices, vel triplices, de quibus Fratres non multum indigent, retentis melioribus alij cum licentia vendantur, & pretium in alios vſus librorum, qui non habentur, conuertatur; & idem fiat de veteribus, vel alias parum valentibus. Item ſemel in anno, vel bis, debet omnes recolligere, & ad locum idoneum reportare, cum ſocijs ad hoc ſibi deputatis ad vertendum, & ad videndum ne aliquis depereat, vel ne aliquis à vermibus deſtruatur. Quod ſi aliquem inuenerit deeſſe, debet diligenter laborare, quod reinueniatur. Si autem aliquis læſus fuerit in aliquo debet apponere curam, quod reparetur, & cauere in poſterùm ab his, quæ libris inuenerit nocuiſſe. Et cùm viderit aliquos libros de armario otioſos, debet illos ad armarium reportare. Item ad ipſum pertinet prouidere, quod in aliquo loco ſilentij, & apto, ſit aliquis pulpitus magnus, vel plures in quibus ligentur aliqui libri, quibus frequentiùs Fratres indigent cum habentur: vt eſt Biblia gloſſata in toto, vel in parte, Biblia ſine gloſſis, Summæ de Caſibus, Concordantiæ, Interpretationes, Decreta, Decretales Deciſiones morales, Sermones varij de Feſtis, de Dominicis per totum annum; Hiſtoriæ, Sententiæ, Chronica, Paſſiones, & Legendæ Sanctorum; Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ſimilia multa ut communitas Fratrum in promptu poſſit illa habere. Armarium vero ſic debet apertum tenere certo tempore, vel eſſe iuxta eum, vel in ipſo; vt qui volunt aliquid in tranſitu videre in alijs libris, qui ſunt, vel habere ad horam brevem poſſint copiam eorum de facili habere.

Cap. XIV. De Officio Examinatorum.

OFficium Examinatorum eſt reddere cautos Fratres, qui aliquem volunt examinari, quod non præſentent aliquem de quo certum ſit, quod non ſit ſufficiens; ne fiat ei, qui talis eſt, confuſio pro nihilo. Illos etiam de quibus veraciter conſtat per certos teſtes, vel facti euidentiam, vel famam publicam, quod ſunt benè ſufficientes, non opor-

tet examinare, ſed referre Priori huiuſmodi certitudinem. Cùm autem de aliquo propter dubium fuerit examinatio facienda, non expedit, quod fiat cum aliqua ſolemnitate, vel acerbè: ſed ità vrbanè quod ipſe, qui examinatur, quod ſit examinatus plenariè non aduertat, quod fiet quando, diuiſim, vel etiam ſimul Examinatores eundo per hortum, vel alibi loquuntur latinè cum eo modo de rumoribus mundi, modo de rebus impertinentibus ad ſcientias, modo de ſcientia aliqua inquirendo, in qua ſtuduit, & quantum, & vbi, & ſub quibus Magiſtris: & ſic intrando quaſi inſenſibiliter ad inquirendum aliquid de ſcientia, in qua ſtuduit, & modo transferendo ſe ad alios rumores, modo reuertendo ad propoſitum. Magis autem attendendum eſt ad ingenium, ad facundiam, ad aptitudinem ad addiſcendum, & ad bonam diſpoſitionem ingenij naturalem: quam ad hoc, quod multa audierit, & diù. Poſſunt etiam examinare illos, qui ſciunt ſcribere, imponendo eis, quod faciant aliquam litteram de aliqua materia, quam dent eis quaſi ad videndum quomodo ſciunt ſcribere: & tunc poſſunt ex modo dictandi, aliquid perpendere de ſufficientia illius. Poſſunt etiam inquirere ſi ſciunt cantare, & legere, vt ſi in huiuſmodi ſunt excellentes, poſſit facilius cum eis in alia inſufficientia diſpenſari. Poteſt autem ſufficiens, quo ad ſcientiam reputari quicunque talis eſt, quod ex bono ingenio, & alijs bonis naturalibus, & ex ſcientia iam acquiſita, vel ex alijs, quæ apparent in eo poteſt æſtimari, quod poſſit Theologiam addiſcere: & apud Fratres proficere ad hoc, vt poſſit tantum intelligere de ſcripturis, quod poſſit fieri Prædicator, vel Confeſſor ſecurus. Veruntamen ſecundum ſtatum, & indigentiam Prouinciarum, vel Conuentuum, & abundantiam, vel penuriam litteratorum in natione facilius ſunt aliqui recipiendi in vno loco, quam in alio; & poſſunt ſecundum modum patriæ, alicubi aliqui ſufficientes iudicari, qui alibi inſufficientes reputantur. Porro inquiſitio de moribus ſic cautè eſt facienda, vel a ſocijs, vel à notis, quod ipſi non aduertant propter quid fiat. Huiuſmodi autem inquiſitio fieri debet maximè circa

vitia,

vitia, quæ ſunt quaſi naturalia, & inſeparabilia: ut innata iracundia, ebrietas, vel à debelitate naturæ proueniens, vel à vitioſa conſuetudine: diſpoſitio ad furioſitatem, vel malitiam, vel percuſſionem, vel huiuſmodi perpetranda; & de receptione talium, & ſimilium, de quorum correctione vix ſpes habetur ſummopere eſt cavendum. Si verò poſt examinationem de ſcientia, & moribus huiuſmodi, videatur Examinatoribus, quod indubitanter recipi debeat examinatus ſic â Conuentu: poſſunt antequam plus procedatur, inquirere leuiter de illis impedimentis recipiendorum, quæ in Conſtitutionibus ſunt expreſſa; ne forte in vanum vlterius procedatur, ſi tale aliquod habeat, propter quod nullo modo ſit recipiendus. De omnibus autem, quæ inuenerint, debent Priori, & Conuentui relationem facere fideliter, nec zelo receptionis, & repulſionis in partem aliquam declinare.

Cap. XV. De Officio Circatoris.

OFficium Circatoris debet imponi tali Fratri, qui ſit zelator Religionis, & maturus, & induſtrius ad cognoſcendum ea, quæ ſunt Religionis, vel contra; non præceps in zelo ſuo. Huiuſmodi ergo officium eſt circuire per totam Domum, & per omnes officinas, & in Eccleſia exteriori, & vbi Fratres ſolent Confeſſiones audire, vel loqui, vel morari cum exterioribus; & per omnia alia loca infra ambitum clauſuræ exterioris, ſemel vel plures in die; præcipuè cum viderit expedire. Specialiter verò poſt prandium tempore dormitionis id facere tenetur, & notare, ſi alicubi invenerit in quocunque loco aliquid fieri ab aliquo Fratre, ſiue maiore, ſiue minore, quod ſit contra Religionem, vel debitam honeſtatem. Præcipuè autem debet circuire poſt vltimum ſignum, vel cum lumine, cum profunda nox fuerit, vel ſine lumine, cum adhùc dies ſit,

per

per hoſpitium , & infirmitorium : ad videndum, ſi ſunt adhuc in locutionibus , vel aliquibus diſſolutionibus Fratres aliqui ; & per Oſtia ſingula claudenda , ad videndum utrum ſint bene clauſa. Et tempore Matutinarum interdùm per dormitorium , & cellas, ad videndum, ſi aliqui remanſerint in locis iſtis. Ipſius etiam intereſt prouidere, ne aliquod oſtium faciat inquietitudinem tempore ventoſo ; & ponere repagula in oſtijs, & feneſtris, cum fuerint reponenda. Cum autem pluvia ſuperinundat , debet citò ſuccurrere in locis, in quibus maximè nocere poteſt, & præcipuè circa libros . Si aliqui remanſerunt in lectis, vel ſi dicunt Matutinas , qui remanent de licentia, loco, & tempore debito, vel ſi qui habent licentiam cauſa ſtudij, vacant ſtudio tunc, vel reuertuntur ad lectos. Verum non eſt eius] ſingula circumeundo corrigere , ſed notare , & memoriæ commendare , & proclamare proclamandos in capitulo , & referre graviores diſſolutiones , & magis inuſitatas Prælatis , vt maius apponant conſilium ; & tempore viſitationis Prouinciali, vel alij Viſitatori ſtatum Domus quo ad Religionis obſeruantiam plenius indicare. Poteſt tamen aliquod leue verbum dicere interdùm , vel ſignum aliquod facere in tranſitu , ad diſſolutiones aliquas compeſcendas , & præcipuè poſt vltimum ſignum, vel tempore dormitionis diurnæ . Ad ipſum etiam pertinet diligenter notare , ſi clauſura Domus ſit bona , ſi bona oſtia , ſi bonæ claues vbique : & ſi quid in his emendandum fuerit pro hoc inſtare apud Prælatos frequenter . De claudendis vero oſtijs aliquibus, vel clauibus oſtiorum aliquibus cuſtodiendis , & accipiendis, & reddendis , facere debet prout Prior ordinaverit. Porrò ſi Conuentus adeo magnus fuerit , quod unus Circator non ſufficiat , debent aſſignari duo , vel plures ; & ità inter ſe diuidere officium per loca , & tempora ; quod nihil ex mutua confidentia negligatur . Si autem Circatorem recedere contigerit ad breue tempus debet alicui vices ſuas committere : ſi ad longum tempus, debet ad memoriam reducere Prælato, quod alicui vi-

vices ſuas imponat, vſque ad ſuum regreſſum. Item Prior, & Supprior poſſunt, & debent interdum huiuſmodi officium exercere (non obſtante, quod ſit alius Circator) cum eis videbitur expedire.

Cap.XVI. De Officio Cuſtodis Dormitorij.

CVſtodia Dormitorij ſolent iniungi Fratribus per ſeptimanas in tabula, vel alicui Conuerſo, ſeu Clerico, qui ad alia minus vtilis inuenitur, poteſt iniungi ſimpliciter. Huiuſmodi autem officium eſt claudere, & aperire dormitorium ſuis temporibus. Cum autem poſt vltimum ſignum, vel ſecundam menſam tempore dormitionis fuerit claudendum, debet facere cuſtos aliquod ſignum modicum cum clauibus parum antequam claudat, vt ſi qui adhuc extrà ſunt intrare feſtinent. Verum ſi fuerint hoſpites Fratres, debet inueſtigare vtrum fuerint expediti, & ſi ſic propter eos, non oportet amplius expectare. Si autem non fuerint expediti, & intrare debent dormitorium, poteſt aliquantulum expectare, & ſignum eis facere, quod feſtinent. Ad eum etiam pertinet claudere, & aperire feneſtras communes dormitorij, & cellarum, & camerarum, etiam proprias ſingulorum in abſentia Fratrum, cum fuerint aperiendæ, cauſa aeris, vel pluuiæ, vel caloris, vel frigoris, vel venti, vel alicuius inquietudinis, & huiuſmodi. Ipſius etiam intereſt prouidere, ne aliquod oſtium faciat inquietudinem tempore ventoſo, & ponere repagula in oſtijs, & feneſtris, cum fuerint reponenda. Cum autem pluuia ſuperinundat, debet cito ſuccurrere in locis, in quibus maximè nocere poteſt, & præcipue circa libros. Defectus autem circa oſtia, & feneſtras, & claues, & repagula, & coopertùram dormitorij, cellarum, camerarum, & domorum aliarum, & viarum, ſi quæ ſunt his annexæ, debet ſignificare Priori, & iſtare, ut emendentur. Item ad ipſum pertinet prouidere de oleo in lampadibus dormitorij, & camerarum,

& vijs

& vijs inter hæc: & accendere, & extinguere huiuſmodi lumina tempore ſuo. Item ipſius eſt, ſi aliquæ immunditiæ inueniantur in cameris, quæ ſunt abſtergendæ, vel dormitorium ſit ſcopandum, vel cællæ; hoc per ſe facere, ſi poteſt commodè, vel cum alijs adiutoribus ſibi datis. Item debet habere curam, quod ſic ſemper ſit aptatum dormitorium, quod ſi quos intrare contigerit, nihil ibi videant, quod eorum offendat aſpectum. Et debet aliorum negligentias in huiuſmodi ſupplere, faciendo circa hæc, quod fieri debet; & ipſos ſuper huiuſmodi negligentijs in capitulo proclamare. Item ſi fuerint plura oſtia in dormitorio, debet habere locum ad ſedendum, vel ſtudendum propè illud, per quod communius eſt ingreſſus ſecularium de die, & alia ſi fuerint claudenda claudere. Iuxta introitum verò illius oſtij, debet eſſe campanula parua, in qua faciant illi, qui introducunt extraneos, vel ipſe ſi præſciuerit ingreſſum iſtorum, ſignum, ſi illi Fratres omiſerunt facere ſignum: ut Fratres, qui ſunt in dormitorio, vel in cellis hoc audito caueant ne apud eos aliquid videant, quod eorum offendant aſpectum, & in quo malè ædificentur. Ipſe etiam debet eſſe ſollicitus, ne per illos, qui ſic intrant, vel etiam occaſione aliquorum operum, libros aliquos, vel res alias deperire contingat. Item cauſa ſeruandi dormitorium ſecurum, vel ſaluum poteſt remanere a Matutinis, vel alijs Horis, vel a prima menſa, cum neceſſe fuerit, & Prior duxerit ordinandum. Si vero non hoc fuerit viſum Priori, nihilominus cum vadit ad Horas, vel ad menſam, debet habere curam, quod claudantur, quæ claudenda fuerint, vel ponatur ad cuſtodiam alius loco ſui. Notare quoque qui aliqua reprehenſibilia habet, vel faciunt circa lectos, & cellas ſuas, & ipſo in capitulo proclamare. Fratribus verò, qui circa ſe ſunt negligentes, aut in coopertorijs, aut in cuſſinis, aut in lecti commoditate aliqua, & ſimilibus, compati debet, & procurare, quod eis melius prouideatur.

Cap.XVII. De Officio Portarij.

Circa ſtatum Portarii.

CVſtodia portæ debet iniungi tali Fratri Converſo, vel Clerico, ſi poteſt haberi, qui ſit ætate provectus, religioſus, aſpectu gratioſus, & in actibus ſecurus: contra omne vitium, diſcretus in ſenſu, prudens in reſponſis, dulcis in affectu; qui nullum multiplicibus interrogationibus fatiget, nullum dura reſponſione, aut iniurioſa, vel ruſtica collutione commoueat: qui ſcandalizatos ſciat placare, & omnes cum eo moram aliquam contrahentes, vel eidem ſe applicantes, verbis, & factis ædificare ſufficiat. Hic debet habere locum aliquem aptum juxtà portam intrinſecus, in quo cùm non habeat aliam operationem, operetur aliquid, ſi eſt Converſus, vel legat, vel ſcribat, vel aliud honeſtum faciat, ſi eſt Clericus. Non autem debet eſſe vagus, ſed ibi continue reſidere: niſi forte ex cauſa rationabili interdùm declinet, & alium, vel ſocium, ſi habet loco ſui, ponat. Cum autem alibi eum declinare oportet, & nullus ibidem remanet, ſic debet oſtium firmare, quod nullus ante ſuum introitum poſſit intrare. In hoc quoque loco, cum ſocium non habuerit, poterit tempore dormitionis diurnæ remanere, propter advenientes: vel vigilare, vel paululùm dormitare, & in nocte à Matutinis remanere, niſi per Priorem aliter fuerit ordinatum, videlicet, vt de die dormiat, & aliquis ſit in loco illa hora pro eo: & hoc idem ſeruetur de remanendo à prima menſa, & collatione, hoc addito; quod cum comedit in ſecunda menſa, ordinetur, qui tunc portam cuſtodiat loco eius. Si autem ſocium habuerit Fratrem, tunc per ſeptimanas poſſunt diuidere quis de die lectum intret, & in prima menſa comedat, & interſit collationi communi. Si verò fuerit ſecularis ſocius, tunc ſecundùm ordinationem Prioris fiat de dormiendo de die; & comedendo in prima

menſa,

menſa , & de conveniendo ad collationem communem : ita quod ſocius ſemper portam cuſtodiat , cum ipſe fuerit abſens . Porrò ab Horis diurnis , & Miſſa ſemper remanere poteſt , ſi fuerit Conuerſus , & Miſſam audire in mane privatam , antequam in ſuo officio eum oporteat occupari . Si autem fuerit Clericus , eodem modo ab Horis poteſt remanere , niſi propter paucitatem Fratrum ſit eius præſentia interdùm neceſſaria : & ſemper Miſſam audiat Conuentualem , vel privatam ; ita tamen , quod in his caſibus , aliquis ſit in porta loco eius . Si fuerint duo Fratres ad portam , tunc ſi ſunt ambo Clerici , vel vnus , ſemper Clericus vnus ſit in Miſſa maiori , ſi poteſt alius competenter ſupplere , quæ tunc circa portæ cuſtodiam ſunt agenda .

Circa multa Officia eius .

ITem ad eum pertinet habere curam de portis , per quas eſt ingreſſus ad curiam exteriorem , & ad clauſtrum claudendis , & aperiendis ſuo tempore ; & claves vel ſervare , vel tradere illi ſervandas , de quo Prior ordinaverit . Si aliqui de nocte pulſaverint ad intrandum , vel exire voluerint , debet inueſtigare cauſas , & cum difficultate , & non ſine licentia ſpeciali tunc alicui aperire .

Item , cum aliqui Clerici , vel Religioſi , vel peregrini tranſeuntes petunt hoſpitium , vel comeſtionem , debet vel vrbanè oſtendendo paupertatem Domus , vel conſuetudinem contrariam eos expedire : vel procurare , quod petunt , ab illis , ad quos pertinet , ſi fuerint perſonæ dignæ , vel de ſcandalo , ſi non fiat , timeatur . Cùm autem aliqui recipiuntur ad comedendum ad portam intus , vel extra , debet gerere curam de miniſtrando eis charitative , & munde , quod fuerit miniſtrandum , & curialiter licentiare , cùm fuerint expediti . Item ipſius eſt cum omnibus , qui cum eo reſident , vel moram contrahunt , aliquid loqui de Deo ; & cavere , ne quis ſcandalizatus recedat ab eo . Item , cùm videt aliquos per Domum diſcurrentes , debet eos pacificè ,

fice, & curialiter reuocare. Eos verò qui quandoque intrant ſine licentia, & non conſueuerint licentiari ad intrandum, debet ſimiliter pacificè, & manſuetè inducere ad egreſſum. Cum pulſatur ad portam, cito debet adeſſe per feneſtram paruam aliquam, (quæ ſemper debet eſſe in oſtio,) antequam oſtium aperiat, reſpicere perſonam pulſantis; & ſi fuerint tales, quas non oportet introduci, vt mulieres, & viles perſonæ, debet eis ſatisfacere ſicut poterit in his, quæ petunt, ſine introductione. Cum autem introducendi fuerint, ſi ſunt perſonæ excellentes, ducat eos ad Capitulum, & advocet illis Fratres, qui fuerint advocandi. Si fuerint perſonæ mediocres, remaneant prope portam, & ibi advocentur ad eos, qui fuerint advocandi. Si vero Prælati, vel Religioſi, primo ducantur ad Eccleſiam ad orandum, quam ad Capitulum. Si vero fuerint Fratres extranei, ducantur ad Eccleſiam, & quæratur qui det eis benedictionem, & ſignificetur ſtatim hoſpitium receptori. Si vero perſona fuerit excellens, vt Epiſcopus, vel Abbas, vel vir nobilis, magnus amicus Fratrum, vel ſimilis; dum venerit ad Domum Fratrum, debet hoc indicare Prælato, etiam ſi non petatur ab eis. Item in recipiendo aduenientes, debet habere modos diuerſos ſecundum differentiam perſonarum: omnes quidem in primo occurſu, debet affabiliter recipere, & iucunde, ſi vero fuerint Religioſi cum humili inclinatione, & reuerentia. Si Epiſcopi, vel Abbates excellentes, cum maiori humiliatione, vel oſculando manus, vel flectendo genua, ſecundum morem patriæ. Si Fratres Minores, vel noſtri extranei, vel magni familiares, cum ſummo gaudio, & charitate magna. Si fuerint Principes, vel ſublimes in ſtatu ſæculari, cum magno honore tam per ſe, quam per alios Fratres, ad hoc idem per ipſum inuitatos. Debet etiam habere magnam ſollicitudinem de cognoſcendis familiaribus Fratrum, vt cum venerint, nullus defectus fiat circa eorum receptionem: & debet Fratribus qui non cognoſcunt eos, eorum notitiam dare; & Prælatos incitare ad oſtendendum eis omnem familiaritatem, & humanitatem in hoſpitio, &

in alijs quibuſcunque. Item in vocando Fratres ad portam, debet ſeruare modum, qui à Prælato fuerit ordinatus. Ordinant autem Prælati quandoque ex cauſa, quod aliqui Fratres nunquam vadant ad portam, aut nunquam ad mulieres, aut nunquam ad talem, vel talem perſonam, aut numquam niſi prius dicatur eis, talis aut talis vocatur à tali: quandoque autem dant licentiam aliquibus, vt Confeſſoribus, vel alijs, qui poſſint ire, quandocunque vocantur: de alijs volunt, vt non vadant ſine licentia ſpeciali, primo quæſita à portario, non à Fratre, vel è contrario ab ipſo, non à portario. In his ergo, & ſimilibus obſeruare debet Domos conſuetudinem, & ordinationem Prioris. Item ipſius intereſt notare Fratres, qui in aliquo excedunt circa portam, aut nimis loquendo cum mulieribus, frequenter, & leuiter veniendo, & morando in porta aut qui duros ſe exhibent ad veniendum ad Confeſſionem, & ſimilia, & referre Prælatis, vel proclamare interdum, vel facere proclamari eoſdem. Si quis etiam ſit defectus in ſeris, in portis, in clauibus, & repagulis pertinentibus ad ſuum officium, debet hoc indicare Priori, & inſtare, quod emendetur. Porro ſi duo, vel plures fuerint portarij, debent onera, & officia ita inter ſe diuidere, quod in ſpe alterius, alter defectum non faciat, ſed fiant omnia plene, & ordinate.

Cap. XVIII. De Officio Depoſitariorum.

CVſtodia Depoſitorum ſolet imponi duobus, vel tribus Fratribus, diſcretis, & ſecuris, quorum quilibet debet habere clauem vnam de loco depoſiti, nec alij committere, ſed apud ſe diligenter cuſtodire. Iſti autem debent habere curam, quod locus depoſitorum ſit ita firmus, & ſecurus in omnem euentum, quod nec ab interioribus, nec ab exterioribus, poſſit aliquatenus temeraria manus ad Depoſitum aliquod unquam extendi. Porro in recipiendo Depoſita, cavere debent ne vnquam recipiant aliquod depoſitum ſine licentia ſpeciali, vel generali: nec depoſita recipiant, quæ ſe-

ſecundùm Conſtitutiones noſtras recipi non debent, niſi fortè ex depoſitione Prælati expreſſe facta ſuper hoc, interdum ex cauſa. Item ſecurius eſt quod ſemper illud, quod recipitur, recipiatur ſignatum, vel clauſum quam aliter: quia in rebus, quæ ſunt in pondere, numero, & menſura, ſi aliter reciperentur; videretur ſecundùm iura, quod periculum tranſiret ad depoſitarium, & non apud deponentem remaneret, & ideò ſi periret, poſſet agi contra depoſitarium, ſicut de commodato. Item debet in aliquo memoriali ſubſcribi cuius ſit Depoſitum, & quid inde deponens ordinauerit, de reddendo ſibi, vel alij: vel quid inde ſit faciendum, ſi contigeret non repeti, vel deponentem mori. Item ſolet interdùm per chirographum, cuius vna parte ſit apud deponentem, alia apud Depoſitarium, ordinari de depoſito, ſecundùm voluntatem deponentis, de modo reddendi: licèt iſtud, ſecundùm iura non reputetur multum efficax ad aliquod probandum. Item cauendum eſt depoſitarijs, ne vnquam aliquid accipiant de depoſito, nec etiam pro mutuo, ſine voluntate deponentis, nec depoſitarius tenetur ſuper hoc in contrarium obedire Prælato. Item Depoſitum ſemper reddi debet ſecundum formam traditam a deponente, niſi in caſibus quatuor exceptis à iure. Primus eſt, cum quis gladium deponit, & furens repetit. Secundus, cùm deponens fuerit deportatus, nam bona eius tunc in publicum deferuntur. Tertius eſt cum fur deponit, & repetit, ſed repetitio domini cum fure concurrit. Quartus, cùm fur rem furtivam deponit apud illum, a quo ſurripuit. Et ſciendum quia ſi res deponitur præſente Prælato, & Capitulo, tenetur Eccleſia illa de depoſito, aliter non; niſi ſolus ille, vel illi apud quos deponitur, vt Sacriſta Theſaurarius, & huiuſmodi. Cùm autem redditur depoſitum, ſemper ſub bono teſtimonio reddi debet, propter calumnias evitandas, quæ naſci poſſent, ſi aliter fieret.

Cap.XIX. De Officio Procuratoris.

PRocurator licet verſetur circa temporalia, tamen quantæ virtutis debeat eſſe, debet conſiderari ex verbis Beati Benedicti, de ſtatu Cellerarij (qui apud nos Procurator vocatur) ſic loquentis: *Cellarius Monaſterij eligatur de congregatione ſapiens, maturus moribus, ſobrius, non multum edax non elatus, non turbulentus, non iniurioſus, non tardus, non prodigus: ſed timens Deum, qui in congregatione ſicut pater curam gerat de omnibus: ſine iuſſione Patris nihil faciat, quæ iubentur, cuſtodiat, Fratres non contriſtet.* Si quis Frater ab eo forte irrationabiliter aliqua poſtulat, non ſpernendo eum contriſtet, ſed cum humilitate male petenti deneget: animam ſuam cuſtodiat, memor ſemper illius Apoſtolici præcepti: *Qui bene miniſtrat, gradum bonum ſibi acquirit.* Infirmorum, infantum, hoſpitum, pauperumque cum omni ſollicitudine curam gerat, ſciens ſine dubio, quod pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus eſt. Omnia vaſa Monaſterij, cunctamque ſubſtantiam, ac ſi Altaris vaſa ſacrata conſpiciat, nihil ducat negligendum, nec auaritiæ ſtudeat, ne prodigus ſit, aut extirpator ſubſtantiæ Monaſterij, ſed omnia menſuratè faciat ſecundùm iuſſionem Abbatis ſui. Humilitatem autem ſuper omnia habeat, & cùm ex ſubſtantia non eſt quod tribuatur, ſermo bonus reſponſionis porrigatur, vt ſcriptum eſt: *Sermo bonus, ſuper datum optimum.* Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipſe habeat ſub cura ſua, a quibus eum prohibuerit, non præſumat Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo, vel mora offerat, vt non ſcandalizentur, memor eloquij Diuini, quid mereatur, *qui ſcandalizaverit vnum de puſillis iſtis, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Si congregatio fuerit magna, dentur ei ſolatia, a quibus adiutus, & ipſe æquo animo adimpleat officium ſuum. Horis competentibus dentur, quæ danda ſunt, & petantur, quæ petenda ſunt, vt nemo perturbetur, neque contriſtetur in Domo Domini.

Circa

Circa actus multiplices.

AD huius officium pertinet, recipere omnia, quæ dantur Domui, vel procurantur, vel obueniunt quoquomodo: niſi quando fortè Prior in aliquo aliter interdùm duxerit ordinandum. Item facere, & ſoluere omnes expenſas, quæ fiunt in Domo, niſi fortè circa Sacriſtiam, vel opera, vel alia huiuſmodi Prior aliter ordinaverit. Item recitare fideliter beneficia omnium in Capitulo. Item computare de omnibus coram Priore, & Suppriore, & Fratribus conſiliarijs, quoties ipſis viſum fuerit, & debet habere proprium ſcriptum, in quo recepta, & expenſa ſollicitè ſcribat quotidiè, ne per oblivionem aliquid omittatur; in quo etiam ſtatus Domus quo ad ea quæ debentur eidem, diligenter, & per ſingula aperte deſcribat. Item ipſius intereſt emere omnia, quæ emenda ſunt tempore ſuo, vt ligna, oleum, corium, & ſimilia, quæ ſolent emi. Similiter vendere, ſi quæ vendenda fuerint, de his quæ ſub manu eius ſunt, vt bladum interdùm, vel vinum ſuperfluum, & huiuſmodi. Item cùm inſtat tempus ad procurandum in aliquo, vel quærere; debet ſuggerere Prælatis tempeſtive, quod ordinent de Fratribus ad hoc mittendis. Cum autem aliqua quæſita fuerint, debet habere curam qualiter apportentur, & apportata qualiter in locis debitis reponantur, & conſeruentur. Item debet habere ſollicitudinem generalem, ne aliquæ res ex mala cuſtodia depereant, vel male tractentur, ne fiant ſuperfluitates in hoſpitio, vel infirmitorio, vel alibi, & ea quæ remanent, diligenter recolligantur: quod officiales particulares, vt ſeruitor hoſpitum, ſeruitor infirmorum, Coquinarius, Refectorarius, & ſimiles, officia ſua diligenter faciant; & ad hæc videnda interdùm diſcurrere debet per officinas, & ſupplere defectus eorum, & ſuper huiuſmodi facere proclamationes in Capitulo. Item ipſius eſt habere ſpecialem curam quotidie de Conventu, & hoſpitibus, ſi fuerint

procurandi, & de pictantiis, ſecundùm poſſibilitatem Domus, & Prioris ordinationem faciendis. Circa horam verò prandij debet ſemper viſitare coquinam, & ſi res non ſunt paratæ, facere diferri pulſationem cymbali. Et cum viderit expedire, vel cauſa hoſpitum, vel Conuentus, vt iuuet in coquina, vt melius fiant omnia, poteſt à prima menſa remanere. Ad ipſum autem pertinet tempore minutionis generalis, vel particularis, tempore raſuræ, tempore lotionis pedum, vel capitum Conuentus, tempore ignis faciendi propter frigus pro Conuentu, cogitare, & prouidere de neceſſariis ad hoc, & pro miniſtris ad hoc neceſſariis requirere Prælatum; vt eos aſſignet, vel in tabula pronuncientur. Item debet habere curam de cognoſcendis amicis Fratrum, & familiaribus: & cum ad Domum veniunt, eos honorificè, & deuote recipere, & tractare. Licet autem ſine licentia generali, vel ſpeciali nihil dare debeat, tamen debet conſiderare, quibus expediat aliquando aliqua ſeruitia fieri, vel de fructibus horti, vel de mittenda aliqua pictantia, vel faciendo aliquam remunerationem pro ſeruitijs exhibitis, vel in domo a gartionibus, vel extra ab aliquibus pauperibus, licet gratis: & ſimilia, & ſuggerere Priori, quod bonum videbitur in hac parte, & cum licentia eius facere, quod fuerit faciendum. Circa gartiones debet habere diligentiam, vt videat qui valent, qui utiles, qui fideles, qui neceſſarij, qui ſuperflui, qui religioſi, qui irreligioſi, qui ſuſpecti, qui ſecuri ſunt: & quod ei videbitur bonum de abijciendis, de retinendis, de recipiendis de nouo, ſuggerere Priori; & cum conſilio, & licentia ius facere, quod fuerit faciendum. Item ad ipſum pertinet iuxta poſſe ſuum procurare per ſe, & per alios vtilitatem Domus in teſtamentis, & alijs modis, quibus poterit, iuxta modum, qui fuerit conſuetus in Domo.

Cap.XX. De Officio Conſiliariorum.

QVædam modica frequenter oriuntur in Religione, quæ Prælatus poteſt ſine conſenſu aliorum expedire. Quædam vero ſunt adeo magna, quod nullo modo debent ſine conſilio Conuentus expediri: quædam vero media, ad quæ expedienda ſolent aſſignari Fratres aliqui a Conuentu, de quorum conſilio, quæ huiuſmodi ſunt expediantur, ne vel Conuentus in huiuſmodi nimis fatigetur vel Prælatus pro ſuo libitu faciens iſta, minus ſapienter procedat. Debent ergo ad hoc aſſignari, ſi poſſibile ſit, Fratres, qui bonæ ſint diſcretionis, exercitati in agendis, amatores boni, in ſenſu ſuo non nimis abundantes, authoritatis competentis, & qui Dei ſpiritum habere credantur. Porro ad horum officium pertinet audire cum Priore, Suppriore, & Procuratore computationem, & ſcire ſtatum Domus in his, quæ habentur, & quæ debet Domus. Item dare conſilium circa ædificia, circa officiales creandos, vel abſoluendos, & mutandos, circa Fratres ad Ordines promouendos, circa miſſionem Fratrum, & combinationem: vel cauſa prædicationis, vel quæſtus, circa familiam recipiendam, vel abijciendam, vel ſuſtinendam, circa prouiſiones in neceſſarijs emendis, vel procurandis, circa diſtributionem librorum Fratrum defunctorum, & ſimilia, in quibus neceſſario non requiritur de iure conſenſus Conuentus. Porro in apponendo ſigillum Conuentus aliqua littera, vel charta, in alienatione, vel emptione rerum immobilium, & mobilium, in magna ſumma, in receptione Fratrum, & ſimilium, in quibus requiritur de iure conſenſus Capituli, cauere debent, ne dent conſilium ſine licentia, & cum ſcientia Conuentus (niſi forte ſuper his commiſſionem habeant a Conuentu) ſed referre debent talia ad Conuentum.

Cap.XXI. De Officio Eleemoſynarij.

Circa petitionem eleemoſynæ.

ELeemoſynarius dicitur, qui habet petere eleemoſynam. Porro ad iſtud officium debet poni talis Frater Conuerſus, qui ſit ſecurus contra omne peccatum, affabilis in verbis, amabilis, & honeſtæ conuerſationis inter homines, qui ſufficiat aliqua verba ædificatoria ſimplicia interdum dicere: prudens in obſeruando quid, & quando, & qualiter, & a quibus petere debeat, non importunus notabiliter in petendo, nec tædioſum ſe reddens hominibus; nec de fructu ſui laboris, & induſtriæ ſuperbiens inter Fratres. Ad huiuſmodi officium pertinet eſſe ſollicitum qualiter caute, & religioſe melius poſſit procurare eleemoſynas pro Fratribus, ſiue in pane, ſiue in pictantiis, ſiue pro infirmis, ſiue in denariis, ſiue in aliis rebus ſecundum morem patriæ, & ordinationem Prioris. Quod autem in pecunia acquirit, debet ſecundum ordinationem Prioris, vel in pane, vel in alijs neceſſarijs expendere, vel Procuratori tradere. Debet autem ſibi familiares acquirere, qui eum, & Domum iuuent, & dirigant interdum in procurando aliquas eleemoſynas de teſtamentis, vel alijs eleemoſynis. Item eundo per villam, non ſe debet a Socio ſeparare, maxime cum aliquam domum intra; & cauere debet ne vnquam cum mulieribus longas collocutiones habeat, vel frequentes, ſedens cum eiſdem. Vbi autem eſt conſuetudo, quod petitur eleemoſyna panis, clamando pro Fratribus, debet ſub nomine Prædicatorum, & non alio. Ad Magnates autem cum tranſeunt, non debet pro eleemoſyna accedere, niſi prius habita collatione cum Prælato. Et cum accedit, debet explorare modum Curiæ illorum virorum, videlicet vtrum in propria perſona ſoleat ab eis peti eleemoſyna, vel ab eleemoſynarijs ſuis, vel alijs de curia ſua, & conſuetudinem curiæ ſeruare. Item cum Fratres habent aliquid mandare, vel explorare aliqua quæ per

eos expediri poſſunt, & procurari in villa, debet hoc libenter expedire, ne diſcurſus per alios oporteat multiplicari.

Circa largitionem eleemoſynarum.

PORro ad largiendam eleemoſynam communem ſecundum poſſibilitatem Domus, ſolet Frater aliquis aſſignari: vel idem: qui habet petere eleemoſynas, aut alius qui ſit pius in compatiendo, manſuetus in tolerando improbitates, & moleſtias petentium, diſcretus in diſtribuendo, ſollicitus in congregando, quæ fuerint largienda. Ad huius officium pertinet recolligere debito tempore in Refectorio, in procuratione, in hoſpitio, in infirmitorio, in coquina, tam Conuentus, quam infirmariæ, in domo familiæ, & vbicumque ſolet in domo comedi, ea quæ remanent ad eleemoſynam pertinentia: & ſeruare munde, & honeſte in vaſis propriis ad hoc deputatis, in loco honeſto uſque ad tempus diſtributionis. Ea vero, quæ in infirmitorio colliguntur, in quibus aliquid de carnibus, vel brodio carnium poteſt inueniri, ſic debet ſemper ſeparare, & cuſtodire, & dare alicubi in villa, non in porta ſecundum conſilium Prioris: ita quod nunquam aliquid mixtum de iſtis, inueniatur in eleemoſyna communi. Elemoſyna communis ſecundum morem patriæ, & ordinationem Prælati, debent, vel certis perſonis dari, vel ad eleemoſynam venientibus ad portam, certis diebus, & horis, & locis ad hoc aſſignatis. Cum autem datur ad portam, cauere debet, ne ingerentes ſe improbe, vel tumultum facientes percutiat, vel aſperis verbis corripiat, ſed cum omni patientia eos ordinate, & pacifice faciens reſidere, miniſtret charitatiue quod habet, & de verbis dulcibus conſoletur eos. Si qui vero inter iſtos veniunt, qui videbitur magis reuerendæ, & verecundæ perſonæ; ad partem eos ſegreget, miniſtrans eis honorabilibus, quod poterit, & a verecundia ipſis

ſis caueat prout poteſt. Infirmis vero, & magis miſerabilibus, abundantius prout poteſt aliquid debet dare. Item debet ſollicite curare, ne ea, quæ debent in eleemoſyna dari, per negligentiam pereant, vel in uſus alios transferantur. Diligenter etiam debet conſiderare, ſi ſit aliquid in Domo, ſiue legumina, ſiue herbæ in horto ſiue alia quæcunque non ſint neceſſaria Fratribus, & inſtare apud Prælatum, quod huiuſmodi in eleemoſynas largiantur.

Cap.XXII. De Officio Refectorarij.

Circa Menſam Conuentualem ordinariam.

AD officium Refectorarij ponendus eſt Frater Clericus, vel Conuerſus, qui ſit induſtrius, & diligens ad faciendum honeſte, quæ huiuſmodi requirit officium. Porro ad ipſum pertinet præparare menſam tempeſtiue ante comeſtionem, decenter, & munde: & ſic plene in ea ſingula ponenda collocare, quod ſeruitores non habeant ponere niſi pulmenta, ſalſas, & pictantias. Proinde debet a principio aptare mappas, ponere panem, & vinum vbi vſus eſt vini: vel in ſingulis vaſis pro ſingulis Fratribus; vel in vaſe vno pro multis, ſecundum conſuetudinem, & ſcyphos. Item ſal, & aquam in tot vaſis, quot competenter poſſint habere, qui voluerint. Item cochlearia, cum fuerit apponenda aliqua, ad quæ ſunt neceſſaria. Item candelas cum decentibus candelabris cum cœnatur, vel ſit collatio tarde, tot, quot ſufficienter illuminent vnumquemque. Sic autem aptandæ ſunt mappæ, quod a parte interiori remaneat tantum de menſa nudum, quod vaſa pro vino, pro ſale, pro aqua, pro candelabris, & oſſa fructuum, & paraturæ pomorum, & huiuſmodi inutilia remanentia, ibidem valeant collocari, ne mappam deturpent. Alia vero prædicta, quæ ſuper map-

mappam collocantur, debent cooperiri de partæ mappæ dependente, ſuper illa replicata honeſte, quouſque Fratres ſedentes partem illam replicent ſuper genua. Debet etiam habere curam, quod tempore magni frigoris, quando Prior dederit licentiam, vt ſtupha Refectorij calefiat (ubi eſt uſus ſtupharum) vel vbi non eſt vſus huiuſmodi, carbones accenſi habeantur in Refectorio in patellis congruis deferendis per ſeruitores: & in aliquo vaſe, vel in aliquibus aqua calida, vinum calidum pro illis, qui voluerint vinum ſuum calefacere. Debet etiam expedite in ſolo caputio, & frequenter circuire per menſas ad videndum ſi deeſt aliquid alicui de communi: vel ſi quis aliquid dimittit, illud reportet, vel det alij, qui non habuerit. Si qui vero fuerint Fratres, qui propter infirmitatem, vel alia de cauſa, de licentia vtantur aliquibus alijs quam communibus, vel aliter paratis; debet eſſe ſollicitus circa illos, vt ſciat ſine defectu, prout Prior duxerit ordinandum, & debet circumeundo coram Prælato ſe præſentare frequenter, ad videndum, ſi quid dixerit ei faciendum. Cum aliquis Frater tarde venit, & non audet intrare ſine licentia, ipſius eſt petere pro eo licentiam, & prouidere de loco; ſi fortè ſedes omnes fuerint occupatæ, & eidem miniſtrare, vel ſeruitoribus hoc ſuggerere. Si autem aliquos extraneos contingit in Refectorio comedere, tunc magis debet eſſe ſollicitus, ne ibi videant aliquid quod eos minus ædificet, & ſecundum eorum ſtatum magis curare de eis, & Priori reducere ad memoriam, ſi vult eis mittere aliquid vel vult eis aliquid melius miniſtrari, in pane meliori, vel alijs quibuſcumque. Porro ea, quæ remanent, & recolliguntur de menſà, quæ uno deferuntur ad coquinam, ipſius eſt ſeruare, & ſequeſtrare: ſeorſim ponendo ea, quæ pertinent ad eleemoſynam, & alia, quæ poſſunt iterum Fratribus dari, & illa, quæ magis competunt familiæ, vel opèrararij, quando ſunt tales, quibus prouideatur in cibo, vel in huiuſmodi uſus alios reſervare. Cæterum cum Fratres conueniunt ſolum cauſa collationis, vel in die Paraſceues ad Refectorium, non

ſunt

ſunt mappæ ponendæ; niſi ſolum ea, quæ pertinent ad horam illam, & diem.

Circa menſam extraordinariam.

ITem ipſius eſt ſervire Nouitij, & illis, cum quibus diſpenſatur, vt bis comedant tempore ieiunij: & certo tempore ad hoc facere ſignum, & præparare ea, quæ fuerint præparanda ſine defectu; & miniſtrare illis prout a Priore fuerit ordinatum. Si autem aliquos Fratres cum licentia contingat præoccupare horam comeſtionis cauſa egrediendi, vel poſt vtramque menſam venire, & comedere in Refectorio: debet iſtis ſeruire, & adſtare ipſis; & ea, quæ Conuentus ſunt eiſdem miniſtrare. Si aliquis extraneus ibi de licentia comedant, debet eidem ſervire, & miniſtrare, ſecundum ſtatum perſonæ ſuæ, & familiaritatem ad Fratres, plus, vel minus. Debet autem cum tanta diſciplina, & religione ſe habere in omnibus, ne occaſione officij frangant ſilentium cum aliquibus; nec clamat alte pro negotio, nec ad feneſtram coquinæ tumultuosè, nec multum, niſi de neceſſarijs loquatur. Benignè autem, & manſuetè ſe habeat ad omnes, & charitatiue, & hilariter ſeruiat, & faciat, quæ fuerint facienda. Caueat autem ſollicite, ne alicui, vel in menſa ordinaria, vel extra miniſtret, niſi quæ ſecundum ordinem fuerint, nec miniſtrare permittat. Et licet ab acceptione perſonarum ſit ei cauendum, tamen Nouitijs, & magis indigentibus debet oſtendere ampliora viſcera charitatis.

Circa Domum Procuratoris, ſiue Diſpenſam.

ITem ipſius eſt habere domunculam iuxta Refectorium, quæ dicitur Domus Procurationis, vel Diſpenſa, quam debet mundam habere, & ſic aptare modis diuerſis in feneſtris, in perticis, & in armarijs, & in arcis, & ſimilibus; quod commode poſſint ibi ſeruari, & collocari, quæ ſunt ibi ſeruanda, vel reponenda. In hac veró debet ſeruare

uare panem, & miniſtrare per totam Domum vbicumque fuerit miniſtrandus: hoc ſervato moderamine, quod in infirmitorio, meliorem infirmis miniſtret, vbi varietas & panis habetur. In hac etiam debet ſeruare caſeos, fructus, & cæpas, & huiuſmodi, quæ ſibi traduntur à Procuratore, vel quotidie, vel certis diebus; ſecundum eius ordinationem miniſtranda. In hac etiam debet ſeruare mappas, caniſtros, vtenſilia neceſſaria ad ſuum officium, niſi fortè in Refectorio reponantur in alio loco apto. Tempore quoque comeſtionis, vel collationis inſtante, debet de cellario vinum apportare ad hanc: & ſi temperatum non fuerit temperare, & inde in Refectorio miniſtrare; vel tradere ſervitoribus miniſtrandum. Ibi etiam debet in certo loco reſeruare ea, quæ pertinent ad eleemoſynam, quæ de Refectorio colliguntur, vt eleemoſynarius indè accipiat tempore opportuno.

Circa Lauatorium, & munditias, & alia quædam.

ITem ad ipſum pertinet prouidere de aqua in lavatorio, & ipſum lauatorium frequenter mundare, & mundum ſervare. Item de manutergijs in clauſtro prouidere, & illa frequenter mundare, & interdùm alicubi removere certa hora, propter advenientes ea deturpantes. Item debet prouidere, quod mappæ de Refectorio lauentur, & mundetur tempore congruo, & quod iuſtæ, & lagenæ, & ſcyphi pro ſale, & aqua, & vtenſilia, & cætera omnia, quæ ad Refectorium pertinent, laventur, & tergantur, & munda ſeruentur; & Refectorium, & Procurationis Domus ſcopentur, & ab araneis, muribus, & huiuſmodi immunditijs laventur, vel purgentur ſæpe, & diligenter, prout requirit neceſſitas. Cùm autem Magnates comedunt in Refectorio, debet providere, quod ſemper pulchras mappas, & honeſtas, ſcyphos, & ſcutellas, & cochlearia, & huiuſmodi habeant in menſa ſua: inſuper pulchra manutergia debet habere, quæ ante eos ponantur

cùm

cum comedunt ; & alia ſimilia , quæ eis apponantur in manuum lotione . Debet quoque ſollicitare Coquinarios , vt ſic tempeſtiue parent omnia , quod facto ſigno in Eccleſia omnia ſint parata , & ipſo audito , & inquiſito vtrum ſint omnia parata , ſine mora debet cymbalum pulſare , ſi omnia ſunt parata , ne Fratribus otioſi ſpectent . Et huiuſmodi mora ſimiliter cauendum eſt in pulſando cymbalum ad collationem , poſt ſignum factum in Eccleſia . Ad ipſum etiam pertinet habere curam , quod ſedes aptæ habeantur in clauſtro , in quibus ſedeant Fratres poſt manuum lotionem . Cum autem aliquid aptandum fuerit in refectorio , vel extra , vel aliqua emundanda , vel reficienda , circa ea , quæ pertinent ad officium ſuum : debet pro his inſtare ſollicite apud Procuratorem , vel Prælatum , ſi negligens fuerit Procurator . Cùm autem ſcit aliquos extraneos debere comedere in refectorio , vel debere xenia deferre , vel alias intraturos ; debet Priorem cautum reddere , ne aliquos ſedere in terra permittat : quod ſi aliqui ſederint iam , & alij debeant ſuperuenire , debet hoc Priori dicere antequam aliquos intrare contingat . Debet quoque vel ſemper certis ſic adſtare in refectorio , vel circa illud , quod cùm neceſſe fuerit , poſſit facilè reperiri : præcipuè vbi magnus eſt Conuentus , & multæ occupationes circa refectorium occurrunt . Vbi verò propter paucitatem Fratrum modica ſunt agenda , debet cum circa refectorium non eſt occupatus , in alijs occupari libenter .

Cap.XXIII. De Officio Seruitoris Menſæ .

Circa primam Menſam .

SEruitor , ſeu Seruitores primæ menſæ , audito ſigno poſt Horas in Eccleſia facto , debent feſtinè ad refectorium ire , & remota cappa in caputio ſolo remanentes , iuuare Refectorarium , in faciendis , quæ ad eum pertinent circa

illam

illam horam, ſi fortè illa non complevit. Pulſato vero cymbalo debent incipere ponere ſcutellas, incipiendo a menſa Prioris (præcipuè vbi eſt magnus Conventus) niſi forte propter magnum frigus, & muſcas interdum dimittant; & ſi neceſſe fuerit aliquos de Fratribus, qui manus iam lauerint, ad adiuuandum ſe in hoc aduocare. Facta autem benedictione, & reſidentibus Fratribus ſcutellas quæ poſitæ non fuerint, ponant: vel ſi nullæ poſitæ fuerint feſtinè, & mature eaſdem apportare debent, incipiendo tunc ab inferioribus. Collocatis vero primis ſcutellis ſine mora longa apportare debent quidquid eſt iterum apportandum antè remotionem primarum ſcutellarum; ita quod ſi falſa fuerit apportanda ſeparatim ab alio, cum ferculo illo, vel ante opportetur; & idem eſt obſervandum in tertio, vel vltimo ferculo, ſi fuerint apportanda in comparatione ad præcedens. Cum autem communiter videntur Fratres expediti de pulmento, vel alio ferculo, tunc primo debent illud communiter remouere; cauentes ne remoueant aliquid à conſpectu Fratris, qui illud non elongauerit à ſe, & amplius non videatur curare de illo. Ipſorum etiam eſt circuire cum aliud non habent facere, ad videndum ſi deeſt aliquid, vel aliquis aliquid dicere velit. Appropinquante autem fine primæ menſæ, cum omnia vaſa, in quibus miniſtratur apportauerint ad coquinam, debent fructus, ſi qui fuerint ſupra in caniſtris, vel alijs vaſis decedentibus, & paraturas fructuum, & teſtas ouorum, & nucum, vel huiuſmodi, & inutilia in alijs vaſis decentibus recolligere ſeparatim, & ad procurationem deferre. Tandem cum Fratres communiter ceſſant comedere, in ſportis, vel alijs vaſis honeſtis recolligere panis particulas, quæ ſuperſunt. Attendendum autem eſt eis in omnibus, quod diſciplinate ſe habeant, & mature incedant: ne in frangendo ſilentium, vel clamando, vel tumultuando ad feneſtram coquinæ, vel contendendo cum aliquo, vel frangendo, vel effundendo aliquid, aliquem ſcandalizent, & præcipue cum extraneos contigerit intereſſe: circa quos magis debent eſſe ſolliciti, & tanto

& tanto plus, quanto fuerint honeſtiores, vel excellentiores perſonæ. Ipſorum etiam eſt tempore comeſtionis primæ menſæ curam habere de oſtijs, & feneſtris claudendis, & aperiendis, prout fuerit opportunum, & de catis, & de huiuſmodi animalibus excludendis. Cum autem plures ſunt Seruitores ſcripti, vbi propter paucitatem Fratrum unus tantum ſufficit; debent inter ſe ordinare, quod vnus interdum comedat, & alter ſeruiat viciſſim. Porro ad ſeruitores ſecundæ menſæ pertinet, quod egreſſo Conuentu de refectorio ipſi remaneant, & ibidem gratijs redditis remotis cappis parent menſam, in qua debent comedere, qui comeſturi ſunt in ſecunda menſa: & ipſis ſeruiant portando, & reportando, & alia facendo, quæ dicta ſunt ſupra de ſeruitoribus primæ menſæ. Si autem aliqua ſuperfuerint in menſa, quæ non pertinent ad eleemoſynam, ſi poſſunt iterum dari Fratribus, illa debent colligere, & ponere ſeparatim: quæ omnia facienda ſunt poſt ſecundam menſam, ſi forte illa durante non habuerint ad hoc tempus. Si autem iſtis factis adhuc durante menſa tempus fuerit, debent in ſchyphis tergendis, vel in alijs ad adiutorium Refectorarij pertinentibus occupari; vel ſi Fratres voluerint, & eis vacauerit, legere aliquid ſubmiſſe. Finita vero ſecunda menſa, debent facere de remanentibus in illa, ſicut ſupra dictum eſt de reliquijs primæ. Tempore vero ieiunij debent mappas, & omnia (præter ſcyphos) remouere de menſa in prandio, & in ſuis locis reponere, ſimiliter ſemper in cœna. Cum vero bis comeditur, debent mappas poſt prandium in menſis dimittere uſque ad cœnam replicatas decenter.

Circa Collationem.

AD Seruitores vero primæ menſæ pertinet audito ſigno in Eccleſia pro collatione conuenire, & iuuare Refectorarium in his, quæ ad collationem pertinent, & ſeruire in collatione. Seruitores vero ſecundæ menſæ ſeruire

uire debent illis, qui poſt Conuentus receſſum a collatione immediate habent bibere, & iuuare ſi neceſſe fuerit Refectorarium, in his, quæ tunc habet facere, ſi poteſt breviter abſque Completorij amiſſione. De ſcribendo verò ſervitore vno, vel pluribus in menſa, debet fieri prout Prior ordinauerit, conſiderata paucitate, vel multitudine Fratrum.

Cap.XXIV. De Officio Lectoris Menſæ.

AD officium verò Lectoris Menſæ pertinet præuidere diligenter, lectionem non ſolùm quoad punctuationes, & modum accentuandi; ſed etiam quoad ſcientiam, ut ſciat ſenſum eorum, quæ dicuntur, & vt ſic etiam ibi proficiat in addiſcendo. Cùm autem de aliquo dubitat ſive quo ad ſenſum, ſive quo ad modum legendi, debet recurrere ad gloſſas, & poſtillas, vel ad Fratres; per quos poſſit inſtrui, & maximè ad Correctorem menſæ. Cùm autem accipit benedictionem in prandio, vel cœna, debet accipere in medio Refectorij: in Collatione verò de ſede, in qua ſedet, facto ſigno a Prælato, vel Hebdomadario, ſi Prælatus non fuerit præſens. In prandio vero, & cœna debet expectare, quod omnes ſedant pacifice, antequam incipiat legere. In Collatione vero poſtquam aliqui licet pauci conuenerint, poteſt incipere ad ſignum prædictum, vel ſine ſigno illo, cùm deſunt illi, ad quos pertinet illud facere. Debet autem ſe ſic diſponere in ſede, in qua legit, quod pro magna parte habeat vultum verſum ad Conuentum, ſi loci diſpoſitio hoc permittat. Porrò in legendo debet cauere ne nimis ſubmiſſe, vel clamoſe legat, nec nimis curſim, ſed moroſe valdè, & diſtinctè, & ſonorè, & pauſas faciat interdùm competentes. Debet autem aurem apponere ad intelligendum, ſi in aliquo corrigitur, & correctionem quæ fit à Correctore, etiam ſi minùs bene dicit, humiliter ſuſcipere, & exequi; dummodò manifeſtum errorem non dicat. Cum autem legitur in Biblijs, debet ſic incipere:

Talis Libri, *Capitulum tale*, dum incipit lectio in principio Capituli: ſi autem incipit infra Capitulum, debet ſic incipere: *Talis libri*, *Capitulo tali*. Cùm incipit in principio alicuius libri, ſic debet incipere: *Incipit liber talis*. Cùm autem incipit in aliquo Prologo, ſi ſit vnicus Prologus in libro illo, debet ſic incipere: *Incipit Prologus in talem librum*. Si verò multi, debet in primo ſic incipere: *Incipit primus Prologus in librum talem*, in ſecundo verò ſic: *Prologus ſecundus in librum talem*, & ſic deinceps. In Epiſtolis verò Divi Pauli debet ſic incipere: *Incipit argumentum*, *&c.* poſtea legere argumentum, deinde dicere: *Incipit Epiſtola talis*. Si autem legit Homiliam, præmiſſo textu Sancti Evangelij, & præmiſſo: *In illo tempore*, *&c. & reliqua*: *& lectio Sancti Evangelij*, *&c.* debet ſic incipere: *Homilia talis*. Cùm autem legit Euangelia, & venit ad Paſſionem debet tranſire vſque ad Reſurrectionem. Vbi autem eſt conſuetudo, quod legatur tabula in menſa in Feſtis maioribus, debet eam prævidere, & legere circa finem menſæ. Cùm verò finitur liber, debet ſic terminare: *Explicit liber talis*. In legendo autem talem, vel talem librum, ſiue in comeſtione, ſiue in collatione, non debet aliquid propria authoritate facere, ſed quod ei dictum fuerit à Correctore in menſa. Regulam debet legere prima die poſt Dominicam, quando non contingit extraneos intereſſe in Refectorio. Ad ipſum etiam pertinet habere curam de libro, in quo legitur, cuſtodiendo, & portando in Refectorium, & reportando. In terminatione vero lectionis, debet aliquod ſignum tunc facere cum cera, vel ſperam ſuperponere, vt ſciat vbi debeat reincipere, vel oſtendere ſucceſſori, ſiue alij, qui legerit loco ſui. Cui debent extranei intereſſe, ſi non eſt talis Lector, qui conſueverit bene legere, debet alij magis idoneo ad legendum committere lectionem: vel rogare Prælatum, vt hoc faciat, præcipuè cum illi extranei litterati, & intelligentes reputantur.

Cap. XXV. De Officio Correctoris in Menſa.

OFficium Correctoris in Menſa, eſt ordinare cum Prælato quid, quo tempore, ſiue in prandio, ſiue in cœna, ſiue in collatione legatur. Ipſius etiam intereſt cum conſilio Prælati obſeruare, quando Fratres melius ſunt in Domo: tunc facere legere frequenter in anno Acta Capitulorum Generalium, & Prouincialium, litteras Magiſtri, & Conſtitutiones; & notas aliquas de Rubricis magis vtiles, & frequentius neceſſarijs ſecundum iudicium Cantoris. In collatione vero, & in cœna debet prouidere, quod legantur libri aliqui bonæ ædificationis, & præſertim hiſtoriæ, quæ retineri valeant, continentes: vt ſunt vitæ Patrum, libri collationum, & ſimiles. In prandio vero, etſi frequentibus Biblia eſt legenda, tamen poſſunt interdum vtiles libri aliqui legi. In vigilijs vero, & Feſtis, & in diebus priuilegiatis, vt ſunt dies Rogationum, & huiuſmodi, poſſunt legi Paſſiones, vel Humiliæ, vel Sermones Sanctorum ædificatorij, & in die Paraſceues ſolent legi Threni Hieremiæ, vel Sermones deuoti de Paſſione. Porro ipſius eſt præuidere diligenter lectionem, & ſtudium ſuum circa illa maxime applicare: & Lectorem inſtruere cum petierit, vel etiam ſi ipſe non petierit, præuenire eum in hoc, maxime cum in lectione occurrerit aliquid difficile, vel dubium in accentuando, vel pronunciando. Cum autem ſedes ſua nimis diſtat à loco lectionis, vel non eſt bene diſpoſita ad intelligendum Lectorem, poteſt de licentia eligere locum alium ad ſedendum in Refectorio, propinquum Lectori ante faciem conſtituto. Cauendum eſt autem ei ne correctionibus nimis curioſis, ſeu inuſitatis, vel minus vtilibus moleſtet Lectores, vel auditores. Si autem contingat, quod extranei litterati debeant intereſſe, & Lector non reputetur multum idoneus ad legendum: prouidendum eſt ei, quod alius legat loco ipſius, & ſuper hoc Prælatum adeat. Cum vero aliquem Lectorem viderit frequenter cir-

ca aliqua deficere, debet his obſervatis ad aliquem locum congruum ipſum aduocare, & ipſum circa perfectus, & ignorantias ſuas inſtruere charitatiue. Vt autem, quæ ad iſtud officium pertinent, melius fieri poſſint, debet procurare, quod habeantur in Domo aliquæ ſummæ de modo accentuandi, & pronunciandi, & ad Grammaticam pertinentes, per quæ Fratres in legendo poſſint dirigi, & Corrector in corrigendo, & hoc debet Corrector, prout poterit procurare.

Cap. XXVI. De Officio Infirmarij.

INfirmarius dicitur, qui habet curam generalem infirmorum, & infirmitorij. Debet autem ad huiuſmodi officium poni Frater, qui ſciat eſſe patiens ad moleſtias infirmorum, & compatiens infirmitatibus, & neceſſitatibus eorum: qui ſit dulcis eloquio, verbis conſolatorijs affluens, & prouidus, & diſcretus in procurandis, ſeruandis, & miniſtrandis neceſſarijs; nec tenax in diſpenſando neceſſaria, nec prodicus in conſumendo aliqua ſine cauſa. Ad huiuſmodi igitur officium pertinet, habere curam de omnibus, quæ ad infirmitorium, vel infirmos pertinent generaliter, uel in caſibus varijs, & emergentibus, quæ pro aliquibus haberi debent, vel fieri: & prouidere de his; quod habeantur ſine defectu tempore opportuno.

Circa res habenda.

PRoinde debet ſollicitudinem habere apud maiores quantum poteſt, quod habeatur infirmarium ſanum & bonum, & bene diſpoſitum in officinis commodè aptis, ſufficientibus, commoditate camerarum, & horto ſeu prato ad recreationem infirmorum: in quo etiam ſint aliqua loca, ſeu domunculæ, & arcæ, & armaria apta ad repoſitionem rerum omnium, quas ibidem ſeruare oportet; & quod huiuſmodi domus frequenter purgetur, & munda ſeruetur, & reparetur, & reficiatur, cum neceſ-

ſe

ſè fuerit diligenter. Debet etiam prouidere, quod habeantur ibidem competentia vaſa, vel vtenſilia, mappæ, ſcyphi, ſcutellæ, menſæ communes, & ſingulares pro comedentibus in lecto, inſtrumenta, & huiuſmodi neceſſaria abundanter: circa coquinas, circa lectos, circa comeſtionem, circa medicinalia, balnea, vel ſtuphas, circa minutiones, circa raſuram, circa lotiones pedum, & capitum, circa potionandos, vrinaria quoque, & ſellæ pro impotentibus ſurgere, & ire ad cameras communes: feretrum quoque, & coopertoria propria, & alia neceſſaria pro mortuis, & loca apta ad lauandum mortuos, & lauatorium commune pro manibus, & receptacula aquarum, quæ effunduntur interdum: libri quoque pro Officio Diuino dicendo, & ad legendum interdum pro conſolatione, & ædificatione infirmorum, vt ſunt, vitæ Patrum, & ſimiles libri. Candelæ quoque, & oleum pro lampade, ſeruitores ſecundum exigentiam multitudinis, & ſecundum conditiones infirmorum, procuranda ſunt apud Prælatum. Et cauendum ne extranei ſeruiant infirmis, ſed Fratres inuicem, vbi hoc poteſt commode obſeruari. Vbi vero extraneos aduocare compellit neceſſitas, cauendum eſt ne aliqui ad huiuſmodi recipiantur ſeruitia, niſi adeo familiares ſint, quod Fratrum ſecreta poſſint eis reuelari ſecure. Ipſius eſt etiam, ſi nouit per ſe medicinam, vel alios Medicos Fratres, vel extraneos, adhibere conſilium medicinæ, circa infirmos, & procurare, quod fiat, quod faciendum fuerit pro ſalute; ordinare etiam, & prouidere quid quotidie comedatur, ſiue ab illis, qui veniunt ad menſam communem, ſiue qui decumbunt: & habere ſollicitudinem, quod tam hoc, quam medicinalia tempeſtiue, & ſuo tempore miniſtrentur, ſicut requirit conditio, & neceſſitas infirmorum. Neceſſaria vero pro expenſis debent a Procuratore recipere, vel aliter ſi Prior duxerit ordinandum: & omnia computare, & in capitulo recitare, ſi quæ ſpecialia beneficia notabilia fuerit collata infirmis. Ipſius etiam intereſt frequenter viſitare infirmos, & diſcurrere per co-

quinam, & officinas alias ad videndum ſi fiunt omnia, quæ fieri debent: & ſi quid negligentiæ inuenerit, corrigere debet: & cum commode poteſt apponere manum ad adiuuandum. Notare etiam ſi aliqua fiat diſſolutio, vel inordinatio ibidem, & illud interdum charitatiue corrigere, & interdum etiam Prælatis referre, interdum etiam in capitulo ſuper huiuſmodi proclamare. Si quæ vero dicta fuerint in capitulo, quæ ad infirmos pertineant, debet illa infirmis referre; & cum eorum infirmitates aggrauantur, prælato in capitulo dicere, vt faciat orare pro eis. Mortuos quoque de nouo, ipſi Prælato in capitulo ad memoriam, vt Fratribus recommendentur reducere, & habere curam, quod per Domos alias cito ſignificentur per Vicarium.

Circa Infirmos.

PORro cum aliquis de nouo mittitur ad infirmitorium, debet eum cum omni charitate ſuſcipere, & dulciter conſolari; & ſecundum ſuam neceſſitatem de eo ſollicite cogitare: ſiue in aſſignando locum, & lectum, ſi expedit eum iacere in infirmitorio, ſiue de ſpeciali ſeruitore ſi indiget, & alijs huiuſmodi, quibus eius infirmitas noſcitur indigere. Si autem commiſſum fuerit ei a Priore, quod curam habeat de ponendo Fratres in infirmitorio, debet eſſe ſollicitus de his, quibus indigent, cum ei dicitur, vel aduertit: & eos præuenire antequam petere illud cogantur. Cum vero aliquis abutitur infirmitorio, ſine cauſa rationabili ibi nimis morando, debet hoc caute ſuggerere Prælato, vt ipſe faciat, quod circa hoc fuerit faciendum. Circa vero illos, qui ex nimia humilitate, vel religione petunt licentiam recedendi antequam expediat eorum ſtatui: debet etiam Prælatum cautum reddere, vel ipſemet debet eſſe cautus; ſi data eſt ſibi poteſtas in huiuſmodi licentijs concedendis, ne cedat eis ſua religio in cor-

poris

poris notabile detrimentum. Cum vero nullus infirmus fuerit, debet habere curam de domo infirmitorij claudenda, & cuſtodienda.

Cap. XXVII. De Officio Seruitoris Infirmorum.

SErvitor infirmorum dicitur, qui deputatus eſt ad ſeruiendum infirmis; vel in communi, quo ad illos, qui veniunt ad menſam communem, vel ſingulariter aliqui, vel aliquibus cum decumbunt. Huius autem officium eſt ſollicitum eſſe, vt fiant omnia facienda ratione officij diligenter, & ſuo tempore; & pium eſſe ad infirmorum neceſſitates, patientem ad eorum moleſtias: conſolationes charitatiuas verbis, & factis impendere eis, & omnia, quæ ad ſtudium, vel alias occupationes (quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, vel Ordinis) poſtponere, propter huiuſmodi pietates.

Circa communem Seruitorem.

POrro qui deputati ſunt ad ſeruiendum communiter omnibus, ſiue ad ſeruiendum in domo, in qua comenduntur carnes, ſiue in domo recreationis; debent ſcire diligenter illud, quod ſupra notatum eſt circa officia Refectorij, & ſeruitorum primæ menſæ, vel ſecundæ, circa menſas parandas, & ſeruitium ibidem faciendum, & renouanda, & recolligenda in fine, & munditias faciendas, & vtenſilia, & huiuſmodi cuſtodienda, & lavanda: & lavatorium, & ſimilia, & illa omnia, quæ ex illi ad ſuum vſum pertinere videntur exequi diligenter. Debet autem in infirmitorio eſſe domus aliqua pro procuratione, vel duæ pro duabus prædictis domibus in loco, vel in locis idoneis, quarum, vel cujus cuſtodiam, debet, vel debent habere qui eſt, vel qui ſunt principales ſeruitores. Cum autem comeſtionis hora appropinquat, debet huiuſmodi ſeruitor facere ſignum cum campana,

quæ ad hoc debet apta haberi in infirmitorio, in loco idoneo; ad conuocandum Fratres in infirmitorio conſtitutos. Cum vero eos conueniſſe viderit, debet aliud modicum ſignum facere ad manuum lotionem: quo facto ſine aliqua expectatione eorum, qui non venerunt, debet fieri benedictio. Si vero aliquid mittatur infirmis, debet cauere ne deferens introducatur: quouſque prouideatur, quod nihil ubi videri poſſit, quod ipſum valeat ſcandalizare. Debet etiam prouidere, quod liber aliquis ædificatorius habeatur ſemper in promptu, in quo, vel ipſe quando non eſt in alijs occupatus, vel aliquis Frater alius de comedentibus legere poſſit interdum in menſa ſi velit. Si vero menſæ fuerint mobiles, debet eas in fine reponere in loco ſuo. Expeditis vero omnibus, quæ ad comeſtionem pertinent, debet habere curam de claudenda Domo, in qua comeditur: ſi ibi lecti non fuerint, in quibus aliqui iaceant tempore, & hora a Priore determinatis. Debet autem cum infirmario conferre in ſero de his, quæ agenda ſunt pro infirmis, vel paranda, & innoteſcere ei, de multitudine infirmorum, & conditionibus eorum: & cum multiplicantur, vel minuuntur, vt faciat melius quid, & quantum ſit in craſtinum præparandum. Ipſius etiam eſt accipere, & apportare panem, & vinum de Refectorio, & cellario, prout fuerit ordinatum, & cauere ne ſuperflue apportentur, & ne ea, quæ remanent pereant, vel inutiliter conſumantur; ſed pro eleemoſyna, vel ad aliquos vſus, ſicut ordinatum fuerit diligenter ſeruentur. Debet etiam ſæpe cum neceſſe fuerit viſitare coquinam, ſollicitare cuquinarios, & eos iuuare cum poteſt, & ipſi indigent, vt melius, & citius omnia expediantur. Cum vero non ſunt tot infirmi, vel tot facienda, quod oporteat eum morari multum in infirmitorio, debet cauere multum, ne otioſe ibi commorans, effundat ſe in diſſolutionibus, & omittat ea, quæ ad ſtudium pertinent, & ad Religionem, & Conuentum: & committere poteſt aliqua modica infirmis facienda, qui poſſunt illa facere; ut eſt completio alicuius modici ſeruitij, vel quod vnus, qui non come-

comedit ſeruiat alij, vel quod remoueat mappas, vel menſas cum comederint aliqui, & huiuſmodi, ut poſſit ipſe cum alijs intereſſe Conuentui. Cùm autem expeditus fuerit de Conuentu, redire debet ad videndum, ſi quæ commiſit, facta fuerint; & ſi quid deeſt ſupplendum ab eo. Debet etiam curam habere de faciendis lectis infirmorum, qui non habent proprios ſeruitores, cum ipſi voluerint.

Circa Seruitorem ſpecialem.

PORrò ad Servitorem deputatum alicui, vel aliquibus decumbentibus pertinet eius coopertoria, & veſtes, & huiuſmodi de dormitorio apportare, ſi ipſe voluerit, vel indiguerit; facere lectum infirmi, procurare ei vrinalia, vel alia vaſa, ſeu ſellam, & huiuſmodi, quæ fuerint neceſſaria; reſeruare vrinam ad oſtendendum, aſſiſtere eidem de die, & nocte cum fuerit neceſſe, iuuare eum in diſcalceando, in ſurgendo, in intrando lectum, & ſimilibus. Iacere in infirmitorio, vigilare coram eo cum fuerit neceſſe, ſeruare eum in calore, & coram eo ſtare ne ſe diſcooperiat. Quærere conſilium diligenter cum Infirmario de infirmitate eius à Medico, & quæ Medicus mandauerit exequi diligenter, ſive in medicinalibus, ſiue in cibis, ſiue in alijs quibuſcumque. Habere etiam curam ſpecialem de eis, quæ paranda ſunt in coquina pro eo quotidie hora debita, & in hoc faciendo iuuare, vel totum facere ſi fuerit neceſſe: & de aptando menſam circa eum commodè, & omnibus ad menſam pertinentibus miniſtrandis, & recolligendis, & reponendis in locis ſuis, & de calefaciendo aquam, vel vinum, & brodium, & ſimilia. Veſtes etiam ejus, & coopertoria, & alia lauanda lavare, & purgare locum, vbi iacet. Procurare etiam omnia quæ ſunt in caſu neceſſaria, vel cauſa balnei, vel minutionis vel lotionis pedum, vel capitis, vel cocturæ alicuius, & ſimilium (dummodò in aliquod periculum mortis non ſint,

vel

vel grauis mutilationis) & his aſſiſtere , & iuuare , vel totum facere , cum poteſt , commodè , & honeſtè . Panem vero , & vinum , & huiuſmodi communia debet accipere à communi ſeruitore alia vero , quæ non habentur communiter , quæ tamen ſunt neceſſaria , interdùm , debet quærere ab Infirmario . Ipſius etiam intereſt prouidere de lumine , & libris pro Officio dicendo , cum eo , vel coram eo , cum ipſe non poteſt in quo etiam non eſt omittendum , quin dicatur coram eo Officium Miſſæ , cum ad Miſſam ire non poteſt . Cùm vero poteſt , ſed debilis eſt , eum iuuare debet , eundo , & redeundo . Debet etiam aliquem librum conſolatorium , & ædificatorium habere in promptu , in quo aliquid legatur coram eo interdùm ad eius conſolationem . Et tam per ſe , quam per alios Fratres ad hoc idoneos , quos interdùm debet ad hoc inducere intendere conſolationi , & ædificationi ejuſdem . Si quid vero petierit , vel facere voluerit , quod ſuæ contrarium ſanitati ſit , cautè debet eum admonere . Si autem non ſit contrarium , debet ei obtemperare , cum commodè fieri poteſt : excogitare quod ei prodeſſe poſſit , ſiue quo ad corpus , ſiue ad animam , debet totum , ſiue per ſe , ſiue per alios facere , vel procurare diligenter .

Circa Sacramenta ſuſcipienda.

PORRO circa Confeſſionem , & Vnctionem , & Communionem petendam , ſi fuerit negligens , debet eum caute ſollicitare : & cùm hæc facienda fuerint , ſignificare illis , ad quos pertinet , & neceſſaria ex parte infirmi ſollicitè procurare ; & ingraueſcente infirmitate reducere ad memoriam Prioris in Capitulo , vt faciat orare pro eo , ſi Infirmarius hoc non fecerit , Cùm vero morti appropinquauerit , debet facere ſignum cum tabula , ad conuocandos Fratres ad commendationem faciendam : cineres , & locum præparare cum ſuper eis fuerit deponendus ; & pertinentia ad hoc , & ſimilia circa ſtatum illum dirigere ,

& fa-

& facere, & ſocijs ad hoc cum indiguerit aduocatis, vel a Prælato petitis. Cum vero mortuus fuerit, debet habere curam de aqua calefacienda pro ablutione corporis eius, & inuoluenda, & coopertorio ad hoc deputato apponendo: ipſo vero ſepulto, feretrum, & coopertorium reportare ad ſua loca, Deinde veſtes eius, & coopertoria, in quibus iacuit (ſi apportata fuerint de dormitorio) debet tradere veſtiario: vt ipſis lotis, & mundatis per eum diligenter, de illis poſtea fiat, quod fuerit faciendum. Si vero coopertoria prædicta erant de infirmitorio, ipſa & capitergia, & huiuſmodi, quæ cum eo fuerint, debet tradere Infirmario; vt illa faciat diligenter mundari, & aptari antequam in uſus Fratrum iterum aſſumantur: ſotulares vero, & bottas, & conſimilia debet reddere in ſutoria. Debet quoque Infirmario reducere ad memoriam, quod habeat curam, quod in primo ſequenti Capitulo recommendetur anima defuncti Fratribus: & quod cito denuncietur per alios Conuentus, & ipſius in hoc ſupplere negligentiam, ſi forte ipſe negligens extiterit. Si vero aliquem extraneum in Domo aliquo caſu contigerit ægrotari, ad Infirmarium pertinet, vt ſecundum voluntatem Prælati ordinet, vbi ponatur, & qualiter, & per quos ſeruiatur eidem tam charitatiue, & ſollicite, ſecundum exigentiam perſonæ, quod in hoc numquam negligentia committatur.

Cap. XXVIII. De Officio Receptoris Hoſpitum.

AD receptionem hoſpitum talis Frater Clericus, vel laicus eſt ponendus, qui ſit induſtrius in agendis, hilaris vultu, verbis affabilis, charitatiuus in neceſſitatibus, promptus in omni obſequio, diſciplinatus in moribus, in expendendo mediocris, inhoneſtis ſolatijs carens, non tardus in labore, competenter potens, ædificatorius in verbo, & qui ſciat moribus aliorum, & diverſita-

ſitatibus variis prudenter, & religioſe ſe conformare, & gratum cunctis ſeruitium exhibere.

Circa curam, quam debet habere.

AD huiuſmodi officium pertinet habere curam de domo, vel de domibus hoſpitum (ſi ſunt plures) cuſtodiendis, claudendis, aperiendis tempore ſuo, mundandis, & honeſte, & commode aptandis, in formis, in ſedibus, in menſis, & huiuſmodi: & quod habetur lauatorium pro manibus intus, vel extra in vicino, & receptacula aquarum, quæ effunduntur, vt domus non madefiat. Et menſæ, & ſedes, ſiue ſedilia ſufficentia, & quod habeatur ibidem aliqua domuncula pro procuratione, & arcæ, vel armaria, ſeu feneſtræ, & perticæ, & huiuſmodi, ad repoſitionem, & conſeruationem rerum, quas ibidem oportet ſeruari interdum. Et quod habeantur ibidem ſcyphi, & vaſa propria, & cochlearia, & vaſcula pro ſale, & huiuſmodi vaſa, ſeu vtenſilia, prout neceſſe fuerit, ſiue ad pedum lotionem, ſiue ad alios vſus; quæ debet mundare frequenter, & diligenter, & in locis debitis cuſtodire. Debet etiam curam habere de lectis eorum parandis honeſte, & munde vbicunque fuerint, & habere aliquas caligas, & tunicas, & caputia munda, & bottas ſub aliqua claue, quas poſſit indigentibus tradere, pro tempore, ad mutandum ſua: candelas etiam pro neceſſitatibus hoſpitum, ſiue in domo, ſiue in via cum recedunt: campanulam etiam aliquam, cum qua fiat ſignum cum fuerit communis hora comedendi pro hoſpitibus, niſi ſit conſuetudo in illo Conuentu, quod fiat cum cymbali ictibus. Porro panem a refectorio recipiat, vinum vero a Cellario, quale per Procuratorem fuerit ordinatum. Quæ vero pertinent ad ſotulares, vel veſtes, a Veſtiario ſi modica fuerint, vel a Prælato ſi fuerint magna, quærere debet, & accipere. Ea vero, quæ ad cibum pertinent, vel alia quæcumque, debet miniſtrare Procurator, & pro eis recurrendum ad eum.

Circa Fratres Hoſpites.

CVm igitur intellexerit Frater hoſpitarius aduentum Fratrum aliquorum, qui non ſunt de Conuentu, vel etiam de Conuentu, qui diu ſteterunt extra Domum, ſtatim ad hos debet feſtinare, & occurrere læto vultu; & ſi non ſunt auctoritatis magnæ, debet dare oſculum pacis: ſi vero ſunt grandis auctoritatis, non debet ſe ingerere ad oſculum pacis, niſi primo inuitetur ab eis. Deinde ducere eos ad benedictionem, ſi non receperunt, & quærere Sacerdotem, ſi ipſe non eſt Sacerdos, qui eam faciat: & ipſa recepta acceptis baculis, & libris, & alijs ſi quæ gerunt, quæ ſunt ab eo cuſtodienda, ducere eos ad hoſpitium, & ſignificare Prælatis aduentum eorum. Si vero fuerit Magiſter Ordinis, vel alius recipiendus à Conuentu, ſua intereſt pulſare campanam Capituli, ad congregandos Fratres hora competenti ad benedictionem, & ipſa recepta iterum pulſare ad Capitulum, cum debuerit intrare Capitulum, primo ſuper hoc eius inquiſita voluntate. Cum ergo reſederint in hoſpitio, ſi tali venerint hora, quod iam comederint, debent inuitari ad potum: deinde ad requieſcendum in lectis, ſi voluerint, & hora hoc requiſierit; & de loco camerarum edoceri. Et ſi non eſt dies, in quo eo oporteat ieiunare, inquiſito de qualitate refectionis, quam illa die habuerint, debet hoc ſignificare Procuratori: vt ſecundum exigentiam neceſſitatis, debito modo paretur, quod poterit haberi. Si vero nondum comederint, nec audierint Miſſam, debet de Miſſa audienda, vel celebranda cum ipſi voluerint, & de miniſtris habendis prouidere. Si vero fuerint fatigati, & quieſcere voluerint, fiat hoc ſi voluerint ante Miſſam, vel poſt: & interim ſollicitare Procuratorem de prouidendo, quæ fuerint neceſſaria ad refectionem; & ipſe ſollicite adiuuet in præparando, & ordinet, ſi neceſſe fuerit per Prælatum, quod aliquis, vel aliqui interim ſint cum hoſpitibus,

bus, qui eos aſſocient, & dirigant ſi aliqua voluerint, Cum ergo fuerint omnia præparata, ſi fuerint hora conſueta comedendi pro hoſpitibus, faciendum eſt ſignum prædictum aliter non. Quod etiam obſervandum eſt omni tempore circa hoſpitum comeſtionem; & deinde ablutis manibus, & dicta benedictione, & collocatis Fratribus ab eodem ſecundum ſtatum eorum, proſequenda ſunt cætera, quæ ad menſam pertinent. Porro in parandis, & ſeruiendo, & remouendis menſis, & colligendis reliquijs, & reponendis, tam illis, quam ſcyphis, & alijs huiuſmodi, obſervanda ſunt ea, quæ ſupra dicta ſunt circa Refectorium, & ſeruitores primæ menſæ, & ſecundæ, & ſeruitores infirmorum, prout & quantum competere poſſunt in Hoſpitio. Habendus eſt etiam aliquis liber in Hoſpitio ædificatorius in promptu, in quo dum comeditur legi poſſit interdum aliquid ab aliquo, ſi viſum fuerit expedire. Ablutis vero manibus poſt refectionem offerendus non eſt potus, niſi aliqui petierint, vel indiguerint, & ſit in patria talis vſus. Ordinandum vero eſt à Prælatis, quod cum comedunt hoſpites hora comeſtionis Conuentus, nec ſunt expediti finita prima menſa Conuentus, quod aliquis, vel aliqui de Fratribus, qui comederunt, veniant ad Hoſpitium, & ſuppleant vices Receptoris hoſpitum: vt ipſe comedere poſſit in ſecunda menſa, & facta comeſtione redire debet ad videndum, ſi ſunt omnia bene facta, & ſupplendum, quod factum fuerit minus. De lotione vero pedum, & miniſtratione potus in prandio, & cœna tempeſtiue fiendis debet prouidere hora talis, quod eorum occaſione non protrahantur vigiliæ poſt ſignum dormitionis, niſi forte propter tardum aduentum hoſpitum ſi obſeruari non poſſit: in quo caſu ſi fieri non poſſunt omnia conſueta, fiat quod ſecundum horam fieri poterit bono modo; ſiue in procuratione eorum, ſiue in alijs. Cum autem ad lectos ducuntur, prouidendum eſt eis de vrinalibus, vel alijs vaſis idoneis ad vrinam, & edocendi ſunt de loco camerarum, ſi vſque tunc neſciunt: & oſtendendæ ſunt eis tunicæ, & caligæ, & caputia ad mutan-

tandum, ſi aliquo indigent: & ſi nox fuerit dandæ ſunt eis aliquæ candelæ, cum quibus vadant ad cameras, vel alibi, & cum quibus dicant Officium. Si verò veſtes eorum indigent lotione, cum eorum licentia debet procurare, quod lauentur. Si verò habeant magnam indigentiam in ſotularibus, vel aliqua veſte, vel fecerint aliquas rationabiles expenſas in via nondùm ſolutas, vt de naulo, & huiuſmodi; debet hoc oſtendere Priori, vt antequam petant, cum eius licentia, illud quo indigent offeratur eiſdem. Quanto autem ſunt magis extranei, vel de nationibus remotioribus, vel de maiori labore veniunt, vel ſunt maioris authoritatis ratione ſtatus ſeculi, vel ratione maioris ſtatus in Ordine, vel ſi ſunt Nouitij; tanto in omnibus ſunt magis charitative tractandi. Quod ſi fuerint conſueti vagationi, & diſcurſui, vel de modica religioſitate notati, tanto diſciplina religionis, & auſteritatis circa eos magis eſt obſeruanda & excluſi cito de hoſpitio mittendi ſunt ad Conuentum, & ad Capitulum ſuo tempore vocandi. Qui ergo digni ſunt ſecundùm ordinem prædictum officio charitatis, cum recedere voluerint, inuitandi ſunt ad manendum, & morandum ſecure, & ad hoc quodammodo ſunt cogendi. Ad benedictionem vero vocandi ſunt ab ipſo aliqui de Fratribus antiquis, & Præcipuè Prælati, & cum oſculo, & reccomendatione ſui, & orationibus eorum, & aliorum Fratrum, ſunt per eos licentiandi: & vſque ad portam, vel plus, ſecundùm quod Prælato viſum fuerit per aliquos conducendi. Porrò in communibus, & quotidianis ſervitijs receptor hoſpitum debet eſſe ſollicitus, tempeſtive parare omnia diligenter, & conferre cum Procuratore, ut provideat de neceſſariis, ſecundùm multitudinem, & conditiones hoſpitum: & ſervientes in coquina pro hoſpitibus ſollicite iuuare, cùm neceſſe fuerit diligenter. Et ſi aliqua dicantur in Capitulo, quæ pertinent ad hoſpites, debet ipſis referre, ſi in Capitulo non fuerint. Quod ſi aliqui in hoſpitio nimis morari voluerint; vel nimis cito recedere, debet Prælato ſuggerere, quod viderit expedire; ſimiliter de eis ad Capitulum convocandis, vel Cho-

Chorum interdùm cum circa hæc acidioſi videntur. Cùm vero Fratres Minores apud nos contigerit comedere, vel hoſpitari de nocte, in omnibus devotiùs, & hilarius debet eis aſſiſtere, & miniſtrare quam Fratribus noſtris.

Circa hoſpites extraneos.

CVm aliquos alios extraneos, ſive Religioſos, ſive ſeculares hoſpitari contigerit apud nos, pertinet ad eum habere curam diligentem, ſecundùm conſuetudinem Domus, vel ordinationem Prælati, vbi & quid comedant, vbi iaceant: & conducere eos per officinas cum illas voluerint viſitare, ducere ad Refectorium, lotis priùs manibus cum ibi debent comedere, & in locis debitis collocare; & finita menſa cum eis remanere, & ducere eos ad Eccleſiam, ad gratias, vel ducere extra, & dicere cum eis Officium ſi fuerint magnæ perſonæ. Et poſtea ad loca debita ducere, reddere etiam cautos ſervitores menſæ, quod eis diligenter ſeruiatur ſecundùm ſtatum eorum. Si autem Capitulum, vel Chorum, vel Eccleſiam ad officium intrare debuerint, debet eos in locis debitis collocare, ſecundùm ſtatum eorum: & cùm exire debuerint, eos iterùm ad debitum locum ducere. Licet autem omnes ſic tractare debeat, quod conſolati, & ædificati recedant, tamen ſecundùm exigentiam ſtatus eorum, & familiaritatem maiorem, vel neceſſitatem, plùs, vel minùs eſt cum eis aliquid faciendum. Vtrum autem cùm Fratribus in hoſpitio comedere debeant, vel alibi; & vtrum illi ſoli, vel aliqui Fratres cum eis: ad Prælati diſcretionem pertinet ordinare. Si autem fuerint adeò familiares, quod quaſi Fratres habeantur, non oportet omnem ſollicitudinem ſupradictam circa eos habere.

Cap.

Cap.XXIX. De Officio Coquinarij.

COquinarius dicitur Frater, qui habet curam de coquina, & de pertinentibus ad coquinam. Ad quod debet aſſignari Frater laicus, qui habeat induſtriam in parandis eis, quæ ad cibos pertinent, competenter honeſtè, & munde. Qui etiam ſit diſcretus in diſpenſando, & prudens in prouidendo, & cuſtodiendo, & in occupationibus non turbolentus, patiens, & pacificus cum omnibus, qui ſecum habent aliquid agere, & non impotens ad officij ſui labores. Ad officium ergo huiuſmodi pertinet habere curam, quantum poteſt circa domum coquinæ, quod ſit bene apta, & extraneis non peruia: & quod munda ſeruetur, & ſuo tempore claudatur. Item, quod habeantur ibidem ſcutellæ, & vaſa huiuſmodi ytenſilia neceſſaria, & ſufficientia, & quod diligenter cuſtodiantur, & frequenter mundentur. Item, quod prouideatur per Procuratorem tempore debito, quod habeantur ibidem in promptu ſemper ligna, ſal, oleum, allia, cœpæ, & huiuſmodi, quæ quotidie, vel frequenter ſunt neceſſaria: & in loco debito illa cuſtodiantur diligenter, & moderatè conſumantur, vel expendantur. Item, quod habeantur ſub eis cuſtodia legumina; quæ ſolent comedi in competenti quantitate. Item intereſt ipſius, quod legumina, vel herbas de horto ſecundum dies, in quibus illa ſolent comedi, vel alia pulmenta, faciat tempeſtiue, & diligenter mundari, & parari. Apponenda eſt etiam magna cura, quod pulmenta bona ſemper habeantur in Conuentu.

Circa Conuentum, & Hoſpites, & alios extraneos.

SCire etiam debet à Procuratore tempeſtiue quid præter pulmenta debeat præparare: utrum vnum pulmentum, vel plura; & habere diligentiam magnam, quod

Fratribus nunquam dentur oua putrida, vel piſces, vel alia, vel minus cocta. Cum autem appropinquauerit hora comedendi, nunquam debet dicere, quod pulſetur cymbalum, quouſque omnia, ſiue pictantiæ, ſiue ſalſæ, ſiue alia ſunt ita plene, vel fere parata; quod miniſtrando omnia continue nullam moram opporteat facere. Ipſius etiam eſt facere ſcutellas, & diuidere, & diſpenſare pictantias, & alia huiuſmodi bona fide, & omnia ad feneſtram miniſtrare ſeruitoribus: niſi forte Procurator aliquando hoc ſibi aſſumere velit: vel ipſemet aliqua de iſtis committere velit pueris, vel alijs, qui tunc ſeruiunt in coquina. Si autem Prælatus ordinauerit, quod alicui, vel aliquibus paretur aliquid aliud, quam communiter paratur propter aliquam infirmitatem, vel cauſam, vel ad tempus, vel ſemper debet prouidere, quod circa hoc non fiat defectus. Similiter debet habere diligentiam debitam circa ea, quæ parantur pro hoſpitibus, ſiue operarijs, ſiue alijs quibuſcunque quod omnia fiant tempeſtiue, & ordinate, & bene: & quod omnia, quæ de menſis remanent reſeruentur, ſiue ad eleemoſynam, ſiue ad alios vſus, prout eorum qualitas requirit.

Circa Adiutores.

CIrca familiam, quæcunque fuerit in coquina, debet habere curam, vt indoctos charitatiue inſtruat in agendis, minus diſciplinatos, vel morigeratos, prout poterit bono modo ad honeſtatem inducat, & corrigenda circa eos, eorum indicet Correctori, & caueat ne res Domus diſtrahant, vel prodige pro ſe, vel pro alijs expendant. Summe vero cauere debet, ut nunquam eos percutiat, vel conuicijs, aut maledictionibus, vel huiuſmodi verbis inordinatis conturbet, vel aliquid faciat, vel dicat coram eis, vnde poſſint habere occaſionem detrahendi Ordini poſt receſſum. Debet etiam prouidere eis de cibo, & potu, & de numero, & horis comeſtionis, eorum

corum ordinare, & diſtribuere eiſdem, quid in pictantijs, vel alijs fuerit diuidendum; & carnes, quæ infirmis remanent, eis interdum dare, & diuidere; ſi Prælato viſum fuerit expedire. Debet etiam caute prouidere, vt cum eis, vel ſeruitoribus hoſpitum, vel infirmorum, vel alijs accedentibus nunquam litiget, vel clamoſe contendat: ſed in ſpiritu patientiæ, & manſuetudine omnibus ſatisfaciat, prout poteſt. Cauendum etiam ei diligenter, ne vnquam extranei intrent coquinam, niſi forte aliqui Coqui Magnatum, cum apud nos comedunt, & Conuentum procurant, & tunc valde cauendum eſt, ne videant aliqui in coquina, quod eos poſſit offendere; in quo caſu cauendum eſt etiam ne cibi infirmorum cum carnibus vnquam parentur in communi coquina Conuentus, ſed alibi. Vt autem omnia fiant diligenter, debet ſe extrahere ab alijs occupationibus, & mane breuem Miſſam audire, & ſuſcitare ſeruientes in coquina, cum nimis dormiunt: & non ſolum dicendo, ſed manum apponendo dare operam ad omnia peragenda. Cum autem comedere habet in ſecunda menſa, debet ordinare, quod aliquis de ſeruientibus in coquina interim ſuppleat vices ſuas, & dicere quid ſit ei faciendum,

Circa Infirmos.

VBI autem in magnis Conuentibus coquina infirmorum ſeparata eſt a coquina Conuentus, debet ibidem eſſe proprius Coquinarius, qui ſecundum modum notatum omnia peragat, quæ ad coquinam infirmorum poterunt pertinere. Cuius eſt etiam habere curam, quod plumæ, vel animalium pelles, ſi quæ ſuperfuerint, ad uſus aliquos reſeruentur. Si vero coquina infirmorum non eſt alia a communi Conuentus, ſed in communi præparatur pro eis, debet ibidem eſſe proprius ſeruiens pro infirmis, ſi communes ſeruitores non ſufficiant, qui diligenter ibidem præparet, quæ pro eis fuerint præparanda, ſequeſtratim

tim ab alijs, & diſtincte. Si vero contingat, quod nullus Frater ponatur in coquina pro coquinario, ſed famulus aliquis ſecularis, debet Procurator ſupplere quæ prædicta ſunt de Coquinario per ſe, vel per aliquem de famulis ad hoc aptiorem.

Cap.XXX. De Officio Cuſtodis Cellarij.

CVſtos Cellarij dicitur Frater, qui habet cuſtodiam vini, & omnium quæ ad potum pertinent. Ad quod officium ponendus eſt Frater aliquis, qui ſciat de his, quæ pertinent ad cuſtodiam vini. Et ſi neſcit, inquirere debet ab alijs, qui dicuntur ſcire de arte huiuſmodi, & exequi, quæ ad hoc pertinent, ne vinum aliquo modo, per eius negligentiam deſtruatur. Porrò ad hoc officium debet habere cellarium, ſecundum modum terræ in bono loco, & bene aptatum: habens vnum oſtium ex parte exteriori ad inducendum vinum, & aliud ex parte interiori, ad intrandum illuc ſecreto cum fuerit neceſſe. Debet autem, ſi fieri poteſt, ſic eſſe diſpoſitum, quod habeat feneſtras ad Aquilonem. Cauendum etiam eſt, ne vnquam illuc intrent extranei, niſi valde familiares Fratrum ſint. Et ideo expedit aliquam domunculam, vel appendicium fieri ante cellarium extra, in quo reponatur vinum a ſecularibus, poſtea introducendum per Fratres, vel familiam, vel alios magis familiares, ſiue per canales, ſiue alio modo. Pertinet etiam ad iſtum officialem appropinquantibus vindemiis, habere curam de dolijs diligenter parandis, & habere vtenſilia in loco debito, vel inſtrumenta, & ſimilia ad ſuccurrendum, cum timeretur de vini effuſione; vel ad reparationem aliquam faciendam, vel alios vſus. Debet etiam cum candela frequenter die, & nocte circuire per dolia, ad videndum ne aliquod periculum immineat de effuſione. Cum autem dolia euacuata fuerint, debet ea diligenter mundare, & reponere in loco apto cuſtodiæ eorum, ne putreſcant, vel deteriorentur. Ipſius quoque

inte-

intereſt frequenter tentare vina, ne corrumpantur, & transferre de vaſe in vas, & miſcere ad inuicem cùm fuerit faciendum: & ſcire, quæ meliùs ſeruari poſſunt ſecundùm ordinationem Procuratoris, vel Prælati, habita cum eis collatione; primo miniſtrare, quæ ipſi primo dixerint miniſtranda, & ſecundùm ordinationem eorum ſcire, quod vinum Conuentui, quod hoſpitibus, quod infirmis, quod familiæ, quod operarijs, quod aduenientibus diverſis dare debeat; & vtrum temperatum, & qualiter, vel purum; & vtrum in menſura, & quod ipſi ordinauerint, exequatur diligenter. Poſt comeſtiónem vero debet per omnes officinas, in quibus fuerit vinum, diſcurrere, & recolligere ſi quid ſuperfuerit in loco quocunque: & ponere in certo loco, vt detur poſtmodum, quibus ſecundùm ordinationem Prioris, vel Procuratoris viſum fuerit expedire. Solet autem ad cuſtodiam hujuſmodi reliquiarum, vel deputationem vini haberi dolium, in quo omnes huiuſmodi reliquiæ reponantur, vt meliùs conſeruentur. Debet etiam prouidere, quod horis debitis inueniatur circa cellarium, cum vinum fuerit miniſtrandum: nec debet tradere, niſi illis ſolis, ad quos pertinet ex officio accipere; & nec illis det in alijs horis, vel extra menſuram taxatam, niſi de licentia ſpeciali. Cùm autem aliquid de vino contingit corrumpi grauiter, nunquam poſtmodum dandum eſt Fratribus, nec miſcendum cum alio vino bono: ſed ſecundùm voluntatem Prælati fiat de eo, quod ipſe dixerit faciendum. Cum autem tempus fuerit procurandi, vel emendi vinum, vbi emitur, vel ex toto, vel ex parte; debet hoc ita tempeſtiue Prælato, & Procuratori ad memoriam reducere, quod valeant in tempore congruo prouidere. In claudendis vero feneſtris, & aperiendis, ſiue de nocte, ſiue in calore, ſiue in frigore, ſiue in temperie, ſiue in inquieto tempore, ſiue in vento auſtrali, ſiue aquilonari, & claudendo cellarium, & cuſtodiendo clauem diligenter, tanquam debet habere curam; ne omiſſione aliqua contingat lædi vinum, vel in aliquo deperire. Porrò vbi non

eſt vſus vini, ſed ceruiſæ, vel alterius potus; ſic facere debet circa illud genus potus omnia ſupradicta, quæ competunt circa illud, & alia, quæ requirit conditio potus illius, ſicut fuerit faciendum.

Cap.XXXI. De Officio Veſtiarij.

VEſtiarius dicitur non Frater, qui facit veſtes, ſed qui eſt conſtitutus tam ſuper eos, qui faciunt veſtes, quam ſuper illos, qui faciunt ſotulares.

Circa res habendas.

AD officium eius pertinet habere curam de omnibus, quæ pertinent ad indumenta, & calceamenta, & annexa his: vt ſunt cappæ, caputia, tunicæ, pellicea, & capelli, cinguli, cinctoria, vaginæ cultellorum, ſotulares, conciſiæ ſotularium, bottæ, brachalia, ſiue cordæ, & ligaturæ ad caligas, & vnctum ad ſotulares, caligæ, ſocci, & ſimilia. Item lecti, & coopertoria pro lectis, & cuſſini, & cervicalia, ſtramina, paleæ, fiſcones, culcitræ, & capitergia pro infirmis, linteamina pro balneis. Item foreli, & camiſiæ pro libris. Item panni pro lotione pedum, & capitum; & pro raſura, pectines, & raſoria, & bindelli pro minutione, & forcipes ad vngues ſciendendas, & ſi quæ ſunt alia. Ad horum autem conſeruationem, & repoſitionem debet habere domum aliquam idoneam, & in loco apto præter illam, vel illas, in quibus operantur ſutor, & ſartor: qui debent habere duas, vel vnam in duas diſtinctam, in quibus ipſi famuli ſeculares, ſi qui fuerint neceſſarij, operari debent; & omnes ſub cura veſtiarij, & eius obedientia debent eſſe. Intereſt etiam ipſius curam habere de omnibus prædictis procurandis, reparandis, reficiendis, miniſtrandis, recolligendis, & conſervandis: & expenſis pro huiuſmodi factis computandis, quas recipere debet, vel à Procuratore, vel aliunde, vel ipſemet, vel ab

alijs

alijs quærere ſecundum ordinationem Prælati, & conſuetudinem Domus. Cum autem hyemale tempus appropinquauerit, debet apponere curam, quod id quod dandum eſt Fratribus pro veſtibus, ſic tempeſtiue procuretur, quod antequam frigore Fratres lædantur, omnia habeantur. In diſtributione vero intereſt ipſius videre quid quiſque habeat, vt melius ſciatur indigentia cuiuſcumque, Debet autem ſcire a Prælato, quæ liceat eum dare ſine licentia ipſius, & quæ non; & quod iuſſerit obſeruare. Cum autem Frater aliquid petierit de prædictis, & indiguerit, debet ei charitatiue ſine difficultate miniſtrare, ſi poteſt ſine licentia, vel licentiam procurare. Si autem non indiguerit, debet eum charitatiue monere, vt ſuperſedeat a ſuperfluitate quam petit. Quod ſi noluerit, debet hoc ipſum indicare Prælato, & facere quod iuſſerit faciendum. Nihilominus debet inſpicere Fratrum neceſſitates, vel intelligere, cum ab alijs ei ſignificantur. Et licet Frater indigens nihil petat, debet ei tanto magis ſollicite prouidere, quod humilitas ſua dignor eſt fauore. Cum autem nouum aliquid datur Fratri, debet vetus reddere, niſi de licentia (ſi indiguerit illo) eum retinere contingat. Cum autem emenda fuerint aliqua de prædictis, ſiue de bonis Conuentus, ſiue ex pecunia ſpecialiter ad hoc alicui data, debent omnia emi per manus eius. Nunquam autem ſine licentia eius debet aliquis ſibi facere ſcindi veſtem, vel huiuſmodi, aut in Domo, aut extra: niſi forte in itinere conſtitutus. Eius etiam eſt recipere, ſiue pannos, ſiue veſtes, ſiue denarios, qui dantur pro huiuſmodi, vel Conuentui, vel etiam Fratri cuicunque, & cuſtodire: & facere quod de his fuerit faciendum. Ad ipſum quopue pertinet Nouitiorum veſtes præparare cum fuerint induendi, & in Capitulum portare, & veſtes eorum ſeculares ſeruare; nec ſine eorum voluntate aliquid facere de eiſdem. Debet etiam prouidere Receptori hoſpitum de veſtibus pro hoſpitibus ad mutandum, & familiæ de competentibus veſtibus, & calceamentis, ſecundum ordinationem Prælati, cum Domus ipſis ad

iſta tenetur: Et aduertere ne veſtes deferant laſciuas, ſeu minus honeſtas. Seruitoribus etiam infirmorum, & hoſpitum miniſtrare debet illa, quibus indigent pro illis, quibus ſeruiunt, ſiue pro lectis, ſiue pro alijs quibuſcumque ad ſuum officium pertinentibus. Cum autem in Dormitorio ſit aliquis lectus de nouo, vel aliquis eſt, qui non habet neceſſaria, ipſius eſt in huiuſmodi, ſiue ibi, ſiue alibi prouidere in tota Domo quæcunque neceſſe fuerint. Tempore vero Capituli ſuperuenientis multitudinis Fratrum, cum non ſufficiunt lecti, aut ſupellectilia Domus, ipſius eſt procurare de foris, quod deeſt: & ſignare cuius ſit vnumquodque, & habere curam de reddendo tempore ſuo; prouiſo, quod ſi aliquid deturpatum fuerit, vel in aliquo læſum, prius reparetur, & mundetur. Item ad ipſum pertinet habere aliqua groſſa ſcapularia pro Conuerſis, quæ eis tradat quando ſeruiunt in coquina, vel cæmento, vel huiuſmodi operibus, quæ ſolent veſtes deturpare. Similiter pro Fratribus, vel famulis, qui ſeruiunt in coquina, vel pro Fratribus qui raduntur, & illis qui radunt; aliquas camiſias, quibus tunc vtantur deſuper ad munditiam conſeruandam. Porrò cum lotio communis veſtium fuerit facienda, debet de omnibus ad hoc pertinentibus, ſiue lexiuio, ſiue miniſtris, & ſimilibus curam habere, & hoc in Capitulo prædicere; vt certa hora, & certo tempore deferant Fratres, quæ fuerint lauanda, & cum ſignis appoſitis veſtibus, tradere ſingula ipſo præſente. De quibus cuſtodiendis: & reddendis ſingulis, quæ ad curam ipſius pertinent, & idem in unctione communi ſotularium obſeruetur. Cum autem aliqua viderit circa lectos, vel alibi, ſiue coopertoria, ſiue alia ad ſuum officium pertinentia otioſa, vel derelicta, debet ipſa recolligere ſollicitè; & bottas, & pellicia omnia, tempore certo ad veſtiariam deferre, & dare operam circa omnia, quæ ſunt in veſtiaria ſic cuſtodienda, & excutienda, vel ad Solem, vel ad aerem pro tempore exponenda; vt a tineis, vel a muribus, vel alias non lædantur. Cum autem Frater indiget aliqua reparatione

veſtis,

veſtis, vt cum manicis alijs indiget, vel ſoleis, & ſimilibus, ſuper his debet providere, quod fiant. Cum autem indiget aliquibus ſutoribus ad huiuſmodi opera peragenda, nunquam debet eos introducere ad loca Fratrum ſecreta, niſi ſint valde honeſti, & familiares: ſed in loco à ſecretis Fratrum remoto, in Domo alicubi ſunt ponendi; vel in villa ad eos, vel ad domos proprias interdum huiuſmodi opera ſunt mittenda, dummodo ſint talia, quæ poſſint a ſecularibus ſine ſcandalo videri. Quod ſi ſeculares Domum frequentant, debet çautos reddere Fratres, ne quid per manus temerarias perire contingat. Quod ſi Frater aliquis circa cuſtodiam huiuſmodi negligens fuerit, vel veſtes ſuas male tractaverit, vel in aliquo circa ea, quæ ad ſuum officium pertinent offenderit, pertinet ad ipſum illum in Capitulo proclamare, & ſuggerere Prælato de admonitionibus, quas viderit faciendas circa ea, quæ ad ſuum officium pertinent quoquo modo. Cum autem perpenderit, quod aliqui Fratres aliquas ſuperfluitates habeant in veſtibus, & coopertorijs, & huiuſmodi, debet inſtare apud Prælatum, quod iniungat in Capitulo: quod quicunque habet aliquod extra numerum taxatum a Conſtitutionibus, vel aliter ſuperflua, ſic, vel ſic, reddat infra certum tempus veſtiario. Tempore vero ſcrutinij cum inuenitur aliquid ſuperfluum de his, quæ ad ipſum pertinent, debent omnia talia ſibi tradi. Si vero aliquis Frater aliunde aſportauerit aliquam veſtem, vel nimis longam, vel in aliquo notabilem, ſeu etiam ſotulares; pertinet ad ipſum huiuſmodi veſtem corrigere, vel Prælato ſuggerere, quod auferatur ei; ſi ſecundum Ordinem tolerari non debet. Vbi autem pro veſtibus faciunt fieri Fratres pannos de lana, vel empta, vel alias data, debet ſic hoc fieri çaute, quod apud extraneos inde façile non poſſit murmur exoriri.

Cap.XXXII. De Officio Sartoris.

SArtor dicitur Frater Conuerſus, qui ſcit artem ſcindendi, & ſuendi in pannis, & in pellibus, & cognoſcendi pannos; & ſi quid minus plene ſcit, in iſtis debet addiſcere diligenter.

Circa res habendas.

AD huius officium pertinet habere ſecretam aliquam domum bene feneſtratam ad habendum multum de lumine, in qua ſit aliquod inciſorium, ſcilicet locus aliquis de aſſeribus complanatis collocatus in alto, & aptus ad ſcidendum: inſuper perticæ, & arcæ, & armaria, & huiuſmodi ad repoſitionem, & cuſtodiam rerum, quæ apud eum ponuntur. Ad iſtum etiam pertinet habere forcipes, acus, fila, & ſimilia ad artem ſuam neceſſaria, in locis certis pro ſe, & ſuis adiutoribus abundanter, ſecundum quod requirit multitudo eorum, quos oportet interdum ad ſuum adiutorium conuocari. Non debent autem aliqui famuli recipi ad manendum in domo continue ſine licentia Prælati, nec ad horam etiam ſine licentia Veſtiarij. Debet autem illis, qui debent in domo comedere ſecundum ordinationem Procuratoris, & quid, & quando, & vbi comedant prouidere, & de lectis ſi iacent in domo, ſecundum ordinationem Veſtiarij, ſuper hoc cum Prælato collationem habere. Si vero pro pretio ſtant cum Fratribus, pertinet ad Veſtiarium ſoluere, & ipſius eſt, ad hoc eum inſtigare. Si vero aduerterit in eorum aliquo, aliquid propter quod non expediat, vel deceat, eum in domo commorari, vtpote quia deſtruit bona Domus, vel eſt malæ vitæ in aliquo, vel ſimilia; debet Veſtiario ſine mora, vel Prælato ſignificare. Debet autem tam honeſte coram eis ſe habere, quamdiu ſunt apud nos, & eos in his, quæ ad ſalutem pertinent dirigere, & inſtruere: quod non ſe ingerant inter Fratres, vel in loca vbi non debent, & ſimiliter quod ipſi ex conuer-

verſatione inter Fratres, meliores fiant, & Fratres ab eorum ſocietate non moleſtentur in aliquo, vel perturbentur.

Circa actus eius.

PОrrò in operando ſic debet eſſe ſollicitus, quod non ſolùm de die, verùm etiam de nocte tempore, quo Fratres vigilare ſolent, operetur ad lumen, orationibus pro Matutinis breuitèr conſummatis. Similiter in æſtate, dùm Fratres dormiunt in meridie, poteſt commodè ſuſtinere, & licentiam obtinere, quæ de facili dari debet, & in hoc indulgeri, vt poſſit à Matutinis remanere, & dormire tunc: vt poſſit huiuſmodi vigiliam de die meliùs ſuſtinere. Propter opus etiam poteſt ab Horis omnibus, præterquam à Completorio remanere, & ſufficit vnicam Miſſam priuatam breuiter, & expedite audire. Sic autem debet ſubiacere Veſtiario, quod in omnibus præferat ea, quæ ipſe dixerit; nec ſine eius licentia debet aliquid dare Fratribus licet etiam modicum: vt capellum, vel ſocos, & huiuſmodi; nec magnum quid pro eis facere, vt eſt ſcindere tunicam, ponere nouas manicas, & ſimilia. Modica tamen, vt eſt ſuere aliquid in tunica, vel apponere modicam petiam in veſte, & huiuſmodi, debet facere ſine licentia ſpeciali. In ſcindendis vero veſtibus Fratrum, debet diligenter curare, quod religioſe, & non ſeculariter fiant, vel cum aliqua laſciuia parentur, ſed vniformiter: & ideò debet habere formas aliquas, vel exemplaria de pergameno, vel ſigno pro caputijs, pro capellis, pro manicis, & ſimilibus; vt vniformiter, & modo religioſo ad illa exemplaria faciat vniuerſa, & fiant in competenti menſura. Cum autem aliquis pannus ei apportatur a quocunque, etiam Veſtiario, & videtur reprehenſibilis in pretioſitate, vel colore, vel alias: nunquam debet ipſum incidere quouſque Prælato oſtenderit, vt ipſo examinato ab eo iubeat, quod voluerit. Cùm autem non habuerit certum opus, debet circa illa quæ reparanda ſunt, vel paranda pro futuris temporibus

ſic

ſic vacare, quod tempore neceſſitatis maioris illa expedita ſint, & tunc poſſit meliùs ſe impendere neceſſitatibus inſtantibus.

Cap. XXXIII. De Officio Sutoris.

SVtor dicitur Frater laicus, qui ſcit artem faciendi ſotulares, & ſuendi in corio. Cùm autem huiuſmodi officium imponitur ipſi, pertinet ad eum ſcire omnia circa huiuſmodi materiam, quæ dicta ſunt de Sartore circa pannos: cauendum eſt ei diligenter, ne faciat ſotulares, qui in forma, vel ſtrictura, vel in aliqua alia nota, aliquid ſapiant ſeculares; ſed potiùs humilitatem, & religionem, nec ſint in altitudine nimia reprehenſibiles. Cum autem habet famulos, poſſet in miniſtrando eis cibum officium per ſeptimanas diuidere cum Sartore, ne vterque inſimul occupentur in eo, quod poteſt per alterum fieri competenter: Cum autem officinæ huiuſmodi operariorum ſunt ita extra clauſuram clauſtri, quod de nocte non poſſunt ire illas ad operandum, debent aliqua apportare ad dormitorium, vel ad locum aliquem intra clauſuram prædictam, tempore hyemali, in quibus operentur nocte, cauentes a tumultu. Cum autem indiget Sutor Sartore in iuuando ad vnctionem, Sartor Sutore ad lotionem veſtium & ſimilium; debent libenter mutuo ſe iuuare. Porro cum non eſt aliquis in domo Frater ad artem huiuſmodi, vel earum alteram exercendam, ſed famulus aliquis ſecularis pertinet ad Veſtiarium huiuſmodi famulo committere omnia, quæ ad officialem pertinent prædictum, vel aliqua; & ordinare de eo, & circa eum hoc, & alia, prout viderit expedire: Si vero nec Frater, nec famulus ſit in domo ad iſta facienda, quod valde cauendum eſt, prouidendum eſt a Veſtiario, quod ſic caute per familiares fiant, quod ex inde non poſſunt oriri ſcandala, vel domus in bonis damnificari.

Cap.

Cap. XXXVI. De Officio Præfecti Operum.

PRæfectus operum dicitur Frater, qui conſtituitur ad exequendum circa opera illud, quod Prælatus de conſilio operariorum (ſi magnum quid fuerit) vel etiam alia ſine conſilio (dummodo non ſint magna) duxerit ordinandum. Debet autem ad huiuſmodi officium haberi, ſi poſſit, Frater qui circa huiuſmodi habeat prudentiam, qui inter operarios, & inter alios ſeculares ſciat honeſte, & pacifice conuerſari, qui etiam circa agendæ gerat ſollicitudinem competentem; & qui a maiori bono propter huiuſmodi occupationes non auellatur. Cum autem, ſecundum modum prædictum, inſtant aliqua opera facienda de nouo, vel complenda, vel reponenda: ipſius eſt cogitare, & prouidere de materia habenda, & Domum portanda, vt ſunt ligna, lapides, tegulæ, arena, calx, & ſimilia. Si autem aliqua iſtorum poſſunt procurari per Fratrum ſtudium, & laborem, debet ſuper hoc ſollicitare Priorem, vt fiat cum debita diligentia, tempore opportuno. Si autem oporteat iſta emi, debet cum bonis viris, qui circa hoc habent experientiam conferre, qualiter bona materia, & cum meliori pretio, & quo tempore, & vbi poſſit haberi: & qualiter deferri, & exequi, quod ipſi conſuluerint faciendum. Et ſi ſtatim non ponatur huiuſmodi materia in operibus, cum fuerit Domum apportata, vel extra etiam quæſita, ſuum eſt prouidere quomodo cuſtodiatur diligenter, ne pereat, vel deterioretur: Porro circa opera, quæ fiunt, debet attendere, ne fiat aliquid, quod curioſitatem, vel ſuperfluitatem prætendat: & ad hoc operam dare, quod fiant opera durabilia, & humilia, & paupertati, ac Religioni conſona. Ad ipſum etiam pertinet conducere operarios, & ſollicitare eoſdem, & cum ſunt in expenſis Domus, de cibo, & potu, debito prouidere eiſdem,

dem, loco, & tempore opportuno; & ſi debent aliqui iacere in Domo, de loco, & lectis, ſecundum ordinationem Prælati, ordinare. Debet autem attendere, quod illi, quos aſſumit, ſint operarij boni, & fideles, honeſtæ conuerſationis, & famæ; & ſi contrarium in eis inuenerit, ſunt ab eo quanto citius licentiandi cum tali cautela, quod ſcandalizati non recedant. Sic autem ſe debent habere, & dare operam, quod Fratres alij ſic ſe habeant coram eis, & cum eis, quod non videant apud Fratres aliquid, quod eis cedat in ſcandalum, vel offenſam; ſed magis apud Fratres proficiant in his, quæ pertinent ad ſalutem. Soluere quoque eis mercedem ita tempeſtiue, & fideliter, quod occaſionem non habeant contra Fratres murmurandi. Item ipſius intereſt notare, & videre, quæ ſunt in Domo reparanda, vel melioranda, ſiue in tectis, ſiue in clauſuris, ſiue in his, quæ ruinam minantur, & in alijs quibuſcumque: & oſtendere Prælato, & ſecundum diſpoſitionem, & licentiam eius dare operam ad huiuſmodi facienda. Debet etiam diligenter computare quantum recipit, & vnde, & quantum, & in quibus expendit; & de hoc ſuo tempore reddere rationem, & procurare quod poterit pro operibus ſi ei imponatur; & quod datum fuerit pro operibus ſpecialiter, ſi non ad manus alias, ſed ad ſuas, ſecundum ordinationem Prælati, deueniat, in Capitulo recitare. Si vero Frater aliquis fuerit in Domo, qui ſciat in huiuſmodi operari, ſi ponatur ad operandum, huiuſmodi Officiali obedire debet; & eum adiuuare, in quibus dixerit ei, niſi forte ipſi iſtud officium imponatur.

Cap. XXXV. De Officio Hortulani.

HOrtulanus dicitur Frater, qui habet curam, videlicet de horto procurando: ad quod officium ponendus eſt Frater, qui habeat experientiam circa huiuſmodi, vel ſciat ſaltem habere ſollicitudinem ad inquiren-

rendum ab illis, qui ſciunt, & exequendum ſecundum conſilium aliorum.

Circa virgultum.

AD huiuſmodi officium pertinet dare operam ad arbores, vites, arbuſta, & omnia ad virgultum pertinentia plantanda, inſerenda, riganda, purganda, ſeu putanda, appodianda, liganda, ſuffodienda, & ſimilia facienda, prout eorum, & terræ conditio requirit. Et cauendum eſt circa huiuſmodi, ne arbores, vel arbuſta, vel alia huiuſmodi innutilia habeantur, ſed ea, quæ fructus utiles, & abunde ſecundum modum terræ producere ſolent, varios ſecundum tempus, & varietates: & præcipue tales, qui infirmis proſint, vel ſaltem non ſint infirmatum facile generatiui. Porro prouidere debet ne arbores altæ ſint iuxta clauſuram, per quas poſſit aſcenſus fieri, vel deſcenſus. Item, quod non ponantur nimis ſpiſſæ præcipue vbi terra ſub arboribus non ſolum reſeruatur ad pratum, ſed ad aliquid ſeminandum, quod in decenti ordine, & diſtantia collocentur: vt non ſolum ex fructibus, ſed etiam recreationem faciant ex decore. Item, quod nunquam ſit tanta ſpiſſitudo arborum, vel lignorum, quin omnes deambulantes, vel reſidentes in loco quocunque poſſint competenter videri. Porro in plantandis arbuſtis debet attendere quod ſint talia, quæ poſſint in aliquo valere: vt vimina ad ligandum, roſæ ad aquam roſaceam, Altarium ornatum, & ſimilia; & quod hæc talibus locis collocentur, quod non impediant utilitatem maiorem. Sine licentia vero Prælati non debet magnum quid novum facere, vt arborem aliquam eradicare, vel plantare in loco, qui ſolet ad aliquos uſus haberi & ſimilia, quæ poſſunt fieri.

Circa terræ naſcientia.

PErtinet etiam ad eum dare operam, quod habeantur prata, ſiue pro infirmis, ſiue pro hoſpitibus, ſiue pro Con-

Conuentu in locis opportunis, ſecundum diſpoſitionem Prælati competentia, pro recreatione honeſta, & munda; & quod huiuſmodi opus exigit, facere diligenter. Item apponere curam magnam, quod habeantur in horto ſemper abundanter herbæ tempore competenti ad faciendum olus. Item aliqua legumina, quæ recentia Conuentui ſolent dari, vt fabæ, & piſa noua. Item, porri, cœpæ, allia, cucurbitæ, cucumeres, pepones, & ſimilia, prout gignere poteſt humus nationi illius. Item ſaluia, petroſelinum, & huiuſmodi herbæ, vel floris pro ſalſis, tam ſollicite cultiuentur, quod quocumque tempore de ipſis reperiatur copia pro ſalſamentis faciendis, pro condimento pulmenti, pro pulueribus, pro medicinis idoneis. Item radices, vt paſtinacæ, & ſimilia ſemina feniculi, & aniſi, & ſimilia, quæ in varias vtilitates, & vſus cedere poſſunt; ſiue pro Conuentu, ſiue pro medicinis, ſiue certo tempore conſumenda, ſiue in tempus longius conſeruanda. Debet autem in ipſo horto tales diſtinctiones, & vias facere, quod omnia ſint diſtincta, & locis debitis ſic collocata, quod non contingat ea pedibus tranſeuntium conculari. Vbi vero ſolent multi conuenire cauſa habendi ſaluiam, vel petroſelinum, & huiuſmodi modica, faciendus eſt aliquis hortulus prope portam, vbi fieri poſſint, in quo ſint huiuſmodi: de quibus extraneis ſufficiat, ne ad interiora eos frequenter oporteat intrare.

Circa vtraque.

ITem pertinet ad eius officium procurare diligenter bonos ſurculos aliunde ad inſerendum bona ſemina, & huiuſmodi præcipue, quæ non habentur in domo, & tempora obſeruentur apta ad ſingula facienda. Item, vt melius terra fructificet, debet habere curam de ipſa firmanda, & riganda, ſi haberi valeat aqua, & de fodienda, & eligendis lapidibus, & eradicandis herbis, & harbuſtis malis: ſuis temporibus, ſingulis iſtis, & ſimi-

ſimilibus faciendis. Scire etiam debet, quo tempore, qui fructus, quæ ſemina, quæ radices, & ſimilia ſunt colligenda, quæ, & quomodo debeant, & valeant conſeruari, & vbi, & apud quem, ſecundum diſpoſitionem Prælati: & dare operam, vt fiat circa hoc, quod fuerit faciendum. Si vero huiuſmodi Hortulanus ſit Conuerſus, debet proprijs manibus laborare in prædictis, & alia, quæ circa laborem diurnum dicta ſunt ſuperius de Sartore, poſſunt ad ipſum pertinere. Si vero ſit Clericus, poteſt idem, licet non tantum laborare, ſi ſciat: ſi vero ſit Hortulanus aliquis extraneus ſecularis, & familiaris, pertinet ad Procuratorem ipſi præeſſe; & ſecundum ſupra dicta ordinare de ipſo. Ipſius etiam eſt cuſtodire clauem horti, & claudere, & aperire tempore opportuno: & cauere ne aliqui extranei indiſcrete ingredientes diſſipent horti bona. Si vero fuerint perſonæ reuerendæ, nullatenus debet eos prohibere, vel moleſtare: dare quoque non debet aliquid de horto extraneis ſine licentia generali, vel particulari.

Cap. XXXVI. De quibuſdam communibus ad Officiales multos ſpectantibus.

DEinde circa Officiales ſunt quædam notanda, quæ ad multos pertinere videntur. Debet ſiquidem omnis Officialis dum imponitur ſibi officium aliquod, ſi videtur ſibi, quod non habeat gratiam ad illud faciendum, humiliter excuſare ſe apud imponentem, & oſtendere ſine falſitate, vel fictione defectus ſuos circa illud officium. Quod ſi non audierit illum imponens officium, debet in confidentia de bono obedientiæ ſuſcipere deuote, quod fuerit imperatum. Item recepto officio debet conſiderare cuiuſmodi licentiæ generales ſunt ſibi neceſſariæ ad officium exequendum, pro quibus difficile nimis eſt recurrere ad Prælatum aſſidue, & de illis cum Prælato conferre, quas debet Prælatus liberaliter ei concedere. Quod

ſi nolit, debet nihilominus facere, quod poteſt bono modo, & pro licentijs huiuſmodi recurrere ad ipſum, quamquam difficile videatur. Item cum aliqui excedunt circa aliqua de pertinentibus ad officium ſuum, debet eos ſuper his proclamare, & Prælatis ſuggerere, quod fiant admonitiones vtiles aliquæ circa illa, de quibus eidem videbitur expedire. Item cum non ſufficit ſolus peragere ea, quæ ſunt officij ſui, poteſt apud Prælatum pro adiutore inſtare: & cum adiutoribus ſibi datis ita ſociabiliter, & amabiliter ſe habere, quod inueniantur facile, qui in eius adiutorium ſuſtineant aſſignari. Item cum contingit eum recedere de Domo, vel infirmitate, vel alia impotentia ab officio præpediri, debet officium ſuum vel alijs committere, vel ad officiales, qui in huiuſmodi habent poteſtatem, vel ad Prælatum recurrere, & ſic diligenter aduertere, quod ex eius abſentia defectus non fiat. Item debet diligenter aduertere, ſi quæ ſcripta ſunt in Conſtitutionibus, vel Ordinationibus Capitulorum Generalium, vel Prouincialium, vel quotidianorum, quæ ad ſuum pertineant officium, & illa ſollicite cuſtodire. Cum etiam imponitur ſibi officium, cui res aliquæ ſint annexæ, vt Sacriſtiæ calices, paramenta, libri, & huiuſmodi, & ſic de alijs, debet cum recipit officium ſuum, ſcire quæ, & quot recipit; & in dimiſſione ſi excreuerit, vel ſi aliqua non ſuperſunt, reddere rationem. Non debet autem ſine licentia generali, vel ſpeciali aliquid dare de pertinentibus ad officium, vel intus, vel extra, nec recipere: cum receperit etiam de licentia, debet in Capitulo beneficium collatum Fratribus ad ſuum officium pertinens recitare. Item expenſas, quas facit pro officio ſuo recipere debet vel a Procuratore, vel aliunde, ſecundum diſpoſitionem Prælati; & de ipſis computationis tempore, vel quandocumque requiſitus fuerit, reddere rationem. Item cum Officiales in aliquo non conſentiunt, non debet litigare, vel ſe perturbare; ſed ad Prælatum, vel alium recurrere, qui ſuper his habet poteſtatem. Item cum habet aliquos ſeculares in adiutorium,

vel

vel cum eis aliquid facere cauſa officij; debet ſic honeſtè, & pacificè cum eis, & coram eis agere vniuerſa, quod non ſcandalizentur: & cum ſunt de familia ad ſuum officium pertinente, curam gerere ſpecialem, & in omni tempore cauere ne vnquam aliquem famulum, vel operarium etiam leuiter percutiat, vel iniurijs laceſſet, charitativè tamen poteſt eum corrigere, & inſtruere. Cum vero vnum officium duobus committitur, debet ſic prouidere Prælatus, quidnam ad unumquemque eorum pertineat: ne fortè dum vnus in alterum omnia perficienda refundit, interim aliquid ex neceſſario faciendis, vel negligatur, vel plene omittatur. Denique ſuper omnia cauere debet, ne ſit in aliquo negligens circa ea, quæ ad officium ſuum pertinent: & præcipue in his, unde turbatio, vel damnum temporale, vel ſpirituale Fratrum ſequi, vel ſcandalum poſſit oriri. Cum autem imponitur ei officium de nouo, de quo non eſt conſcius bene, quod ſciat illa, quæ ſunt in illo officio facienda; debet a Prælato petere, vt per aliquem exercitatum in illo officio ſe faciat in omnibus inſtrui diligenter.

Cap. XXXVII. De Officio Definitoris Capituli Generalis.

Circa ea, quæ ſunt agenda ante definitionem.

AD officium Definitoris Capituli Generalis pertinet, cum electus fuerit præſens in Capitulo, quod poſtulet a Priore Prouinciali huiuſmodi laborem ſibi iniungi in remiſſionem peccatorum: & ſic ipſo imponente recipiat officium humiliter veniam faciendo, & hoc ſi oportuerit eum ire in regionem longinquam. Bonum eſt etiam, quod ſuper huiuſmodi officium pro ſe, & pro ſocio ſibi aſſignato teſti-

teſtimoniales recipiat litteras a Priore Prouinciali, & Definitoribus, vel aliquibus alijs Prioribus de Capitulo: quas non negligat propter multas difficultates, quæ ex defectu litterarum huiuſmodi poſſent oriri. In ipſo Capitulo, in quo eligitur, debet ordinari de Socio, ſi præſens fuerit, vtrum inſimul ire debeant, & quando & per quas vias. Si autem alter illorum tantum præſens fuerit, debet prædictas litteras procurare, & de ſupradicta via cum abſente per litteras ordinare: quod ſi neuter præſens fuerit, debet Prior Prouincialis prædictas litteras procurare, & Definitori, vel Socio mittere: & qui primo recipit, alteri debet de via prædicta ſignificare. Cum autem declinauerit ad Conuentus, & in ipſo Capitulo, & inter extraneos, per quos tranſit, ſic in vigilijs, in ſobrietate, in ſilentio, in ſtudio, in oratione, & in omni honeſtate, & obſeruantia Religionis, in collocutionibus, & verbis ædificatorijs dare debet exemplum, & conſolationem omnibus; vt euidenter appareat, quod non immerito ad tantum negotium Ordinis ſit aſſumptus. Si vero Fratres aliqui, per quos tranſit, vel in ipſo Capitulo velint ipſi aliquid dicere de pertinentibus ad Ordinem, quod ſuum officium poſſit reſpicere, debet diligenter audire; ſed cauere, ne credat omni ſpiritui, vel ſuggeſtioni; niſi loquentes plene ſibi ſint noti, vel niſi poſt inquiſierit diligenter a Fratribus diſcretis, & fide dignis de conditione, & diſcretione, & zelo, & intentione, & motu loquentium, & in quibus, in quantum debeat eis credere. Debet etiam ſcire, quod melius eſt frequenter ſequi conſilium, & ſenſum eorum, qui parum ei loquuntur, quam multorum, qui multum ſe ſolent ingerere ad loquendum, & ſolent de ſingulis iudicare: nec eſt ſecurum conſcientiam ſuam ex huiuſmodi auditu formare, quouſque conſtet ſibi plenius de auditis. Item poſtquam factus eſt Definitor, debet diligenter reſpicere Acta Capituli præcedentis, & conferre cum Fratribus diſcretis, tam ſuper illis, quam ſuper alijs, quæcumque ad vtilitatem Ordinis poſſint in Ca-

pitulo

pitulo promoueri, & ſuper his per totum annum frequenter cogitare, & conferre, vt ſic melius ea poſſit promouere in Capitulo, ad quod debet dare operam habendo in aliquo memoriali Conſtitutiones nouas, vel admonitiones, & alia huiuſmodi, quæ videntur ei promouenda, quæ proponere debet inter Deffinitores tempore opportuno.

Circa definitionem.

ITem ad Capitulum debet ita tempeſtiue venire, ne mora eius Diffinitores alij ex hoc impediantur a procedendo in agendis: & cum in Domo fuerit, ſic Officium, & Miſſam dicere, vel audire tempore congruo, quod eorum occaſione, vel alia non impediatur, quin ſemper ſit cum ipſis tempeſtiue, vel in Capitulo, vel in loco diffinitionum. Cum autem in capitulo reſederit, ſic in loquendo, iudicando, & in omnibus, Socijs ſuis debet deferre, & ſibi eos anteponere, & in omnibus mature, honeſte, & commode agere, iuſte, & rigide tamen: & ſic ſine perſonarum acceptione pro tempore ſe habere; quod nec præſumptuoſus, vel inutilis, vel remiſſus, vel ſine zelo Religionis valeat ab aſtantibus reputari. Porro in diffinitionibus non debet contentioſe aliquid agere, vel clamoſe, nec eſſe multum confirmatus in ſenſu ſuo ſuper his, quæ ante deliberauerat, vel alijs quibuſcumque emergentibus, præcipue cum in diſcuſſione videt validiores ad oppoſitum rationes, vel videt illos, qui magis exercitati ſunt, & diſcretiones habentur, a ſua ſententia diſcrepare: quod ſi forte in aliquam declinat ſententiam, quæ ante pronunciationem diffinitionum videbatur ſibi nimis bona, poteſt, & debet illam ſententiam reuocare ante diffinitionem prædictam. Summopere cauendum eſt ſibi cum ſit iudex, ne aliquo caſu faciat aliquid pro perſona aliqua, vel Conuentu, vel Prouincia, vel Natione, vel con-

contra, quod ſapiat acceptionem quamcumque; neque vnquam debet declinare in aliquam ſententiam, quæ ad eneruationem Ordinis, vel minorationem ſtatus eius cedere poſſit; vel in aliquam ordinationem, quæ intollerabilis Communitati Fratrum reputetur, vel poſſit eſſe tranſgreſſionum occaſio plurimarum: ſed ſic in omnibus cum zelo ſancto, & diſcretione intendat, quod in patriam reuertens, ſuper aliquo, quod fecerit modico tempore poteſtatis ſuæ, non reportet conſcientiam remordentem. Si vero aliqua ſibi iniuncta fuerint a Condefinitoribus facienda, utpote legere litteras, vel ſcribere aliqua memorialia de his, quæ leguntur inter Definitores, vel habere curam de aliquibus, quæ inter eos recitantur, vel aguntur; ita quod circa hoc omiſſio, vel negligentia nulla contingat. Si vero Fratres aliqui velint ſibi tradere litteras aliquas vel aliqua pertinentia ad Definitores, debet ea recipere, & Definitoribus in communi præſentare. Debet etiam introducere quandoque Fratres, qui habent negotia, cum commode poteſt, ad eos. Ipſius eſt prouidere, quantum poteſt, ne ipſe, vel alij Definitores tantum occupentur circa alia perſonalia, vel localia, vel minus vtilia, quod communia, & vtiliora currente tempore expedire non poſſint. Item de his negotijs, quæ pertinent ad Prouinciam ſuam, debet conferre cum ſocio ſuo, vt ea cum communi conſilio (ſi talia ſunt, quæ vtrique ſunt communicata, vel communicari poſſint) expediat diligenter, & non confuſe. Proinde ſi habentur litteræ aliquæ, aut negotia aliqua pertinentia ad ſolum Magiſtrum, debent ante Capitulum quam cito poſſunt ei litteras præſentare, & negotia proponere ordinate: ſcilicet ea, quæ Prouinciæ ſunt primo, quæ ſunt Conuentus, vel Conuentuum aliquorum ſecundo, quæ ſunt Fratris, vel Fratrum, tertio: quæ ſunt eorum, qui non ſunt de Ordine, quarto. Si vero pertinent ad Definitores, obſeruata hora ab ipſo Definitore, debet ingredi Socius, & cum Definitore reddere litteras, vel proponere negotia ordine ſupradicto: & debent ha-

bere

bere curam de expediendis negotiis, & reſcribendo cum fuerit reſcribendum. Si vero ſunt negotia impertinentia ad Magiſtrum, vel ad Definitores; vt ſunt emptio librorum, & ſimilium, debent cum licentia Magiſtri (ſi fuerint neceſſaria) vel Prioris Domus (ſi ad eum peruenerint) adiutorio (ſi indiguerint) illa, prout poterunt honeſte, & religioſe expedire. Si vero fuerit aliquod negotium tale, quod inter vtrumque non ſit communicandum, debet ille, cui commiſſum eſt, vel ad quem pertinet, illud prout commode poterit, expedire. Cum autem inter Definitores agitur de Prouinciæ ſuæ ſtatu, vel aliquibus ad eam pertinentibus, debet ſuper quibus requiritur ab eis, vel a Magiſtro, per ſe fidele teſtimonium dare loquendo de ſingulis, de ſcientia, vel credulitate, vel neſcientia, prout conſcientia ſua reperit vniuerſa. Si autem aliquid habet referre de ſua Prouincia, debet omnia ſic recitare diſtincte, vt ſciatur à Definitoribus, quid dicat de motu ſuo, quid ex parte Capituli Prouincialis, vel Definitorum Capituli Prouincialis, vel Conuentus, vel Conuentuum, vel Fratris, vel Fratrum aliquorum.

Circa ea, quæ fuerint agenda poſt definitionem.

POſtremo terminata definitione, ſua intereſt dare operam, quod omnia, quæ ad ſuam pertinent Prouinciam, quæ nondum ſunt expedita, expediantur: & vbi in ingreſſu inuenerit Fratres turbatos in aliquibus in Capitulo ordinatis, reddere eis rationem ſuper iſtis, & eos vt commode poterit ſedare. In Capitulo vero ſuo Prouinciali, debet reddere omnia, & conferre, quæ ad ipſum pertinent, quæ de Capitulo Generali emanauerint: vt ſunt Acta Capituli Generalis, litteræ Magiſtri, litteræ, vel Indulgentiæ nouæ, ſi quæ ſunt impetratæ de nouo, & ſimilia: & habere curam, quod ibidem publicentur: & in Conſtitutionibus inchoatis de nouo, vel admonitionibus, ſi quæ obſcuritas inuenitur, vel admiratio oritur, declarare intellectum, & rationes aſſignare, quæ Definitores mouent

ad iſta. Si vero Magiſter, vel Definitores commiſerint ei aliqua verbo, & litteris, in ſua Prouincia, vel alibi nunciāda, vel exequenda, quod iniunctum fuerit diligenter executioni mandare.

Cap. XXXVIII. De Officio Socij Definitoris Capituli Generalis.

OFficium Socij Definitoris Capituli Generalis eſt huiuſmodi. Cum officium ſibi fuerit iniunctum, debet cum venia, & humilitate recipere: deinde cum Definitore de agendis (ſi præſens eſt) verbo, vel ſi abſens eſt, per litteras pertractare, & ei tanquam maiori in eis, quæ communiter ad eos pertinent obedire. Habere etiam curam ſpecialem de petitionibus Prouinciæ, & litteris Capituli Prouincialis, vel Conuentuum, vel Fratrum portandis; & de negotijs alijs, vt ſunt cauſæ, vel quæſtiones, vel alia quæcunque, proferendis, & cum conſilio Definitoris, & auctoritate ipſius ſuo tempore promouendis. Si autem contingat eum ire cum Definitore, licet prior ſit in Ordine, debet eum tanquam Priorem habere, & procurare apud Priorem Prouincialem, quod hoc ipſum ordinetur ab eo.

Circa Catitulum.

POrro cum in loco Capituli fuerint, debent in dicendo officium, in celebrandis Miſſis, in iacendo prope eum, ſi fuerit ordinatum, in ſcribendo, vel exequendo aliqua pro eo, ſi voluerit, & ſimilibus, ei aſſiſtere reuerenter, & diligenter iuuare: negotia quoque, prout poterit, debet eidem reducere ad memoriam, & cum eodem, ſi vult conſilium promouere: litteras quoque ad Magiſtrum Ordinis, & Definitores pertinentes, quas habet cum eius conſilio reddere tempore opportuno. Item dum Definitor vacat definitionibus, debet habere curam ſpecialem de litteris Magiſtri, & Indulgentijs nouis, ſi

ibi fuerint, & ſub authentico ſigillo habendis, & ſimilibus, quæ oportet ad profectum ſuæ Prouinciæ deferre, & ſollicitare Magiſtrum ad reſcribendum illis, qui ſcripſerunt de ſua Prouincia. Debet etiam litteras procurare de beneficijs, quæ fuerint procurandæ pro perſonis ad ſuam Prouinciam pertinentibus, & proſequi cauſas ſuæ Prouinciæ, ſi quæ fuerint vel agendo, vel reſpondendo quantum de iure poteſt; & alia negotia ſuæ Prouinciæ, quantum poteſt ſine Definitore expedire, & pro iſtis cum poteſt ad eum recurrere; & omnia huiuſmodi ſic ſollicite expedire, quod facta definitione non oporteat moram contrahere propter iſta. Si vero Definitores, vel Magiſter Ordinis inquiſierint aliquid ab eo de pertinentibus ad Prouinciam ſuam, vel ipſe aliquid de iſtis habeat dicere eis, debet circa iſta fideliter, & diſcrete procedere, ſicut ſupra dictum eſt de Definitore.

Circa regreſſum.

IN regreſſu vero magis ſpecialem curam debet habere de Actis, & litteris, & alijs huiuſmodi reportandis, quam Definitor, licet vterque habeat de his cogitare, & reddere omnia, quibus fuerint reddenda. In Capitulo vero Prouinciali debet Acta, litteras Magiſtri Ordinis, & Indulgentias, quæ ſunt nouæ, & alia pertinentia ad Capitulum illud, reddere Definitori, & laborare cum eo, vt legantur, & fiat de eis, quod fuerit faciendum. Si vero Magiſter, vel Definitores aliqua commiſerint ei agenda cum Definitore, vel ſoli; debet exequi diligenter prout fuerit ſibi dictum.

Circa ſucceſſionem in definitione.

QVod ſi oporteat eum Definitorem eſſe ſecundum formam Conſtitutionum propter mortem, vel impedimentum Definitoris, tunc ad eum pertinent omnia, quæ de Definitore ſunt prædicta, ſi vero antequam

re-

receſſerit de Prouincia ſua, contingat illud impedimentum tali tempore, quod hoc Prouinciali poſſit ſignificare, debet illi notificare; & cum eius conſilio Socium accipere, qui prædicta de Socio prout poterit, compleat diligenter. Si vero in via Definitor impediatur, vel tam intempeſtiue, quod non poſſit habere recurſum ad Priorem Prouincialem, tunc ſicut poterit prouideat de Socio. Denique tam ad Definitorem, quam ad Socium pertinet, cum ſunt noui, & inexperti in iſtis, dare operam, vt per expertos circa huiuſmodi in his, quæ neſciunt inſtruantur: & ipſi cum inſtant agenda, debent diligenter notare, quomodo ſe habeant illi, qui magis ſufficientes in huiuſmodi reputantur, & eiſdem prout potuerint ſe conforment.

Cap. XXXIX. De Officio Electoris Magiſtri Ordinis.

AD Officium Electoris Magiſtri Ordinis pertinet, quod poſtquam electus eſt, poſtulet, (vt ſupra dictum eſt de Definitore) ſi oporteat eum ire longius, a Priore Prouinciali huiuſmodi laborem ſibi iniungi in remiſſionem peccatorum, & iniunctum ſuſcipere cum venia humiliter & deuote, & hoc ſi fuerit præſens in loco electionis. De litteris quoque teſtimonialibus idem ſeruetur, quod de Definitore eſt ſupra dictum: de Socio vero, & via, & tempore eundi, debet facere ſecundum conſilium Provincialis. Porro in via inter Fratres, inter extraneos, in Conuentibus, in Capitulo, & vbique, debet illam honeſtatem, & religioſitatem ſervare, quæ de Definitore ſunt ſuperius prædicta. Pro negotio vero electionis, debet a tempore ſuæ electionis orare deuote, & orationes a ſanctis perſonis cum poterit impetrare: vt ſecundum voluntatem Dei, & vtilitatem Ordinis tam ipſe, quam alij dirigantur. Cum autem aliquos Fratres inuenerint diſcretos, & Deum timentes, exercitatos in negotijs Ordinis, & per-

& perſonarum, habentes Ordinis notitiam: debet libenter cum eis conferre in ſancta & ſimplici intentione; vt per eos in aliquibus pertinentibus ad negotium plenius informetur. Cauendum eſt autem ei, ne propter auditum, aut notitiam leuem, ad eligendum aliquem inclinetur, niſi prius per fide dignos, & qui talem magis de propinquo nouerint, plenius inſtruatur: nec vnquam debet ſic animum ſuum in aliquem firmare, quin ſi aliquid melius ex collatione aliqua poſtmodum appareat, paratus ſit ad alium transferre vocem ſuam. Illud quoque diligentiſſime præcauendum eſt ei, ne notitia, vel familiaritas, vel confidentia præſumpta de aliquo, vel turbatio contra alium, vel deſpectio quæcumque, vel aliæ ſimiles, vel diſſimiles cauſæ, quæ Spiritum Sanctum non ſapiunt, eum moueant in aliquo contra aliquem; ſed ſolum pura, & ſancta intentio, & recognitio; ſolum Dei voluntatem, & vtilitatem Ordinis inueſtigans. Debet etiam attendere, quod licet in huiuſmodi perſona ſint multa attendenda, ſi reperiri poſſent in aliquo, vtpote conditio generis, & perſonæ, ſcientia, fama, auctoritas, notitia, gratia prædicandi, & inter homines conuerſandi, & alia multa: tamen ſuper omnia videntur attendenda, vitæ ſanctitas, diſcretio naturalis, experientia prælationis, zelus ſanctus: animoſitas ad mala perſequenda, & bona promouenda; maturitas in agendis cum oportuerit, condeſcenſio ad infirma, firma de Deo fiducia in ſolitis, & grauibus cum emergunt. Cæterum vero tamquam pernicioſum, & viliſſimum eſt procul abijciendum, ne vnquam inducat, vel inducere ſuſtineat quemcumque circa huiuſmodi negotium ad aliquid, niſi quod pure ſanctitatem ſapiat, & virtutem; ſed ſic in omnibus cum timore Dei diligenti deliberatione procedat, & votum ſuum ſolum in Deum, & Ordinis transferat vtilitatem: habens præ oculis, quod nihil faciat vnde malam reportans conſcientiam gemere habeat omnibus diebus vitæ ſuæ, cum aliquid fecerit, quod poſtmodum nunquam poterit emendare. Si vero

facto ſcrutinio publico nondum valet electio, nec videatur per proceſſum, quod valere poſſit, niſi mutet vocem ſuam, multo melius eſt mutare vocem (dummodo cum bona conſcientia fieri poſſit) quam diu diſcordiam ſuſtinere. Sed in mutatione iſtud videtur ſecurius, quod cum oportet mutari propter concordiam, illorum ſequatur conſcientiam, & ſenſum, qui ſecundum ſuam conſcientiam, & ſenſum melioris, ſanioris ſententiæ reputantur. Denique omnia, quæ acta ſunt in ſecreto, ſic debet habere ſecreta, quod numquam ex ore eius egrediatur aliquid vnde poſſit aliquid de illis percipi: vel poſſint aliquis Frater percipere; quod talis, vel tales Fratres elegerunt hunc, vel illum reprobauerunt, vel illi contrarij fuerunt, & ſimilia, quæ poſſunt inducere turbationem. Debet etiam eſſe cautus, quod in collatione facienda de aliquibus eligendis ante electionem inter Electores ſuos, non eſt ſecurum conſentire propter occaſiones, denigrationis famæ multorum, & alia multa, quæ ſolent inde ſequi. Porro in regreſſu cum declinat ad Fratres, debet laudare quantumcumque poteſt cum bona conſcientia, quod factum eſt, & ſuper hoc Fratrum animos conſolari.

Cap.XL. De Officio Electoris Prioris Prouincialis.

AD Officium Electoris Prioris Prouincialis pertinet, vt cum electus fuerit, conferat cum Priore, & Conuentu de litteris ſuper hoc habendis, & de ſocio in via, & faciat, prout ſuper hoc duxerit ordinandum: in alijs autem, quæ ad electionem pertinent, obſeruet habito reſpectu ad Prouinciam, omnia, quæ ſupra dicta ſunt de Electione Magiſtri Ordinis, habito reſpectu ad Ordinem Vniuerſum. Multum autem attendere debet, quod talis eligatur (ſi fieri poteſt) qui ſit ad pacem, & conſolationem communem Prouinciæ, dummodo aliæ circumſtantiæ

tiæ bonæ concurrant: & libentius debet procurare, quod aliquis de Prouincia eligatur, dummodo ſit ſufficiens, & habeatur vtilis; quam aliunde, etiam ſi magis ſufficiens habeatur, de quo non ſperetur, quod poſſit haberi, niſi cum magna anguſtia animi ſui, & anhelaret ad recedendum, quam citius poſſet. In formatione vero decreti, ſi opus fuerit, debet in omni caſu ſine difficultate qualibet, teſtimonium perhibere veritati.

Cap. XLI. De Officio Definitoris Capituli Prouincialis.

AD Officium Definitoris Capituli Prouincialis pertinet, vt poſt electionem audiat negotia Fratrum modo ſequeſtratim, modo cum alijs Definitoribus, prout ipſi requirunt, & ipſe poterit vacare: recipere etiam litteras, vel memorialia, quæ ad Definitores pertinent, cum ei porriguntur; vt ea inter Definitores præſentet tempore opportuno. Poſtquam autem inchoatum fuerit Capitulum, debet cum Priore Prouinciali in loco Definitorum in Capitulo ſedere, hoc ordine ſeruato inter Definitores, vt qui primo ſedent in Choro, primo ſedeant inter eos. Cauendum eſt autem ei ne aliquid faciat pro Fratre, vel Conuentu, vel contra, quod ſapiat priuatum amorem, vel turbationem, vel vindictam contra alium: ſed tantum ea, quæ ſapiunt æquitatem, & bonum. Item ne ſit facilis ad mutationes faciendas, ſiue in abſolutione Priorem multorum, vel translationibus Lectorum, & Fratrum, niſi quando poſt diſcuſſionem diligentem manifeſta ratio reperitur. Item non tantum intentus ſit circa particularia facta, ne quod ad commune bonum, & magis, quod pertinet ad ſtatum totius Prouinciæ, negligatur. Porro circa Conuentus nouos, & remotos, & deſolatos, vel præ paucitate Fratrum vel paupertate, vel propter aliqua ſcandala ibi orta, vel, alijs de cauſis, vt releuentur a grauaminibus, & bene proui-

uideatur eiſdem, & in aliquo non grauentur: ſimiliter circa ſtudium, & omnia pertinentia ad id promouenda. Item circa Fratres, qui notati ſunt de ſcandalo turbationis, & periculoſi reputantur; reprimendos, & refrenandos, & in talibus Conuentibus collocandos, vbi ſub diſciplina, & cuſtodia bona alicuius cuſtodiantur; & ſimilibus, quæ ſunt maioris neceſſitatis, debet habere curam maiorem quantum in eo eſt. Sunt & alia quædam notata in Capitulo de Officio Prioris Prouincialis circa Fratres, quæ pro magna parte eidem quantum ad officium ſuum in modico tempore pertinent, conſideranda ſunt, & ſollicite obſeruanda. Item pertinet ad eum, cum alijs diuidere Viſitatoribus Domos viſitandas, & alia quædam, quæ in Conſtitutionibus expreſſa ſunt, & in admonitionibus Capituli Generalis, quandoque inſeruntur: in ſuper, & multa alia de illis, quæ ſupra notata ſunt de officio Definitores Capituli Generalis, quæ omnia ſunt ab eo conſideranda diligenter, & prout competunt obſeruanda. Deinde finita definitione, cum aliquos turbatos viderit de aliqua ordinatione, non debet ita ſe ſuper aliquo excuſare, (licet in illo non conſenſerit) quod ſuper ſocios ſuos calumnia deuoluatur; vel quæ acta ſunt inter eos, de quibus oritur turbatio, per quos factum ſit, reueletur.

Cap. XLII. De Officio Viſitatoris.

Circa ea, quæ præcedunt viſitationem.

AD Officium Viſitatoris pertinet, ſi laborioſa fuerit ſua viſitatio, poſtulet a Priore Prouinciali laborem in remiſſionem peccatorum ſibi iniungi. Socium quoque de eius ordinatione, ſi poteſt ei loqui, vel ſcribere, vel ſi hoc non poteſt, de ordinatione Prioris ſui Conuentualis aſſumere debet. Si vero ante tempus viſitandi contigerit eum infirmari, vel aliter impediri, debet Priori Prouinciali hoc indicare, vt de alio prouideat, qui ſuppleat vices eius. Porro tempus ad viſitandum debet eli-

gere tale, in quo Fratres melius poſſint haberi in domo, ſine damno prædicationis, vel prouiſionis temporalium, & quod non concurrat cum viſitatione Prioris Prouincialis, vel nimium ſit vicinum viſitationi, vel Capitulo ſequenti, vel præcedenti Prouinciali, vel Generali, ſi fuerint in Prouincia illa celebranda. Cum autem venturus eſt ad domum aliquam, debet primo ſignificare tempus aduentus ſui; vt Fratres abſentes commode conuocari poſſint. Non debet autem ad conuocandos Fratres inferre neceſſitatem, qui ſine magno damno domus, aut ſalutis animarum conuenire non poſſint: niſi magna, & rationabile cauſa, & neceſſitas hoc requirat.

Circa quædam in generali.

INtereſt etiam ipſius portare ſecum litteras Magiſtri Ordinis, & alia, quæ emanauerunt à Capitulo Generali, vel Prouinciali: & facere ea legi, in præſentia ſua, in Capitulo, vel in menſa cum Fratres communiter interſunt. Debet autem ſummatim in omni Conuentu videre, & inquirere, ſi habentur libri Officij Eccleſiaſtici bene correcti. Item ſi habentur libri ſcholaſtici ſufficienter, ſi habentur paramenta Eccleſiaſtica, & huiuſmodi, quæ pertinent ad cultum Dei competentia. Item quomodo fit Diuinum Officium, & quomodo proficitur in ſtudio. Item qui, & quot Fratres ſunt in domo, qui multum reputentur idonei ad proficiendum in ſtudio, quos exigentibus meritis ad hoc expediat promoueri: quot boni Prædicatores, quot boni in conſilijs, quot boni ad Confeſſiones; ſi qui graues in moribus, vel notati publice de ſcandalo: ſi multi grauibus, & longis infirmitatibus prægrauati: ſi habentur competenter temporalia, & qualiter. Item ſi habitant inter deuotos homines, ſi domus eſt onerata multitudine Fratrum, vel paucos habet, ſi ſunt Fratres de illa Natione, vel aliunde, ſi libenter morantur Fratres in illo Conuentu, vel inuiti, ſi habent pacem Fratres cum Prælatis, & ſimilia multa,

vt

vt tempore ſuo his cognitis in genere, ſciat melius Priori Prouinciali, vel Definitoribus conſulere de his, quæ circa domum illam fuerint ordinanda, & ipſe nihilominus faciat bonum quod poterit, quantum officium ſuum ſe extendit. Porro ante tempus viſitationis ſuæ, non pertinet ad eum facere aliquam inquiſitionem ex officio, licet ipſe poſſit audire aliqua, ſi aliqui gratis ad hoc ſe ingeſſerint, vel ſine inuitatione aliqua gratis dicere voluerint: in quibus tamen non ſunt expendendi dies multi; ne in fraudem prolongandi dies officij, hæc fieri videantur.

Circa Capitulum.

CVm autem primo Capitulum intrauerit ad officium exercendum, poteſt aliquam breuem collationem facere Fratribus de aliqua ſpirituali materia, & utili ſi voluerit: deinde reccommandare Fratrum orationibus, illos, quos voluerit. Poſtmodum facere iniunctionem, & admonitiones de pertinentibus ad officium; ſicut viderit expedire. Solet autem in communi viſitatione Capituli, vbi aliqua ſpecialis cauſa hoc requirit, iniungi vniuerſis abſque præcepti expreſſione, quod quilibet dicat ei illud, quod ſibi videtur dicendum ſecundum ſuam conſcientiam pro bono Ordinis, ſiue in Capitulo, ſiue extra, ſecundum quod requirit natura negotij: videlicet, quod dicendum eſt in Capitulo, dicat ibi; & quod extra dicendum eſt, dicat extra. In admonitionibus vero ſolent Fratres reddi cauti, ne aliquid dicant contra aliquem ex aliqua turbatione, vel motu inordinato; ſed ſolum ex ſinceritate fraternæ charitatis, & amore Ordinis. Item ne taceant aliquid dicendum, vel ex familiari amore, perſonæ, vel timore quocunque, vel alia quacunque ex cauſa minus religioſa. Ipſis etiam Prælatis, & Fratribus poteſt iniungi, ſi videatur expediens, quod occaſione eorum, quæ dicuntur ex conſueto modo contra aliquem nihil poſtmodum dure agant, cum

etiam

etiam ſit conſuetum, quod ipſi Priores inſtante viſitatione ſoleant animare in Capitulo Fratres ad dicendum fideliter omnia, quæ videntur eis dicenda. Item, quod caueant quod non dicant inutilia, vel quæ alias ſunt correcta; vel quæ ſecrete ſunt dicenda, non dicant in publico, & ſimilia. Item, quod in proclamando ſe habeant modeſte, & formam Conſtitutionum obſeruent diligenter. Hæc quoque, & ſimilia plura, vel pauciora poſſunt dici, ſecundum quod ratio ſuggeret, ſtatu domus, & circumſtantijs ad hoc pertinentibus conſideratis. Poſt huiuſmodi vero iniunctiones, & admonitiones antequam procedatur ad culpas audiendas, dandum eſt aliquod tempus Fratribus ad loquendum ſibi ſecreto, ſi voluerint; vt ex aliquibus auditis magis inſtructus, ſciat melius quid ſit agendum. Si vero ſibi videatur, poteſt vocare aliquos, & maxime diſcretos, & magis dignos fide, etiamſi gratis non veniant, ad inquirendum de ſtatu domus leuiter, & ſummatim. Ex his vero, quæ ſibi dicuntur ad partem, non multum expedit, quod conſcientiam ſuam formet, niſi poſtquam diligentius inveſtigauerit de conditionibus perſonæ loquentis; ſi forte eum non cognoſcat, ex diſcretione, & zelo, & motu, & modo. Ex his autem, quæ dicuntur in occulto, non debet ad aliquam ſententiam contra aliquem in aliquo procedere, niſi in publico recitentur. Inſtruere etiam debet ſibi loquentes in ſecreto, cum loquuntur de talibus, quæ ſolent & poſſunt in proclamationibus dici, quod non bene liberant animas ſuas, niſi in publico illa dicant. Si autem viderit aliquos paratos ad dicendum aliqua in publico, quæ dici ſic non ſolent, nec debent debet eos inſtruere charitatiue, ſi ex ſimplicitate hæc faciunt, quid eis ſit agendum: Si vero ſibi videatur malitioſe id fieri, terroribus, & comminationibus, debet eos in iuſtitia refrenare, & condigne punire poſtmodum ſecundum quantitatem exceſſus, ſi procedunt. Porro cum prælibatis prædictis, tenetur Capitulum de culpis, ſic cum debito moderamine, & diſcretione cuncta ſunt eidem agenda; vt viſitatio-

tio, quæ inducta eſt ad correctionem malorum, non ſit occaſio exceſſuum augendorum. Proinde curandum eſt ei, quod male accuſantes reprimat, & refrenet, & quod bene accuſantes iuuet; quod dubia diligenter inquirat, quod accuſato det licentiam, & tempus ad reſpondendum: quod in friuolis non permittat ſe occupari, quod ea, quæ digna ſunt reprobatione çum audiuntur, valde verbis reprobet, & inſinuet eſſe horrenda; quod laudabilia ſic commendet, quod ad ſimilia animet aduenientes, quod iniungendo pœnitentias prudenter diſcernat quantitates culparum, & prout poſſibile eſt ſine tranſitione puniat iuſto modo, & pluſquam in quotidianis Capitulis puniri ſoleant exceſſus, ne viſitatio veniat in contemptum. Ante iniunctionem vero pœnitentiæ, agrauet culpas, quas audiuit dignas maiori reprobatione in quolibet accuſato; vt per hæc audientes inducantur efficacius ad cauendum. Ad hoc, ſi in his, quæ in ſecreto, vel in publico, in domo, vel etiam extra domum audiuit, videatur quod circa aliqua maiora ſit plenius aliquid inquirendum, de quibus per communem modum ſupradictum viſitandi nondum ei eſt ſatisfactum, poteſt procedere ad præcepta, vel omnibus, vel aliquibus facienda, in publico, vel ſecreto, ſecundum quod negotij natura requirit. Cauendum tamen ne faciat aliquid contra aliquem iniurioſe: in grauibus vero ne ita parcat alicui, quod culicem excolare, & camelum glutire videatur. Sunt, & alia ei diligenter obſeruanda, quæ in Conſtitutionibus, & admonitionibus Capitulorum, & ſupra in *Capitulo de Officio Prioris Prouincialis* circa viſitationem ſunt conſcripta. Cum autem ad terminationem viſitationis accedere voluerit, ſi vel aliquas ordinationes, vel admonitiones arctius cuſtodiendas relinquere, debet primo ſuper his cum diſcretis Fratribus conferre, & eorum ſenſui, qui nouerunt plenius ſtatum domus, & patriæ, quam ſenſui ſuo credere. Poteſt autem, & huiuſmodi in ſcriptis in aliquo memoriali relinquere in cuſtodiam Supprioris; vt ſciatur tempore ſuo ſi illa fuerint correcta, vel obſeruata, & ipſe poteſt me-

mo-

moriale retinere. Finaliter autem principaliter debet intendere ad hæc, & laborare, quod per viſitationem ſuam ſequatur correctio exceſſuum, pax, & tranquillitas relinquatur. Propter quod ſi videt aliquam turbationem, debet ante terminationem viſitationis dare operam ad quietandum; ſi religio in aliquo depereat, reformetur obedientia, concordia, deuotio, & omne bonum in Fratribus augeatur.

Circa quædam poſt Viſitationem.

SI vero Fratres, vel Conuentus rogauerit eum, vel ſuper aliquibus promouendis apud Priorem Prouincialem, vel ad Definitores Capituli Prouincialis, vel Magiſtrum Ordinis, vel alibi: ſi ſibi rationabilia videntur, debet eis libenter acquieſcere, & ſuper his memoriale facere, & proponere ea tempore opportuno: nec Fratrum defectus, niſi ſolum Prouinciali, vel Definitoribus, vel Magiſtro, prout eſt ſecundum ordinem faciendum dicat; ſed potius bona de Conuentibus viſitantis prædicet, prout ſecundum conſcientiam facere poterit bono modo.

Cap. XLIII. De Officio Prædicatoris Generalis.

AD Officium Prædicatoris Generalis pertinet, cum ad hoc aſſumitur, cum venia ſuſcipere illud officium, & ad Capitulum Prouinciale venire, niſi de licentia, vel ex cauſa remanſerit, Cum autem non venerit, debet ſe excuſare per litteras continentes cauſam abſentiæ ſuæ. Ipſe etiam eſt de corpore Capituli Prouincialis, & pertinet ad ipſum electio Definitorum Prouincialis, & Generalis Capituli, & Viſitatorum, & diſcuſſio petitionum Capituli eiuſdem, & ſimiliter, quæ ad ipſos pertinet.

Et ideo ſolet ſpecialiter talibus concedi, quod habeant ſpeciale ſigillum. Ad hoc etiam debet apponere curam, quod habeat maiorem notitiam Fratrum de Prouincia, & exercitium circa ea, quæ in Capitulo ſunt agenda, vel pertinent ad communem ſtatum Domus, vel Prouinciæ. Debet etiam frequentius, & libentius vbique prædicare, præcipue ſi gratiam habeat prædicandi. Non eſt autem propter hoc officium exemptus in aliquo ab obedientia Prioris ſui, vel a communi vita Fratrum aliorum: niſi quo ad hoc, quod poteſt ſine licentia ſpeciali ire ad Capitulum Prouinciale, vt prædictum eſt. Sed de Socio, & tempore eundi, ſtare debet ordinatione Prioris ſui, dummodo ſic ordinauerit, quod ſperetur, quod poſſit illuc commode peruenire.

Cap. XLIV. De Officio Socij Prioris Conuentualis euntis ad Capitulum Prouinciale.

Circa quædam ante Capitulum.

PRiori Conuentuali ituro ad Capitulum Prouinciale, eligendus eſt in Socium Frater, qui poſſit laborem viæ ſecundum formam Ordinis ſuſtinere: qui commode exercitium habeat, vel ſaltem aptitudinem ad ea, quæ in Capitulo agenda ſunt, quod etiam fidelis reputetur ad agendum pro omnibus, ſiue pro Conuentu, ſiue Fratribus ſingulis, ſiue Prælatis, ſiue Lectore, quod ſecundum veritatem fuerit faciendum. Ad huiuſmodi vero officium pertinet accuſationes Prioris, ſi quæ fuerint, petitiones, & litteras, & negotia quæcumque, ſiue Conuentus, ſiue Fratrum ſingulorum recipere, & portare ad Capitulum; & dare operam, quod illa, quæ ſigillanda ſunt, ſigillentur.

Circa

Circa Capitulum.

CVM autem fuerit in Capitulo, pertinet ad eum ſicut ad membrum, cum ſit de corpore, circa omnia, quæ ad cauſam pertinent, ſicut prædictum eſt de Prædicatore Generali. Specialiter verò negotia Conuentus, vel Fratrum ſuorum, debet procurare; videlicet litteras miſſas Priori Prouinciali, vel Definitoribus, vel aliis reddere tempore opportuno. Accuſationes Prioris ſui in Capitulo diſcretè, & ſimplicitèr proponere, prout fuerint formatæ. Si autem aliquas alias de motu ſuo facere voluerit, eas ſequeſtratim, & diſtinctè ab alijs opponere. Petitiones ſingulorum Fratrum ad Prouincialem, ſi quæ ſibi commiſſæ fuerint, oſtendere, & procurare. Si verò à Prouinciali, vel Definitoribus aliquid ab eo fuerit inquiſitum, de ſtatu Prioris, vel Conuentus, vel Fratrum aliquorum, ſic ſimplicem veritatem dicere debet, quod pro aliquo, vel contra aliquem nunquam inclinet ſe: niſi quantum requirit æquitas, & veritas, omni motu inordinato excluſo. Cùm autem aliquid dicit, debet huiuſmodi diſtinguere diſcretè, quid dicit de motu ſuo, quid de aliorum, & quorum: quid de voluntate Conuentus, vel totius, vel maioris partis, & quæ ſit pars illa maior, ſi expedierit enarrare. Item pertinet ad ipſum oſtendere Priori Prouinciali indulgentias Domus, quas habet, aut in Lectore, aut in Prædicatoribus, aut in Fratribus expeditis in conſiliis, aut in Confeſſoribus, aut in Cantoribus, aut in Conuerſis, ſecundum varia exercitia, aut in paucitate Fratrum, & ſimilibus, & grauamina, aut in infirmis, aut in diſcolis, aut in nimia multitudine Fratrum, & ſimilibus, & laborare debet per ſe, & per Fratres ſibi notos, & amicos ſui Conuentus, vt domui ſuæ per Priorem Prouincialem, & Definitores vtiliter prouideatur. Cauendum etiam eſt ei, ne de motu ſuo, vel aliorum de ſuo Conuentu, qui ad partes locuti fuerint, ſibi procuret aliquid,

quod ad turbationem Conuentus: vel Fratrum de Conuentu ſuo, qui meliores, & diſcretores reputantur valeat prouenire.

Circa quædam poſt definitionem.

VErum ſi contingat Priorem ſuum abſolui, vel poſt definitiones omitti aliquid eorum, quæ in ſuo Conuentu ſunt neceſſaria, vt prouiſio de Lectore, & huiuſmodi: tunc cum illis, qui fuerint in Capitulo de domo ſua, vel etiam aliorum Fratrum, vel quibus Conuentus ſuus confidit, debet tractare quid poſſit fieri pro domo ſua; ſiue in poſtulando, quos poſſit eligere, ſiue in confirmationis commiſſione; ſiue in prouiſione de Lectore, & ſimilibus. Deinde in regreſſu non debet moram contrahere, ſed ſicut poterit, bono modo ad Conuentum ſuum feſtinare. Et ſi aliqua negotia fuerint, quæ expediat eis tam cito ſcire, debet hoc, quam cito poterit per litteras intimare, ſi ante aduentum ſuum hoc præſciri expediat. Cum autem venerit cauere debet ne rumores inutiles de Capitulo referat, vel infirma, vel aliquid, vnde Fratres turbet contra Priorem Prouincialem, vel Definitores, vel aliquos Fratres, qui minus fuerint fauorabiles, vel contrarij in ſuis negotijs, ſed potius ea referat, quæ ad conſolationem, & pacem Fratrum debeant prouenire; & det operam pacificare Fratres in communi, & ſingulariter, ſi aliquos eorum viderit turbatos ſuper ijs, quæ acta ſunt in aliquo, vel ommiſſa, ſuper his reddens, prout poterit excuſationem rationabilem.

Cap. XLV. De Officio Confeſſoris.

FRater, qui confeſſiones auditurus eſt, neceſſarium eſt, vt ſciat quantum poteſtatis habet. Item, vt ſciat quæ & qualiter a confitente inquirere debet. Item oportet eum eſſe cautum circa abſolutiones, & circa excommunicationes, diſpenſationes, & alias ſatisfactiones, &

circa

circà caſus matrimoniales: & circà pœnitentiarum iniunctiones, & ſimoniarum reſignationes, & circà modum habendi ſe ad confitentem, & ſpecialiter circa ſecretum Confeſſionis.

Circa poteſtatem.

CIrca poteſtatem notandum eſt, quod Frater, cui non eſt dictum à Prælato ſuo, vel ab alio, qui poſſit ei dare iuriſdictionem, quod audiat Confeſſiones, de nullo peccato mortali poteſt abſoluere. Ille autem, qui habet poteſtatem à Diœceſano videre debet, quam poteſtatem habeat, & ad maiorem certitudinem, bonum eſt, quod de hoc litteras habeat, vel memoriale aliquod.

Circa inquiſitionem.

CIrca inquiſitiones notandum eſt, quod duo ſunt genera interrogationum, quæ à peccatore confitente quærendæ ſunt. Quædam enim pertinent ad ipſam perſonam contentis: quædam vero ad facta perſonæ. Illæ vero, quæ pertinent ad perſonam naturaliter ſunt priores: vnde niſi Sacerdos ſciat, poteſt inquirere à confitente utrum ſit Clericus, vel laicus: & ſi Clericus, vtrum Religioſus, vel non, & vtrum habeat beneficium Eccleſiaſticum, vel non, præcipuè cum cura animarum. Si laicus, inquiri poteſt cuius officij ſit, & utrum in matrimonio ſit, vel ſolutus: & vtrum paterfamilias, vel de familia alterius. Cognito vero qualis ſit perſona, ſecundum ſtatum ſuum, vel perſonæ, poſſunt fieri aliquæ aliæ interrogationes. Mulieres verò præcipuè inquirendæ ſunt de ijs, quæ ad eas pertinent. Milites inquirendi ſunt præcipuè de rapinis, & iniurijs, de venditione juſtitiæ, de profuſione pecuniæ cauſa adulationis, vel hiſtrionatus facta: de vana gloria, & laboribus, & doloribus, quos pro ea habent: & ſumptibus, quos propter ea faciunt. Mercatores verò quærendi ſunt de mendacijs, & periurijs, & venditione

ad terminum in fraudem vſurarum facta, & de alijs fraudibus. Burgenſes verò inquirendi ſunt de ſocietate, de modo, & cauſa congregandi diuitias. Inquirendi ſunt etiam de inuidia: mos enim ciuium eſt: alios alijs inuidere. Illi vero, qui ſunt de familia alicuius potentis inquirendi ſunt vtrum domino ſuò fideles extiterint, de adulatione, de mendacijs, de rapinis, de prauis conſilijs, de iniqua acceptàtione munerum, & vtrum domino præcipienti aliquod impium obedierunt. Clerici vero inquirendi ſunt de perceptione ſimoniaca beneficiorum, & Ordinum: & ſi deſerviunt, prout beneficia ſua requirunt; & an dicant officium, ſecundùm quod Ordo eorum requirit, & de modo diſpenſandi reditus ſuos. Alij, qui habent curam animarum, inquirendi ſunt, vtrum ſint ſolliciti, quomodo de cibo ſpirituali filijs ſuis prouideatur: & alijs, quæ ad regimen animarum pertinent. Inquirendi ſunt agricolæ de fraudatione ſui laboris, & vtrùm reddant, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: de falſis teſtimonijs, & de vſurpatione alienarum terrarum, & de inuidia: & de accuſatione proximorum apud Deum. De fide non eſt tutum interrogationem facere, licet hoc aliqui magnifaciant niſi in caſu, in quo illa perſona ſuſpecta eſſet de fide. De peccatis vero occultis, vt eſt de peccato contra naturam, non eſt inquirendum, niſi cautè, ne aliquid manifeſtetur ſimplicibus, quod ipſi neſciant, quod poſſit eis eſſe occaſio peccandi. Modus autem inquirendi poterit eſſe talis: poterit quæri vtrum inſultus carnis aliquando patiatur: & ſi reſponderit, quod ſic, poterit quærì, vtrum titillatio ducat eum ad aliquid faciendum: & ſi ſic, quod eſt illud, & ſic nihil ei manifeſtatur, ſed datur ei occaſio manifeſtandi ſe. Aliqui tamen quærunt vtrum vigilando ſemen effuderit abſque naturali uſu mulierum, & ſi reſponderit, quod ſic: qua occaſione ei accidit. Sed inexperti opus carnale, non intelligerent, quid eſſet effuſio ſeminis.

Circa abſolutiones vero.

NOtandum eſt, quod non eſt requirendum ab eo, qui confitetur iuramentum, vel votum, vel alia obligatio, quod abſtineat a mortali; ſed ſufficit, quod habeat bonum propoſitum, & bonam voluntatem abſtinendi, & ſpecialiter a luxuria: & quod remittat odium, ſi quod habet contra aliquem: & quod velit ſatisfacere pro poſſe de iniurijs, ſi quas fecit: & quod pœniteat de omni peccato mortali, quod fecit; ad minus in generali. Si autem dicit ſe nolle, vel non poſſe abſtinere ab aliquo mortali, non eſt iniungenda pœnitentia; ſed ſignificandum eſt ei, quod ſi decederet in tali ſtatu, damnaretur. Verum dandum eſt ei aliquod conſilium, quod faciat, vt Deus illuſtret cor eius ad pœnitentiam; & dicendum eſt ei, ne in tali ſtatu communicet.

Circa Excommunicationes.

NOtandum eſt, quod ille, qui audit confeſſiones, non debet ſe intromittere ad dandam alicui abſolutionem ab Excommunicatione, niſi ſciat ſe poteſtatem habere; & niſi ſciat formam, ſecundum quam debet fieri abſolutio. De qua forma breuiter notandum eſt, quod minor Excommunicatio abſoluitur ſolo verbo: maior abſoluitur ita: *Authoritate, qua fungor, abſoluo te ab omni vinculo Excummunicationis: vel ſpecialiter ab Excommunicatione. qua ligatus es pro hoc facto, vel a tali iudice.* De poteſtate autem talium abſolutionum breuiter notandum eſt, quod ille, qui audit confeſſionem, non poteſt abſoluere ſua authoritate ab aliqua maiori Excommunicatione, quam alius judex tulerit, qui ſit maior, vel per ei. Item notandum, quod abſolutio Excommunicationis debet præcedere abſolutionem peccatorum.

Circa diſpenſatio.

NOtandum eſt, quod circa diſpenſati ones nullus debet intromittere ſe de aliqua diſpenſatione votorum, vel irregularitatum, niſi ſciat ſe habere poteſtatem licentiandi, & diſpenſandi: neceſſe eſt etiam, vt ſciat ſecundum quam formam debet fieri diſpenſatio votorum. Dicat ergo peccatori, vt quæ vouit impleat, donec ſibi conſultum ſit ab eo, qui cum eo poſſit diſpenſare.

Circa vero reſtitutiones.

NOtandum eſt, quod non eſt alicui danda pœnitentia, niſi voluntatem habeat reſtituendi proximo, quod ei abſtulit, niſi proximus voluerit ei remittere. Caueat vero ne det ei dilationem, nec iniungat, quod inde faciat eleemoſynas: ſpoliato enim debet illud reſtituere, vel hæredi eius, quam citius potuerit, niſi ſpoliatus det ei dilationem vel non poſſit inueuire, cui reſtituendum eſt. Tunc etiam debet erogari de conſilio Eccleſiæ in pios vſus, & niſi peccator habeat voluntatem ſic faciendi, non eſt ei iniungenda pœnitentia. Si vero occultum eſt factum, inſtruendus eſt peccator, quomodo occulte reſtituat, vel occulte dilationem petat, ſcilicet per aliquam honeſtam perſonam, præcipue Sacerdotem, cui in confeſſione reueletur, quod tacito nomine peccatoris negotium procuret.

Circa iniunctiones pœnitentiarum.

SImiliter oportet eſſe cautum, vt paruas iniungat: melius eſt enim ponere homines in Purgatorio, quam in Inferno, habet enim Deus, vbi purget filios ſuos, ſi non purgentur hic. Dicat etiam quando numerum orationum iniungit: quod ſi aliquando non dixerit, non ei ad culpam imputetur, ad minus mortalem. Item, non iniungatur pœni-

pœnitentia alicui, ſi habet officium, quod ſecundum conſcientiam ſuam ſine peccato mortali facere non poſſit, niſi deſerat id officium. Item, ſi habeat aliquam alíam peccandi occaſionem, ex qua vereſimile eſt, quod non poſſit ſibi cauere a peccato mortali, niſi eam a ſe remouerit: (vt eſt cohabitatio mulieris ſuſpectæ, cum qua peccare conſueuit) pœnitentia non detur ei, niſi occaſionem illam a ſe remoueat.

Circa vero Simoniacos.

NOtandum eſt, quod ille, qui per ſimoniam adeptus eſt aliquod beneficium, non debet recipi ad pœnitentiam, niſi habeat præpoſitum renunciandi illi beneficio pure, & ſimpliciter: quæ autem diſpenſatio poſſit poſtea fieri cum eo inuenies in *Summis in Tractatu de Simonia*. Forma vero abſoluendi a peccatis hæc eſt: Facta generali confeſſione in latino, vel in Romano a peccatore, & dicta illa oratione: *Miſereatur* &c. *Abſolutionem* &c. *Et ego abſoluo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris*, &c. Debet autem tunc eſſe fides tam Sacerdotis, quam eius, qui confitetur, quod niſi per culpam confitentis ſteterit, remittentur peccatori peccata ſua tunc, & gratia Dei infunditur, ſi prius non erant dimiſſa, & gratiam non habebàt. Si vero prius peccata dimiſſa, & gratiam prius habebat, tunc augetur Dei gratia.

Circa modum habendi ſe ad confitentem.

ITem ad officium Confeſſoris pertinet, omnes confiteri volentes benigne, & affabiliter recipere, & præcipue illos, qui raro confiteri conſueuerunt. Omnes autem, qui neſciunt modum ſtandi in confeſſione debet inſtruere, vt ſtent flexis genibus, inclinato capite, appodiando ſe ad dexteram, vel ad ſiniſtram Sacerdotis. Antequam vero incipiat confiteri, poteſt illis, qui non ſunt aſſueti confiteri fre-

frequenter, aliqua verba dicere de pertinentibus ad confeſſionem; vt quærere de patria ſua, vel huiuſmodi, ut confitens interim ſumat audaciam ad confitendum. In pœnitentia vero iniungenda, debet reminiſci, quod præter ea, quæ iniungit ſpecialiter, imponat ei etiam omnia bona, quæ fecerit in remiſſionem omnium peccatorum, & det ei poteſtatem cuicumque confiteri poterit, quod laxare poſſit de pœnitentia ſibi iniuncta ab eo, ſi forte viderit expedire. Debet etiam diligenter obſeruare Confeſſor, quod ſemper libentius, & prius audiat confeſſiones illorum, qui magis indigere reputantur, vel qui raro venire ſolent, vel qui ſunt extranei, vel qui ſunt in ſtatu maiori, vel de quorum confeſſione maior vtilitas ſecutura ſperatur.

Porro circa mulieres cauere debet, ne vnquam audiat earum confeſſiones, niſi in publico, & vbi ab aliquo, vel ab aliquibus videatur. Illis vero, quæ vocantur *Begbinæ*, & frequenter volunt confiteri, certum tempus aſſignet ad confitendum: extra quod ipſas non audiat, nec in alijs collocutionibus frequentibus ſe eis exponat vnquam; & ſemper potius duris; & rigidis verbis vtatur ad eas, quam mollibus.

Deinde circa ſecretum confeſſionis ſic debet eſſe cautus, ne vnquam directe, vel indirecte, de longe, vel de prope, in genere, vel in particulari, poſſit aliquid percipi de ore eius, quod aliquam notam habeat de aliqua reuelatione quantumcumque leui. Nec etiam debet in ſpeciali laudare aliquem, cuius confeſſionem audiuit, de virginitate, vel innocentia, & huiuſmodi, ne apud ſapientes, cum de alio orietur verbum, quem etiam audiſſet, & non ita laudaret, poſſet oriri ſuſpicio, quod idem non eſſet in illo.

Cap.

Cap.XLVI. De Officio Prædicatoris communis.

Qualis debeat eſſe in ſe?

PRædicator communis habet officium ſpeculi quantum ad bonum exemplum, & habet officium lucernæ ardentis quantum ad prædicationis verbum. Vnde neceſſe eſt, vt concordet in ipſo vita, & doctrina, ne quod per vnam manum ædificat, per aliam deſtruat. Prætendat itaque Prædicator in habitu humilitatem, in moribus honeſtatem, in verbis diſcretionem, in zelo animarum charitatem, in cibo, & potu ſobrietatem, & in agendis maturitatem.

Qualiter ad Socium?

PRædicator egrediens, difficultatem non faciat in Socio, ſed acceptet illum, quem ſibi Prior aſſignauerit. Ad hæc etiam niti debet, vt quemlibet Socium ſuſtineat, vt poſſit quemlibet ſuſtinere: in via, & in hoſpitijs, non ſe notabiliter ſeparet a Socio. Item concordes ſint ad inuicem, & pacifici, nec loquantur ſimul aſpere, aut contentioſe, & præcipue coram ſecularibus mutuo ſe honorent, aut ſupportent. Si ad vnum mota fuerit quæſtio aliqua, alter non reſpondeat pro eo, dummodo ille ſit ſufficiens reſpondere: pro via non litigent, ſi quandoque errauerint non propter hæc ſe obiurgent. Iterum, ſi ambo ſunt Prædicatores, & æqualem habent gratiam, maior in via non ſibi ſolemniores ſtationes eligat, ſed prædicationes ſuas diuidant, prout paci ipſorum, & ſaluti animarum viderint expedire niſi Prælatus aliter cum ipſis ordinauerit. De nocte meliorem lectum maior notabiliter non eligat, nec in aliis ſe ſuper Socium extollat,

Qua-

Qualiter in hoſpitiis?

PRædicator non ſolum domi ſtudeat, ſed etiam in hoſpitiis, & in via ædificatoria verba libenter dicat. Non fatiget homines, alios cibos, quam præparauerint poſtulando, aut etiam aliquos refutando. Item non habeat in conſuetudine cibos menſæ diuerſis mittere, vel diuidere, vel etiam eleemoſynas dare pro arbitrio ſuæ voluntatis. Item in bonis conſuetudinibus conformet ſe his cum quibus conuerſatur. Sunt etiam alia, quæ apud homines ſunt indecentia, ſicut dormire in menſa, vel loqui dum quis cibum in ore tenet, & huiuſmodi: hæc vbique ſunt vitanda. Item, quando Prædicator propter æſtum, vel propter viæ laborem ſitim patiatur, poteſt in menſa, vel ante per hauſtum aquæ illam reſtinguere, vel vinum cum aqua melius temperare. Committat Socio verbum quandoque in menſa, nec ibi dicantur otioſa, ſed ſerioſa; & de Paſſione Domini non debet fieri mentio, niſi cum omni reuerentia, & maturitate.

Quid prædicandum?

CVM Prædicator proponit verbum Dei, attendat quid dicat, quia materia ſermonis eius eſt, Deus, Angelus, Homo, Cœlum, Diabolus, Mundus, Infernus, præcepta, conſilia, ſacra Scriptura, virtutes, vitia. Item, magis illa ſtudeat ſemper prædicare, per quæ magis videtur poſſe fructificare.

Quibus prædicandum?

ATtendat etiam quibus dicat, vt ſecundum hoc ſermonem ſuum formet. Quibuſdam enim competunt ſubtilia, quibuſdam plana, & ſimplicia, quibuſdam inſtructiua, quibuſdam motiua, quibuſdam terribilia, qui-

quibuſdam gaudioſa. Conſideret ergo, quid Clericis conueniat, vel laicis, quid Religioſis, vel ſecularibus, quid militibus, aut ruſticis, quid ſanis, aut infirmis, quid iuuenibus, aut ſenibus, quid obſtinatis, vel humilibus, ac deuotis.

Qualiter prædicandum?

STudeat quandoque prædicare breuiter, feruenter, vtiliter, faciliter, & decenter: multum denique nitatur quod tractim prædicet, & diſtinctè. Item ſi Fratres Minores ante ſermonis inchoationem ſuperuenerint, verbum prædicationis eis exhibeat, niſi rationaliter quid obſtet. Si vero quæſtuarij ſuperuenerint habentes litteras Apoſtolicas, vel Epiſcopi ſtudeat vt in pace ſit cum eis.

Quæ ſunt vitanda in prædicatione?

NOn prædicet ſine præmeditatione, ſciat alias quid dicere velit, vel debeat. Item vitet, quando bono modo poteſt prædicare immediate poſt prandium: id enim tempus eſt tam audientibus, quam loquentibus minus aptum: ſed ſi oportet fieri temperatius ſumat cibum, & potum. Item non rapiatur in iram contra impedientes prædicationem, vel contra pueros ibi flentes, aut etiam contra dormientes, ſed benigne moneat eos. Item caueat in ſermone deriſiones præſentium, vel derogationes abſentium: ſpecialiter autem vitam Clericorum, vel Religioſorum coram populo nunquam arguat: nec eos directe, vel indirecte quaſi ſub pallio notet; quia de talibus non ſequitur ædificatio, ſed frequenter ſcandalum, & turbatio plurimorum. Item videat diligentiſſime Prædicator, ne quando de verbo Dei faciat ſibi viam vindictæ, vt videlicet in ſermone ſuas perſequatur iniurias. Item dubia pro veris non prædicet, nec fabulas vanas, aut ſcurrilia, quæ poſſunt ſermonem facere contemptibilem, vel minus authenticum.

Item

Item non verecundetur idem prædicare ſæpius, dummodo bonum ſit, & vtile, nec etiam id omittat dicere, quod alias prædicauit. Denique tam in ſermonibus publicis, quam in collationibus priuatis, aduertat Prædicator circumſtantias, quæ continentur in hoc verſu.

Reſpice quid, cur, vbi, quomodo, quando loquaris.

Explicit Liber de Inſtitutione Officialium Ordinis Fratrum Prædicatorum, Reuerendiſſimi Patris Fratris Humberti præfati Ordinis Generalis Magiſtri.

TRACTATVS DE IVDICIIS

In Ordine faciendis.

1 PRælati non damnent aliquem ad pœnam grauioris Culpæ, aut carceris, niſi in iudicio confeſſum, vel conuinctum, & hoc in ſcriptis. Et ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane. *Prologus Conſtitutionum.*

2 Ad confeſſionem delicti a reo habendam, vel ad conuincendum reum in iudicio, quamquam ex Bonifacij VIII. & IX. Conſtitutionibus non teneantur Prælati rimas, & apices ſequi, ſed in correctionibus Fratrum iuris ordine poſtpoſito, ſecundum conſuetudines approbatas, & Inſtituta Ordinis, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſolum facti veritate inſpecta procedere: quædam tamen in huiuſmodi correctionibus ita neceſſario requiruntur; vt illis omiſſis, iudicia nullius ſint roboris, aut iniqua. Scriptum namque eſt Deuter. 16. *Iuſte, quod iuſtum eſt, perſequeris* Bonifacij VIII. *in* 3. *Conſt.* Bonif. IX. *in* 2. *d. c.* 17. *Conſt. Ord.* & Romæ 1601. Ordinat. 24.

3 Duo enim ſunt in quolibet iudicio: vnum eſt, quod ad ſolemnitatem, vel ſubtilitatem iuris, alterum, quod ad ſubſtantiam, & integritatem iudicij ſpectat. Quæ ad ſolemnitatem, vel ſubtilitatem juris pertinent; vocantur apices, & rimæ, pro prorogandis, vel abrogandis iudicijs adinuentæ: quales ſunt, trina citatio in ſcriptis concepta, & non aliter, per interualla cum teſtibus intimata, deinde iudicij dies non feſtus, locus non priuatus, conteſtatio litis cum ſolemnitate inchoata; dilationes interlocutoriæ, exceptiones fruſtratoriæ, appellationes dilatoriæ, aduocatorum

contentiones, & iurgia, ſententia ſedendo, vel ſtando, prælata. Poterit iſta Prælatus omittere, neque trinam citationem facere, non in loco Capituli, ſed in cubiculo ſuo tribunal erigere, quocumque die ſiue feſto, ſiue profeſto Iudicium inſtituere: hora quacumque, ſiue diurna, ſiue nocturna, ſiue ante ortum, ſiue poſt occaſum Solis examinare; bandum, ſiue intimationem diei, & loci iudicij intermittere, & alias quaſcumque accidentarias iuris ſolemnitates non ſeruare. Quæ ad eſſentiam, & integritatem iudicij pertinent, ſunt illa, quæ ad ipſius veritatis, realem, perfectamque cognitionem, ac legitimam vel defenſionem, vel damnationem reorum neceſſaria eſſe videntur, aut Diuino, aut naturali iure introducta, aut euidentiſſima ratione ab omnibus ſtabilita, *Pegn. can.* 104. *verſ. fin. in* 3. *p. Direct. Inquiſit. ex Clement. lib.* 5. *tit. de verb. ſignific.*

4 Ex his euidens eſt quid ad eſſentiam, & integritatem iudicij neceſſario requiratur. Nimirum primo petitio, ſeu delatio criminis, 2. articuli, 3. probationes, 4. iuramentum de non calumniando, & de veritate non malitioſe dicenda, 5. citatio rei, & teſtium, ſiue realis, ſiue ſcripto recepta, 6. examen rei, partium, & teſtium, 7. defenſiones reo concedendæ, 8. confeſſio, vel conuinctio rei, 9. inſtrumentum actionis, ſeu proceſſus, 10. ſententia definitiua, 11. pœna, 12. appellatio.

Cap. I. De petitione, ſeu delatione criminis.

IVdex, cum perſonam publicam ſuſtineat, non ſecundum priuatam notitiam, aut conſcientiam, aut veritatem, ſibi, priuatim cognitam procedat; ſed ſecundum publicam ſcientiam ad iudicium exercendum accedat. *Nauar. conſ. unico, de officio Iudicis num.* 5.

2 Publicam ſcientiam Iudex de crimine ſibi comparat, vel ab accuſatione, vel a denunciatione iuridica, vel a clamo-

moroſa inſinuatione (quam infamia vocant) vel a notorietate facti, vel demum ab indicijs grauiſſimis facti, ſiue permanentis, ſiue tranſeuntis. Facti permanentis delicta ſunt, quorum veſtigium aliquod poſt illa commiſſa ſenſibile manet: vt homicidium, ſtrupum, incendium, percuſſio ſi cicatrix, vel liuor, vel vulnus relinquatur, furtum, cum fractura, &c. Facti tranſeuntis dicuntur illa eſſe delicta, quorum nullam poſt ipſa perpetrata ſenſibile, aut viſibile manet veſtigium, vt conuicium, blaſphemia, iniuriæ verbales, fornicationes, percuſſio ſine ſigno relicto, furtum ſine fractura, &c.

3 Iudici itaque in primis conſtare debet de corpore delicti, ſiue per accuſationem, ſiue per denunciationem iuridicam, ſiue per inquiſitionem, quæ oritur, vel a notorietate facti, vel ab infamia, vel ab indicijs violentis: adeout nullus poſſit proceſſum indiciarium contra aliquem ſibi ſubditum inſtituere, niſi contra accuſatum, aut iuridice denunciatum, aut legitimo modo infamatum, aut in flagranti crimine notorio deprehenſum, aut denique indicatum. *Commun. ſent. Doct.*

Cap.II. De modo procedendi per inquiſitionem.

1 INquiſitio fit, quando Iudex ex officio ſuo inquirit delicta ſubditorum, occaſione viſitationis, quam Prælati Regulares facere tenentur.

2 Inquiſitio eſt duplex: Vna generalis, quando Prælati accedunt ad Conuentum, & præceptum formale in ſcriptis proponunt, vt ſi aliqua ſint corrigenda in Conuentu. Fratres reuelent. Altera ſpecialis, quando proceſſit notitia de aliquo ſingulari delicto, & perſona delinquente, & Prælatus ad inueſtigationem, ponitionemque ex officio procedit.

3 Ex officio Iudex procedit ad inquiſitionem tunc;

cum crimen aliquod eſt perpetratum, & eſt omnino occultus criminoſus; vel ſi non eſt omnino occultus, non eſt tamen aliquis contra eum accuſator: ſed tantum, vel in inquiſitione criminis alicuius reuelator, vel infamiæ delator, vel ipſe eius in notorietate facti publice deprehenſus ſui ipſius reuelator.

4 Inquiſitionem itaque ex officio, debet præcedere evidentia facti, & publica ſcientia, non autem privata. Hæc autem oritur, vel ex notorietate facti, vel ex infamia publica, quæ eſt, aut de ipſo facto, aut de indicijs certis, & claris, vt docet S. Thomas cum Caiet. 2.2. *quæſt.67. art.2. & quæſt.69. art.1.&* 2. & communiter omnes Doctores. Namque, & ipſe Deus, cum proceſſiſſet ad inquiſitionem Cain, motus eſt a notoria ſanguinis effuſione, & ad Pentapolitanos puniendos ex publico clamore. Qui clamor cum non eſſet contra Judam furantem, & proditorem, licet priuatim ſciret, quod eſſet fur, & proditor, non tamen proceſſit contra eum ex ſcientia priuata.

5 Inquiſitio ex officio non ſe extendit, niſi ad crimina, de quibus aliquis laborat infamia, non autem ad aliqua alia occulta. Ita docet *Caietanus* 2.2. *quæſt.69 ex C. inquiſit.* habentur, inquit, hæc verba: *Inquiſitio fieri debet ſolummodo ſuper illis, de quibus aliqui clamores præceſſerunt.* Quæ decretalis (ait) ita exigit præcedentem infamiam ſuper aliquo crimine, quod etiam ſi duo, vel plures, etiam iurati affirment, aliquem crimen aliquod eiſdem videntibus commiſiſſe, de quo aliqua non laborat infamia, non eſt propterea contra eum procedendum, aut inquirendum. Omnia enim iudicia ſicut ad publicam poteſtatem, ſic etiam non ad priuatam, ſed publicam ſcientiam ſpectant. Caueant ergo (ita monet idem Caietanus) ſuæ, & ſubditorum conſcientiæ Pralati illorum Religioſorum, qui diffamato de vno, præcipiunt accuſari de alijs, de quibus non eſt infamatus: peccant enim præcipiendo, & ſubditi non tenentur obedire. Neque excuſantur Prælati huiuſmodi ex eo, quod inquirunt de aliquo, de quo fuit ſuſpicio aliquando; oportet enim infamiam, ſeu cla-

mo-

moroſam inſinuationem præcedere, & non ſimplicem ſuſpicionem, aut præſumptionem. Ita Doctores omnes, vt refert *Rodericus to.2. qu.5. ar. 7. & 9. & qu. 115. ar. 3. & qu.19. ar.8.*

6 Inquirens ex officio debet habere ſummariam probationem, & quidem ſemiplenam, ſi contra perſonam inferioris conditionis: omnino autem plenariam, ſi contra inſignem antequam citet reum ad inquirendum, vel puniendum. *Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap.6.* ex communi ſententia Doctor.

7 Porro quantum ad reuelationem occultorum, ſeu ſecretorum quorumcumque, hæc infraſcriptæ regulæ, tam à iudicibus Prælatis, quam a ſubditis ſcientibus, vel committentibusaliquid in occulto obſeruentur, & ante oculos habeantur.

Primo ſecretum in ſacramentali Confeſſione auditum nullus Sacerdos quomodocunque præcipienti Prælato, neque directe, neque indirecte, nec verbo, nec nutu, nec ſigno, nec ſcripto, neque quouis alio excogitabili modo audeat reuelare. Quod ſi fecerit, pœna ſacrilegij puniatur.

Secundo, ſecretum ab aliquo ſub fidem ſilentij receptum, ſi vergit in præiudicium, vel periculum Ordinis, aut perſonarum, vel ex eius retenſione imminet periculum ſcandali, vel ruinæ, vel graue damnum, aut incommodum alicuius Fratris, vel Communitatis, cui poteſt obuiari per reuelationem ſecreti: Prælato præcipienti in genere, tenetur ſubditus illud reuelare, quia ſicut iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, ſic ſecretum promiſſum, vel commiſſum, non debet eſſe vinculum, aut velamen ſcandali, & ruinæ, & maximi damni proximi, vel Communitatis. Non tamen tenetur de illo crimine ſibi ſub ſecreto commiſſo illum accuſare, niſi poſſit hoc ſufficienter probare, quia nullus tenetur ad id, quod nequit perficere.

8 Habita informatione de crimine, citet reum, vel per ſcripturam, ſi abſens eſt, vel per realem ipſius ad

 ſuum

ſuum tribunal, & ad locum iudicij vocationem. Locus autem iudicii eſt camera Prioris, vel aliquis alius locus, vbi iudicialiter agatur contra reum.

9 Citato, & comparenti reo informato, ſeu denunciato debet in primis Iudex dare in ſcriptis, vel verbotenus ſignificare cauſam, propter quam ſit citatus, ſeu vocatus antequam illi præceptum de veritate dicenda faciat, & antequam ille reſpondere teneatur.

Forma procedendi per viam inquiſitionis.

QVando Prælatus, vel Viſitator non habet accuſationem vel denunciationem, ſed perſonæ graues, & zelantes notum faciunt Prælato delictum graue, ſic proceditur. Die mensis anno

Cum perueniſſet ad notitiam, vel ad aures R. P. Prioris, vel Viſitatoris publica quadam fama deferente, in Conuentu N. tale delictum ſcandaloſum fuiſſe patratum, quod attendentes delictum vergere in Dei offenſam, & iacturam Religionis: ex debito officij viſum eſt iuridicas informationes capere a fide dignis, quæ poſſent veritatem patefacere. Et ideo vocatus R.P.N. coram R. P. exiſtente in ſua cella, vel Conuentu in propria habitatione, & facto ſibi præcepto formali &c. & prævijs debitis admonitionibus.

Interrogatus, an ſciat, vel ſaltem imaginetur cauſam ſuæ vocationis, & præſentis examinis &c. & ſcribatur latino, vel vernaculo ſermone eius reſponſio, & ſi affirmat, addatur.

Et ei dicto, quod ſeriatim dicat, vel narret quidquid ſcit de huiuſmodi re, vel facto &c. Omnia notentur, & animaduertat, vt exprimantur omnia neceſſaria, & circumſtantiæ, ſcilicet delictum, delinquens, complices, locus delicti, tempus præciſum quando commiſſum, occaſio, ſive cauſa, toties, & quoties, teſtes, qui fu erunt præſentes, aut de viſu aut de auditu, & alia ſimilia.

Si verò Teſtis dicat ſe ignorare cauſam ſuæ vocationis, & examinis.

In-

Interrogatus, an ſciat aliquod delictum fuiſſe patratum, vel verba dicta in eo Conuentu, vel Congregatione, quod vergat in dedecus Religionis, &c.

Et ſi affirmet, dicatur, vt referat omnia, & explicet circumſtantias, prout ſupra.

Et ſi neget, monitus, vt caueat à mendacijs, & veritatem dicat, quia datur inſiſtens informatio, &c.

Et ſi neget, dicatur, impono tibi ſilentium &c. obtenta eius ſubſcriptione, & notetur. Tunc fuit dimiſſus, &c.

Cap.III. De modo procedendi per denunciationem.

1 DEnunciatio eſt duplex: altera Evangelica, altera iudicialis; Evangelica eſt, quæ ſequitur correctionem, in qua primo admonetur ſecreto Frater delinquens: deindè emendatione non ſequuta, adhibentur teſtes: poſteà hæc denunciatio Evangelica, quæ ad eum finem tendit, vt Prælatus, non vt Iudex, ſed vt Pater, admoneat delinquentem. Iudicialis ea eſt, quæ ſequitur Evangelicam, quando illa non prodeſt. Differunt autem inter ſe valdè hæ duæ denunciationes: nam Evangelica fit ore tantùm ſine ſcriptura, & figura iudicii: Iudicialis verò, ſi fit de graui crimine in ſcriptis redigenda eſt. Finis Euangelicæ eſt ſola emendatio delinquentis, quæ habita deſiſtit: iudicialis verò etiam ſi emendationem peccatoris intendat, adhùc tamen ſatisfactionem offenſæ expoſtulat, ſiue publicam, ſiue priuatam, ad differentiam accuſatoris, qui (vt dictum eſt) publicam vindictam legis in ſuo rigore petit. Euangelica ſoli innititur charitati: iudicialis verò, partim charitati, & partim iuſtitiæ. Vndè hæc media eſt inter denunciationem Euangelicam, & accuſationem. Omiſſa igitur Euangelica, de iudiciali aliqua dicamus.

2 Peccata ſunt duplicia, quædam publica, quædam occulta. In publicis non tenetur denunciator præmittere cor-

rectionem fraternam, quia hæc tantum de occultis fieri præcipitur. Qui autem publice aliquem offendit, non ſolum eum cum peccat, offendit, ſed etiam alios videntes, quos turbat. Peccata autem occulta adhuc ſunt ſubdiuidenda; nam quædam ſunt in nocumentum corporale, vel ſpirituale proximi, vt proditio Ciuitatis, vel auerſio hominis a fide, & in horum denunciatione non debet præmitti correctio, quia non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios: niſi forſan firmiter exiſtimares, quod proditor, vel hæreticus per correctionem a delicto auerteretur, quod difficile creditu eſt, ideo talia delicta denuncianda ſunt. Quædam vero peccata omnino occulta ſunt, quæ malum inferunt tantum peccanti, vel ei etiam, in quem peccatur, per offenſam, vel notitiam ſolam: & in his denunciandis, ſecreta monitio debet præcedere. Sunt tamen aliqui caſus a Theologis præſcripti, in quibus non tenetur præmittere correctionem ſecretam denunciationi iudiciali: ſcilicet, quando nulla eſſet ſpes emendationis, quando ſibi iuſte timeret de malo inferendo, quando in delicto graui periculum eſſet in mora; quando ageretur de delicto in perniciem multitudinis; & quando punitio delicti eſſet ob ſcandalum maxime neceſſaria.

Formam procedendi per viam denunciationis.

Die mensis anni

Coram R. P. exiſtente in Conuentu, &c. ſponte ſeſe obtulit P. N. ætatis annorum tot, qui medio præcepto formali expoſuit, &c. vt infra; & legatur præceptum in forma.

Et per extenſum notetur ſeries facti, & conteſtes, & tempus, & locus: & ſi delictum eſt talis naturæ, vt aliqua veſtigia relinquantur, ante omnia debet conſtare in proceſſu, ſcilicet vulnus in corpore, fracturæ ſcrinij, ſi furtum fuerit

fuerit factum, & alia ſimilia &c. & apponentur in proceſſu dicta negatiua, vel dubia, videlicet, non recordor, quo tempore, loco, vel occaſione, &c.

Non fiant interrogatoria ſuggeſtiva, videlicet, eſt ne verum, quod furatus eſt, vel fratrem vulnerauit? &c.

In fine examinis interrogetur, an ea, quæ dixit, odio, vel amore depoſuerit, an Dei gloria, & pro correctione Fratris? &c.

Et poſt hæc legatur eius depoſitio, & notetur in proceſſu: & ſi verbum voluerit addere, ſcribatur, &c. & Scriba terminabit examen his verbis.

Quibus habitis, dimiſſus fuit, impoſito ſibi ſilentio ſub eodem præcepto, & ſubſcribatur: Ego F. N. &c. affirmo, ut ſupra. Deindè Scriba concludat: Acta ſunt hæc per me F. N. Scribam aſſumptum, præſentibus pro teſtibus F. N. & F. N. qui ſe ſubſcribent.

Poſt hæc procedendum ad examen teſtium hac forma, videlicet: Eodem die, vel &c. vocatus P. N. coram eodem Priore, vel Viſitatore exiſtente in eodem loco, &c. & facto ſibi præcepto, &c.

Interrogatus, an ſciat, vel imaginetur cauſam præſentis examinis? & ſi dicat ſcire, vel imaginari, dicat, &c.

Si negat. Interrogatus, an ſciat aliquod delictum patratum in Conuentu, quod vergat in offenſam Dei, & in ſcandalum, vel dedecus Religionis: & ſi perſiſtat in negatiua, moneatur, vt dicat veritatem: & ſi recuſabit, &c. dimittatur, impoſito ſilentio, & ſe ſubſcribat, &c.

Et ſi affirmabit, explicabit omnes circumſtantias, temporis, loci, & conteſtium, & occaſionis, &c. prout in denunciatione.

Et examinentur teſtes, qui ex certa ſcientia erunt informati: & ſi reſultabunt grauiora indicia contra reum, & ſit periculum de fuga, poterit carcerari, vel arreſtari in cella.

Cap

Cap.IV. De modo procedendi per viam accuſationis.

1 NVllus poteſt aliquem accuſare de crimine, quod non poteſt probare, ut docet D. Thom.2.2. quæſt. 65. & habetur *in gloſſa Conſtit. de ſolemni celebratione Capituli*, vbi dicitur: Fratres ne aliquem accuſent de crimine, niſi viderint ipſum delinquere: quod ſi de auditu eum tantum accuſent, nouerint ibi ſibi non licere, niſi probare poſſint, quod nedum ab alijs audierint, ſed etiam quod in rei veritate accuſatus illud crimen commiſit.

2 Qui ſciuerit aliquod crimen vergens in damnum ſpirituale, vel temporale Communitatis, (quod tamen probare poteſt; vt dictum eſt (tenetur ex præcepto rerum accuſare: vnde accuſandi ſunt nedum illi, qui totius Religionis diuiſionem moliuntur; ſed etiam, qui Prouinciam, aut numeroſum Conuentum conturbant, vel ſuis delictis infamiam notabiliter inurunt.

3 Accuſationes ſemper debent fieri in ſcripto, quapropter in Conſtitutionibus dicitur, vt nullus condemnetur ad pœnam grauioris culpæ, vel ad carceres, niſi confeſſus, aut conuictus in ſcriptis, vt dictum eſt.

4 Tenetur autem Iudex, præſertim priuatus, accuſationem ſibi factam proſequi vſque in finem, quamvis poſſit etiam vel accuſationem in principio non admittere, aut incœptam diſſimulare, aut ſuſpendere quotieſcumque viderit id cedere in bonum commune, quod præferendum eſt particulari. Si vero ex abolitione, vel diſſimulatione, aut ſuſpenſione accuſationis, nullum auxilium bono communi additur, Iudex quilibet accuſationem debet proſequi, & non debet, neque poteſt ab incœpta accuſatione ceſſare.

5 Quando Prælatus procedit per accuſationem, debet ipſam accuſationem ab accuſante accipere in ſcriptis, ſub hac forma: Coram vobis R. P. F. N. Prouinciali, vel Prio-

Priore, Ego F. N. propono accuſando, & in ſcriptis proponendo accuſo Fratrem N. quod commiſit furtum in Eccleſia N., vel quod tale peccatum fecit: & quia hoc eſt grauiſſimum ſcelus, & enormis iniquitas, ideo peto iuſtitiam deſuper fieri, & offero me per præſentes ad probandum, faciens prædictam accuſationem, & proponens tam verbo, quam ſcripto. Datum in noſtro Conuentu N. die menſis anni

Ita eſt F. N. manu propria.

6 Vbi diligenter animaduertendum eſt, quod Prælatus non tenetur, neque poteſt vocare Patres a conſilijs, etiam ſi ſint Patres Prouiuciæ, vt aſſiſtant ipſi in actuali formatione proceſſus, cum hoc debeat eſſe ſecretiſſimum, & ad ſolum Iudicem cum ſuo Notario pertineat. Deinde formato corpore delicti, de quo reus accuſatur, & lecto infraſcripto præcepto debet examinare teſtes ſupra formatos, & ordinatos articulos, ſub forma infraſcripta:

In primis vocato altero ex teſtibus, qui proceduntur ab accuſatore, & accepto aliquo Religioſo pro Notario, legat ſequens præceptum ipſi teſti:

Nos F. N. Prouincialis, vel Prior Prouinciæ, vel Conuentus N. authoritate officij noſtri, in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, ſub formali præcepto, mandamus tibi F. N. vt nudam, & ſimplicem veritatem nobis dicas ad interrogata: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Poteſt etiam addi pœna Excommunicationis, ſi enormitas delicti illam expoſtulauerit.

Facto præcepto, ſic poteſt inchoari examen. Die menſis anni In Conuentu N. vocatus fuit coram A.R.P.F.N. Prouinciali; vel Priore, F. N. de N. & facto illi in ſcriptis formali præcepto de veritate dicenda ad interrogata.

Interrogatus primo, an ipſe ſciat Fratrum N. habuiſſe aliquas pecunias, vel monile, vel gemmas? &c. Reſpondit: Ego vidi, vel audiui a F. N. quod F. N. habebat decem aureos, vel unum adamantem, vel auream catenam penes ſe &c.

In-

Interrogatus ſecundo, an alter eſſet cum ipſo, quando hoc vidit, vel audiuit? Reſpondit: Erat mecum F. N. & F. P.

Interrogatus tertio, an ipſe ſciat, vnde F. N. habuiſſet illas pecunias, gemmas &c.? Reſpondit: Ipſimet F. N. dixit ſe habere a P. &c.

Interrogatus quarto, an ſciat quid fecerit ex illis pecunijs F. N.? Reſpondit: Aliquibus emit ſibi pallium, aliquibus chirothecas, aliquibus pileum &c.

Interrogatus quinto, an alias vidiſſet, vel audiſſet ipſum Fratrem N. feciſſe ſimilia, vel circa iſta habeat aliquid aliud dicendum? Reſpondit? Nihil ſcio, ſi fecit: audiui tamen aliqua, quorum non bene recordor, nec aliud habeo dicendum circa prædicta.

Acta ſunt hæc per me Fratrem de N. de N. loco Scribæ, & Notarij in hac cauſa vocatum, & prædicto Fratri N. de verbo ad verbum lecta, ab eoque in confirmationem veritatis depoſita, & fideliter ſcripta propria manu ſubſcripta eadem die, & anno ſicque dimiſſus fuit, facto prius illi eodem præcepto formali de non reuelandis his, ſiue directe, ſiue indirecte.

Ita eſt Frater N. manu propria.

7 Sic examinatis teſtibus omnibus, vocatur reus, & quidem ſi abſens fuerit, debet citari ſub hac forma:

Nos Frater N. non valentes, nec volentes quiquam petenti negare juſtitiam, neque contra inauditum, aut abſentem proferre ſententiam: tibi P. F. N. notum facimus, quod contra te obijciuntur quædam, quæ formam accuſationis ſequuntur. Propterea ad requiſitionem eius, qui te accuſare intendit, primo, & ſecundo, ac tertio peremptorie te vocamus, ac in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, ſub præcepto formali, & ſub pœna conuicti, vel carceris, vel &c. tibi præcipimus, vt intra ſex dies, vel horas, quarum duas pro primo, duas pro ſecundo, & duas vltimas pro tertio, & peremptorio termino aſſignamus, coram nobis in Conuentu N. comparuiſſe,

ruiſſe, & te præſentaſſe debeas, reſponſurus his, quorum accuſatus fueris: alias ſi contumax fueris, ad ſententiam procedemus, & ad alia, quæ contumacibus inferri ſolent de harum autem tibi facta præſentatione, latori præſentium fidem dabimus. Datum &c.

Poſtquam autem præſens fuerit reus, fiat illi tale præceptum.

Nos Frater N. Prouincialis, vel Prior Prouinciæ, vel Conuentus N. cum coram noſtro officio accuſatio officioſa præſentata ſit contra te Fratrem N. quod contra votum paupertatis, (vt ſupra) per occultam rerum, vel pecuniarum retentionem, vel acceptationem feceris: nec volentes cuiquam petenti negari iuſtitiam ad iudicium deſcendentes te primo, ſecundo, & tertio admonemus, & hortamur ad veritatem dicendam, tibique in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, ſub formali præcepto, & pœna conuicti (vel etiam excommunicationis) præcipimus; vt ſine tergiuerſatione meram, ſimplicem, & integram veritatem reſpondeas ad interrogata. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

8 Prædicta citatio, vel præceptum, vel vtrumque ſimul ante rei examen ſcribendum erit, & immediate ſic proſequendum.

Eadem igitur die in Conuentu N. vocatus fuit ante officium eiuſdem P. Prouincialis R. F. N., & facto, & lecto illi præfato præcepto de veritate dicenda.

Interrogatus primo. An ipſe habeat, vel habuerit aliquas pecunias, monile, vel gemmas? Reſpondit: Ego non habeo, ſed habui ante duos menſes a Placido meo benefactore.

Iterrogatus ſecundo. Quot florenos habuit? Reſpondit: Decem aureos.

Interrogatus tertio. Quid fecerit ex ipſis pecunijs; Reſpondit. Emi res mihi neceſſarias, videlicet pileum, chirothecas, & alia.

Interrogatus quarto. Quid amplius ex alijs pecuniis fecerit?

cerit? Reſpondit: Emi mihi aliquoties vinum propter indiſpoſitionem ſtomachi.

Interrogatus quinto. An cum licentia Prælati acceperit, vel expenderit iſtas pecunias? Reſpondit: Non accepit licentiam.

Acta ſunt hæc per Fratrem N. de N. & ſecundum formam præſcriptam præfato Fratri N. lecta, ab eoque eadem die, & anno manu propria ſubſcripta. Ita eſt Frater N. manu propria. Si neſciat ſcribere dicatur ſic: & cum neſciret ſcribere, coram Fratre N. & P. teſtibus vocatis fecit crucem ✻

Ita eſt Frater N. manu propria.

Ita eſt Frater N. manu propria.

Cap. V. De Teſtibus.

1 IN duobus caſibus tenentur teſtes ſe ſponte exhibere, ſcilicet, quando crimen eſſet in damnum Communitatis, & quando ſcirent aliquem iniuſte condemnari: tunc enim debent facere, quod in ſe eſt, vt eum liberent, propalando veritatem alicui, qui poſſit prodeſſe.

2 Requiſitus teſtis tenetur dicere veritatem, quando delictum non eſt occultum, quia occulta ſoli Diuino iudicio ſubſunt: & etiam ſi delictum fuiſſet manifeſtum, ſi tamen teſtis de illo habuit notitiam ſolum in confeſſione ſacramentali, non poteſt illud prodere, quantumcumque eſſet contra bonum commune.

3 Duo teſtes conteſtes omni exceptione maiores plene poſſunt probare delictum, iuxta illud: *In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum*, & ad maiorem certitudinem tres, qui tamen nec vllus illorum debet eſſe accuſator, aut denunciator. Si autem teſtes deponant contra ſuum Prælatum, exactiori diligentia vtendum eſt, vt habetur in formulario noſtrarum Conſtitutionum: nam Prælati, quos oportet alios arguere, & caſtigare, multorum captionibus obijciuntur.

4 Teſtimonium ex auditu debile eſt, & aliquando etiam ſi multiplicentur talia teſtimonia, vix vnius teſtis an-

auctoritatem habent. Nam centum poſſunt audiuiſſe ab vno, & quantum valet illius teſtimonium, tantum valet omnium ſimul. Rurſus vnus poteſt audiuiſſe a centum, & illis abeuntibus, aut abſentibus, ſolus relinquitur.

5 Teſtis falſum deponens peccat mortaliter, quia agit contra duo præcepta; ſcilicet: *Non periurabis, & non dices falſum teſtimonium contra fratrem tuum.* Et etiam peccat dicendo mendacium, non tamen mortaliter neceſſario, niſi ſit pernicioſum.

6 Teſtes conteſtes debent interrogari de cauſa ſcientiæ, per quem modum ſciunt crimen illud fuiſſe commiſſum, vtrum ſcilicet per auditum, vel per viſum, quando, vbi, quo præſente, quomodo, quoties factum viderunt? Quamobrem interrogandi erunt de his circumſtantijs: Quis, cui, cur, quomodo, quando, vbi, quibus videntibus, quibus ſocijs, quibus auxilijs, &c. Teſtes conteſtes ſi deponunt de auditu, probant infamiam: & ſequitur inquiſitio: ſi deponunt de facto, ſequitur pœna. Et quando aliquis de vno peccato iterabili actu per teſtes conteſtes conuincitur, poteſt de iteratis actibus eiuſdem peccati in ſpecie, & numero, cæteris paribus, concurrentibuſque per teſtes ſingulares, ſi eſt factum iterabile, (vt carnis peccatum cum vna, vel vno, vt ſunt etiam detractiones famoſæ, blaſphemiæ, furta, &c.) conuinci; & tunc poſſunt idonei reputari ſocij, ſiue ſint eiuſdem Ordinis, ſiue non, & conturbernales, vbi factum eſſe dicitur, & iniuriam, vel contumeliam paſſi. Secus ſi de nullo primum actu per conteſtes coniunctus eſt, & poſt accuſatur a pluribus non conteſtibus, ab vno de vno actu, a ſecundo de alio eiuſdem ſpeciei; tunc talis non eſt conuictus, nec poteſt ſententialiter condemnari. Sed ſi alia concurrunt, poteſt inquiri, ſicut fuit decretum Perpiniani 1327, & Ferrariæ 1362.

7 Teſtes conteſtes, vel ſingulares quoque deficientes in primo Capitulo, non ſunt admittendi ad ſequentia per *C.* 1. *qu.* 10. Quod etiam a Concilio 7. Carthaginen. confirmatur, in quo ſic ſtatutum legitur: *Placuit, vt quotieſcumque Clericis ab accuſatoribus multa crimina obijciun-*

ciantur, & vnum ex his, de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera iam non admittantur. Idem decretum eſt in Concilio 3. Arelaten. in quo ſic habetur: *Eos qui falſa Fratribus Capitula obieciſſe &c.* & rationabiliter, qui enim ſemel impoſtos, ſemper impoſtor.

8 Inter iudicia ponendum eſt, quod à Conſtitutionibus poſitum eſt, de mala familiaritate ſuſpecto. Si quis autem de mala familiaritate notabiliter ſuſpectus fuerit, & poſt admonitionem à Prælato de conſilio diſcretorum Fratrum, coram eiſdem ſibi pluries factam, ſe non correxiſſe deprehenſus fuerit: præcipiatur ei in virtute ſanctæ obedientiæ, per Prælatum coram illis, coram quibus monitus fuerat, ſi præſentes fuerint, vel coram alijs diſcretis de conſilio eorundem, vt a tali familiaritate deſiſtat. Quod ſi tale præceptum tranſgreſſus fuerit, poſtquam hoc legitime conſtiterit, tanquam reus, & conuictus de ſuſpecto crimine habeatur.

Cap. VI. De Reo.

1 REus tenetur dicere veritatem ad interogata, quando interrogatur ſecundum ordinem iuris: ideſt, quando interrogatur a Iudice competenti, & quando præcedit infamia contra reum, vel indicia manifeſta, vel ſemiplena probatio: quo caſu reus negans veritatem, peccat contra dilectionem Dei, cuius eſt iudicium, & contra dilectionem proximi, tum ex parte Iudicis, cum negat, quod debet fateri, tum ex parte accuſatoris, quem reddit mendacem, & dignum pœna.

2 Non eſt licitum reo dicere mendacium, etiam quando interrogatur contra ordinem iuris prædictum, quia hoc eſt intrinſece malum: ac propterea nunquam eſt licitum; poterit tamen tacere veritatem, modo a Doctoribus præſcripto.

3 Quando per præceptum veritas haberi non poteſt, & vr-

& vrgent indicia grauia circa deliƈtum enorme, tunc deueniendum eſt ad ſequeſtrationem, quæ tria bona parit. Primo, quia cum ſit pœnalis, mouet reum ad fatendum deliƈtum. Secundo, impedit, ne quærat, quid depoſuerint teſtes, vel eos ſubuertat. Tertio, retinet, ne fugam arripiat: & hi ſunt qui dicuntur arreſtati, ad differentiam deſtinatorum ad carceres per ſententiam.

4. Poſtremum medium ad indagandam veritatem quando prædiƈta non ſufficiunt, eſt tortura, & tormenta corporalia: in Religione autem vſitatæ ſunt abſtinentiæ, diſciplinæ, & huiuſmodi.

5. Nunquam contra abſentem, vel inauditum debet ſententia proferri: & ſi petierit tempus, debet illi competens tempus concedi ad reſpondendum: ſi petierit procuratorem aliquem ex Fratribus, qui pro ipſo reſpondeat, præſertim quando fuerit ignarus, non debet renuere Prælatus illum concedere: & ſi reus adhuc negauerit modo ſupradiƈto, debet poni ad torturas, & tandem debet proferri ſententia.

6. Reus patienter eſt interrogandus, & multis interrogationibus vrgendus ſuper deliƈtum, de quo contra ipſum extant indicia, omni poſtpoſita paſſione, & reſpeƈtu humano, Deum præ oculis habenda, & veritatem: nec unquam promittenda eſt impunitas ſi confiteatur, niſi eſſet complex aliorum delinquentium, & aliter non poſſet veritas haberi.

7. De reo enim eſt nomen inquirendum, progenies, Ciuitas, conditio, qualiter ſe alias habuit in moribus, quomodo ſe habet in examine, an palleat, rubeat, timeat, titubet, vacillet: audaƈter proferat, omnia ſunt ſcribenda.

8. Cauendum eſt ab interrogatoriis ſuggeſtiuis.

9. Improbandæ ſunt reſponſiones datæ, quæ falſitatem, aut impoſſibilitatem, ſeu inueriſimilitudinem præſeferunt, exempli gratia: & ſibi diƈto quomodo audeat negare, &c. quia in proceſſu, &c. ipſe confeſſus eſt, &c. vel etiam conſtat ex diƈtis plurium, &c Omnia vero

interrogata ſunt extendenda, neque interrumpendus eſt reus.

10. Reus interrogandus eſt, an habeat inimicos, & quos, & dicat cauſam inimicitiæ per extenſum.

11. Si reperiantur in camera rei indicia aliqua, vel ſcripturæ, aut ſimilia, illi oſtendenda ſunt pro recognitione, quæ eſt facienda per ſimilia verba: Ad omnem bonum finem, & effectum, &c. oſtenſa fuit illi ſcriptura talis, &c. quæ viſa, inſpecta, lecta, & diligenter conſiderata, dixit &c. hæc eſt mea ſcriptura, non viciata, non cancellata, non ſuppoſita, ſed a me vere ſcripta; & principium, & finis ſcripturæ ſcribenda ſunt in hunc modum: Quæ incipit, &c. finis vero &c.

12. Denegatis defenſionibus, nunquam poteſt procedi ad torturam, *Cathaldus de Sindicatu num.*165. Ibi, adde quod dicitur: Quamobrem offerendæ ſunt defenſiones completo proceſſu, per decretum temporis præſentis. Tunc Iudex, &c. volens venire ad expeditionem cauſæ, & cauſarum, obtulit N. ſuas defenſiones, ſi quas facere intendit, ac decreuit copiam proceſſus, habitis priùs teſtibus pro ritè examinatis, & confrontatis. Saluo tamen iure officij, ac ſine præjudicio vlterioris proceſſus, & examinis, aſſignato illi terminò trium dierum, plùs, & minùs, pro arbitrio, &c. omni meliori modo, &c. Poteſt enim, ac debet ex iuſta cauſa prolongari terminus dierum, &c. Itàque priùs reus debet clare habere teſtes pro rite examinatis, tamen cum clauſula: Saluis ſibi exceptionibus contra perſonas, & dicta teſtium, ac repetitione, quatenus opus fuerit, &c. Nec ante hanc approbationem danda eſt copia proceſſus reo, vel procuratori ſuo. Si vero non habet illos pro repetitis, citandus eſt ad danda interrogatoria; & tunc hæc fiunt, quando reus non eſt confeſſus delictum.

13 Audita rei confeſſione, ſi aliqua reſultant, quæ habeant vim plena, aut ſemiplenæ probationis, iubeatur ire in arreſtum: ſed Prælatus aduertat, quod id faciat circum-

cumſpecte. Si enim aliquis eſt inſignis auctoritatis, vel opinionis, ex cuius detentione maior eſſet infamia, damnum, vel ſcandalum Communitati, quam ex delicto, de quo eſt infamatus, non tamen conuictus, neque plenarie confeſſus: ſi deinde non eſt periculum de fuga alicuius, qui nondum eſt plene conuictus, aut confeſſus, non procedat inquirens ad realem detenſionem ipſius. Nam hæc eſt iniuria irreparabilis, & infamia, quæ nunquam ex perſona, & Communitate aboletur, etiam ſi poſtmodum ſententialiter abſoluatur reus. Secus ſi ſit perſona mediocris, vel inferioris conditionis, & eſt periculum euidens de fuga illius, & non oritur ſcandalum. Ex mente *Concilij Tridentini ſeſs.25. cap.6.* & ex communi ſententia Doctorum.

14 Reo in arreſto detento debet inquirens dare locum & tempus defenſionis, porrectis illi articulis, de quibus in proceſſu; deinde probationibus, nominibus teſtium, copijs indiciorum, inſuper, & nota propriæ confeſſionis, & inquirere, an ſcilicet velit aliquid opponere contra deponentes, aut depoſitiones, & an velit ſuæ confeſſioni aliquid addere, vel explicare, vel corrigere: vt communiter habent Doctores ex exceptione illa Act. 25. quæ dicit: *Non eſt Romanis conſuetudo damnare hominem aliquem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina*. Defenſionem vero tam neceſſariam eſſe aiunt Doctores ex multis deciſionibus Rotæ, vt neque ipſi diabolo, ſi adeſſet in iudicio, deneganda eſſet. Doctores etiam plurimi apud Franciſcum Pegna, atque Eymericum aſſerunt, neminem poſſe defenſioni renunciare; præſertim, quæ eſt ex exceptionibus contra teſtes, quibus inter alia poteſt obijci inimicitia, quæ oritur ex iurgijs, conuicijs, minis, verberibus, & alijs præuijs, tum etiam ex ſtudiis factionis contrariæ.

15 Propoſitis articulis, interrogetur reus per præceptum, vel ſub excommunicationis ſententia; An fecerit, ſcilicet, an acceperit pecuniam a tali, & an eam cælauerit

 ani-

animo proprietario? Si neget ſurgens compurgator dicat per conſcientiam ſuam, quod credit ipſum veritatem dixiſſe, & quod credit ipſum ab impoſitis criminibus innocentem eſſe.

16 Si crimen eſt notorium, vel accuſator offerat ſe ad probationem, non debet Prælatus recipere purgationem, etiam ſi infamatus offerat ſe daturum.

17 Recuſans canonicam purgationem, quia præſumitur eſſe reus, debet canonica animaduerſione puniri.

18 Deficiens in canonica purgatione, Regularis non debet puniri pœna ordinaria, *C. ſignificaſti de adult.* nam tunc Iudex procedit ex præſumptione, quæ valde ambigua eſt; & moderationem ſententiæ extorquet, *C. affert. de præſumpt.* & Silueſter *in verb. canonica purgatio*, & communiter Doctores. Vnde etiam tunc non exprimitur cauſa in ſententia lata.

19 Inter pœnas extraordinarias numeratur correctio verbalis, quæ pro ratione criminis, & perſonæ vſurpanda erit, *Sotus de ratione tegendi ſecr. membr.2. quæſt. 4. concl.3.*

20 Inter pœnas ordinarias, eſt priuatio vocis, abſolutio, & reliqua *in cap. de grauiori, & grauiſſima culpa.*

Cap.VII. De Sententia.

1. IVdex ſententiam diffinitiuam prolaturus, debet in narratiua ſummarie articulos proponere, & cauſas, quæ ad ſententiam ferendam mouent exprimere, ſententiamque in ſcripto conceptam, ſedens in loco iudicii pro tribunali ipſe proferre, quæ poterit formari in hunc modum: Nos Frater N. &c. in cauſa contra te Fratrem N. &c. coram nobis pendente; & per proceſſus in ſcripto formatos deducta, ad vltimam concluſionem per diffinitiuam ſententiam procedere volentes, cum publicam famam, ſeu potius infamiam (vel cum per plurium Religioſorum, & bonæ conſcientiæ Fratrum denunciationem)

nem) ad noſtram notitiam perlatum fuiſſe, te Fratrem N. ſupradictum, pecuniam a D. N. clam recipiſſe, neque ad depoſitum commune detuliſſe; certius informandi, vtrum clamorem opere compleueris ad examen deſcendimus. Adhibitis ergo, & ſub iuramento examinatis teſtibus idoneis, in certam, & probatam facti cognitionem venimus, quam è veſtigio confirmauit confeſſio tua, primum in arreſto excuſſa, & demum extra illud repetita. Ideoque ſedentes in camera noſtra in ſella, quam pro tribunali, & loco iudicij elegimus, Deum, & juſtitiam præ oculis habentes, Chriſti nomine invocato, pronunciamus, & ſententiamus contra te, videlicet: quia tu pecunias clam accepiſti, eaſque in depoſito communi non depoſuiſti; ideo te in pœnas in Conſtitutionibus noſtris expreſſas, & huiuſmodi culpæ appoſitas damus: videlicet, te præfata pecunia priuamus, eamque Conuentui applicamus, teque carceri addicimus, & addictum eſſe declaramus per tres annos ibidem ieiunijs panis, & aquæ ſemel in qualibet hebdomada macerandum: reſeruantes nobis, & diſcretioni Præſidentis facultatem moderandi, vel diſpenſandi in prædictis, &c. Acta, lata, & lecta fuit hæc ſententia in camera noſtræ reſidentiæ per me Fratrem N. præfato Fratre N. præſente, & audiente, & teſtibus infraſcriptis, qui propria manu ſubſcripſerunt die Menſis Anni

2 Si aliquis ſenſerit ſe eſſe grauatum, poterit gradatim appellare, & Apoſtolicas, ſeu dimiſſorias litteras ad ſuperiorem Iudicem petere, & Prælatus quandoque non debet eos illi denegare.

3 Iudex ſi aliquem deprehenderet in flagranti crimine, iudiciario ordine prætermiſſo, adeoque nullis dato reo defenſionibus, poteſt ſententiam in grauioribus proferre; quemadmodum S. Paulus notorium quendam Corinthium Sathanæ per excommunicationis ſententiam nullo ſeruato iudiciario ordine tradidit. 1. *Corinth*. 5.

Forma condemnandi conuictum per accuſatorem.

NOs F. N. &c. in cauſa, & cauſis contra F. N. coram nobis pendente, ac per proceſſus in ſcripto formatos deducta, cum per accuſationem à F. N. coram nobis cum inſcriptione propoſitam, accuſatus fueris, quod furtum T. commiſeris, & per productos idoneos teſtes ſub præcepto examinatos, datis tibi defenſionibus, idem furtum feciſſe conuictus fueris: nos vero, vt ad finem cauſæ per definitiuam ſententiam procedere vellemus, inſtanter fuerimus requiſiti; vt iuſtitiæ deferamus ad ſententiam hoc modo deuenimus, videlicet, quod ſedentes in camera noſtra in ſella, quam pro tribunali, & loco iudicij elegimus, Deum, & iuſtitiam præ oculis habentes, accuſatione, atteſtationibus, defenſionibus, & dictis vtriuſque partis auditis, & viſis, & omnibus diligenter inſpectis, peritorum etiam conſilio deſuper habito: Chriſti nomine invocato, dicimus, pronunciamus, & ſententiamus te Fratrem B. quamuis non confeſſum, conuictum tamen eſſe criminis furti talis, & tanquam conuictum, & reum damnamus: cumque aliter non ſis ſoluendo, decernimus, vt per pœnas culpæ ſatisfacias: & miſericorditer tecum agendo, arcto carceri per tres annos addicimus, ibidem tribus diebus, qualibet hebdomada per annum integrum panis, & aquæ ieiunio, ac ſingulis menſibus vna feria ſexta diſciplina circulari in Capitulo, & proſtrationibus ante januam Refectorii tranſeuntibus ante, & poſt prandium Fratribus flagellandum, affligendum, & humiliandum. Reſeruantes tamen nobis facultatem remittendi, & moderandi pœnas prædictas, vel totaliter relaxandi, ſi confeſſus culpam, humiliter petieris veniam, & emendationem promiſeris. Acta, lata, & lecta fuit hæc ſententia in camera tali, per me Fratrem T., præſente, & audiente præfato Fratre B. & teſtibus infraſcriptis, qui propria manu ſubſcripſerunt die Menſe Anno

Forma ſententiæ contra accuſatorem , qui probatione defecit .

NOs Fr. N. &c. Recolentes nos ex iuſtitia debitores eſſe æqualitatem conſtituendi , & attendentes te Fratrem A magna vſum iniquitate , cum per accuſationem inſcriptione appoſita Venerandum Religioſum B. criminis proprietatis , & furti accuſaſſes, nec tamen intra tempus conſtitutum teſtes legitimos , & ſufficientes (prout te obligaueras) produxiſſes : vel nec productis teſtibus , & ſub præcepto examinatis , ſufficienter probaſſes, quod propoſueras contra eum ; propter quod , ſi conuictus fuiſſet , pœnam grauioris Culpæ , & carceris pati debuiſſet; ac proptere a incidiſſe te in talionem : idcirco vt in caput authoris recidat malitia eius , & cæteris exemplo ſis non perpetrandi ſimilia , ſedentes in Cella noſtra in ſella , quam pro tribunali , & loco iudicij elegimus, Deum , & iuſtitiam præ oculis habentes dicimus , pronunciamus , & ſententiamus te Fratrem N. præfatum , fuiſſe , & eſſe iniquum accuſatorem , & malitioſum infamatorem , ac ſubinde pœna talionis damnamus ad arctum carcerem per tres annos , in quem ſtatim induci debeas , ibique &c. , reſeruantes &c non tamen contra noſtrarum Conſtitutionum tenorem . Acta , lata , &c.

Cap. VIII. De Pœnis .

1 NE crimina ſint impunita , debet Prælatus conuicto , vel confeſſo pœnam ordinariam in Conſtitutionibus expreſſam infligere .

2 Renuncianti ſuis defenſionibus ex his , quæ reſultant in proceſſu , attenta perſonæ qualitate , & criminis grauitate ; debet pœnam , vel extraordinariam , vel ſi ordinariam non tanto tempore , neque cum tanta rigiditate , quantam ſi admiſſis , petitiſque defenſionibus conuictus meruiſſet , imponere .

Reliqua de pœnis habentur in *Conſtitut. D.1. cap.16. & ſequentibus* .

Cap.IX. De Appellationibus .

1 DEnunciamus Fratribus noſtris, olim apud Carcaſſonam 1312. ſtatutum fuiſſe, quod quicunque Frater repertus fuerit (iudicio eius ad quem ſpectat) ſine cauſa rationabili a quocunque Superiore ſuo appellaſſe, carcerali coſtodiæ mancipetur.

2 Denunciamus etiam, Bonifacium Papam VIII. Pont. Max. ſtatuiſſe huius, qui ſequitur tenoris Conſtitutionem: *Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia indulgemus, quod prædictus Magiſter, & alii Præſidentes in dicto Ordine: ad quos id pertinuerit pro tempore, in correctionibus Fratrum ejuſdem Ordinis, juris ordine propoſito, ſecundum conſuetudines approbatas, & inſtituta Ordinis antedicti procedere liberè, & licitè poſſint, & valeant. Quodque nullus ex Fratribus, & Sororibus Prædicatorum Ordini ſubiectis, aliquem, vel aliquam ex Fratribus, ac Sororibus hujuſmodi coram quocumque Iudice: qui non ſit de dicto Ordine, ex quacunque cauſa conueniri, nec à correctione quacunque, ſeu alias ab aliquo Prælato, vel Fratre dicti Ordinis quauis occaſione appellare, aut contra eos querelam proponere audeat: niſi prius coram Conuentuali, ſeu Provinciali Priore, ſeu Magiſtro Ordinis, & ſucceſſiuè in Capitulo Generali dicti Ordinis cauſam, & querelam ſuam propoſuerit verbo, vel ſcripto.* Vide plura de hac materia ſupra *Diſtinct.2. cap.8. pag.249. & 259.*

FOR-

FORMVLARIVM

PRINCIPALIORUM ACTVVM

Ad Officium Prioris Prouincialis, & Conuentualis Ordinis Prædicatorum ſpectantium.

Reformatum iuxtà nouam Conſtitutionum editionem, habens annexum modum faciendarum Electionum, tum & aliarum Ordinis functionum.

OPtima totius Ordinis noſtri diſpoſitio conſurgit, cùm partes omnes in ſeipſis benè diſpoſitæ fuerint, & alteræ cùm alteris congruo loco conuenerint. Idcirco ſuppoſita cura Reuerendiſſimi Magiſtri Ordinis, cui totum Ordinem moderari incumbit, in ſingulis Prouinciis, Priores Prouinciales ſumma ope niti oportet, vt ſinguli Conuentus optimo iure gubernentur. Quod profectò efficient, cùm eorum capita, & membra præcipua, ſana, & integra fuerint. Ijs enim rectè, decenterque diſpoſitis, facilè cætera componentur; & velut in harmonico inſtrumento, ex diſparibus vocibus concors, & ſuauis reſonabit melodia. Debet igitur P. Prouincialis prouidere, primùm de Prioribus, & Præſidentibus Conuentuum, de Inquiſitoribus, & Viſitatoribus, Lectoribus, quorum opera cæteri dirigantur. Deindè ſingulorum Fratrum, vel benè facta gratijs, & fauoribus promouere, vel minus bona, aut etiam mala, monitis, & correctionibus emendare, vel (vt alij caueant) caſtigare, & punire:

ni re: de quibus omnibus nonnihil in hoc libello agitur. Priores eliguntur, confirmantur, viſitantur, deponuntur, quorum omnium formulas hic ſubijcimus.

De Electionibus.

ECcleſiæ noſtræ, Priuilegio D. Gregorii Papæ IX., & Innocentii IV. ac aliorum Summorum Pontificum dicuntur Conuentuales, Conuentus autem iuxta declarationem Capituli Romani 1558. (vt videre eſt ſupra *Diſt*. 2. *cap*. 1. *pag*. 162.) ſex ad minus Fratribus vocem in Capitulo habentibus, conſtat; qui rectè dici poteſt Collegium, quod juxta leges, *ff. de vera ſignif. l. Neratius*, tribus perficitur: ergo ad illum jure communi ſui capitis, & Prioris electio pertinet.

Electio non poteſt fieri in aliquo Conuentu, niſi is, qui tali officio præeſt, ſit penitùs ab eodem amotus. Nec poteſt fieri ſub conditione, videlicet, ſi eum ab officio amoueri contigerit. Nec poteſt vltra menſem a notitia mortis, vel amotionis diferri. Si autem differatur, ita quod nullus actus ab Electoribus fiat, deuoluitur ad Superiorem poteſtas eligendi. Et ſi caſſatur, non poteſt ab Electoribus denuò fieri, niſi eis intimetur caſſatio per verbum caſſo, vel caſſamus.

Item eligendus in Priorem. 1. debet eſſe profeſſus in ordine tacitè, vel expreſsè. 2. debet eſſe Sacerdos, quia curam gerit animarum, & fuiſſe in habitu 12. annis à profeſſione. 3. illegitimè natus non poteſt eligi ſine diſpenſatione, quam poteſt dare Prior Prouincialis. 4. Qui ſemel electus, vel poſtulatus fuerit, Confirmatore electionem ejus, vel poſtulationem aliqua rationabili cauſa caſſante, non poterit pro illa vice ſecundò eligi, vel poſtulari, ſine licentia Confirmatoris. Quod ſi Electores, caſſata eius electione, vel poſtulatione, eundum ſine licentia Confirmatoris, vel ipſius Superioris, denuò elegerint, vel poſtulaverint; electio nulla erit, & poteſtas prouidendi de Priore, ad

ipſum

ipſum Prouincialem deuoluitur, ex Capitulo apud Montempeſulanum 1271. & Florentiam 1272. 5. Non poteſt eligi, aut confirmari, niſi ſciat grammatice loqui abſque falſa latinitate, & competenter proponere verbum Dei 6. Qui non poteſt ſequi Chorum, Dormitorium, Refectorium, & communia, prout decet, ex Capitulo Cœnomanen. 1491.

Elector debet eſſe in ſacris Ordinibus, non irregularis. Narbon. 1354. poſt ſex annos a profeſſione Translatus autem de Habitu Conuerſorum ad Clericalem, poſt annos ſeptem a ſuſceptione Habitus Clericalis, Brugis 1369. Si vero de aliena Prouincia fuerit, admittitur poſtquam per annum continuum in illa Prouincia aſſignatus, moratus fuerit. Electores debent eſſe præſentes in Conuentu, quamvis non interſint Capitulo, ſeu loco electionis. Et ſi fuerint infirmi, debent Scrutatores ad eorum cameras ire, & illorum vota ſcrutari, & recipere: quoniam electio in Ordine noſtro non poteſt fieri per Procuratorem, licet ſecundum iura fieri poſſit. Quæ omnes Electorum, & eligendorum conditiones hic breuiter attactæ, clarius explicantur ſupra *Diſtinct.* 2. *cap.* 2. *pag.* 179. *& ſequent.* vbi de electionibus ex profeſſo tractatur.

Modus faciendi Electionem Prioris Conuentualis.

CVM electio Prioris Conuentualis eſt facienda, primo debet Supprior, vel Vicarius per litteras vocare, & citare omnes Vocales abſentes, non tamen pluſquam per vnam dietam diſtantes, & eis terminum ſtatuere, & dare conueniens temporis ſpatium, intra quod commode conuenire poſſint. 2. Vocatis, & expectatis abſentibus, ad diem præfixam vocari debent Vocales per ſonum campanæ ad locum electionis; & præmiſſo tractatu ſaltem in communi de perſona eligenda, debet interrogare Vocales,

cales, ſi eis placet locus, & tempus pro electione. 3. Debet facere proteſtationem, quod non intendit excludere aliquem admittendum, nec admittere quemquam excludendum. 4. Ad cautelam facere abſolutionem a Cenſuris. 5. Inuocetur Spiritus Sancti gratia per Hymnum, *Veni Creator*. Antiph. *Veni Sancte*, *Kyrie eleiſon. Chriſte. Kyrie eleiſon; Pater noſter* ℣. *Emitte Spiritum*, *&c.* Oratio, *Deus qui corda*, *&c.* 6. Debet aſſumere ſecum duos, qui diutius Habitum poſt profeſſionem portauerunt, & cum eis accedere ad bancum ante fores Capituli paratum: qui duo Scrutatores non debent eſſe cæci, neque ſurdi. Quod ſi aliquis præſentium in Conventu, cuius intereſt ſedere ad bancum, eſſet aliquo prædictorum, vel alio quocunque legitimo impedimento impeditus; debet non antiquior in Habitu illi ſuccedens, ſed alius per electionem Capituli loco illius ſubrogari: & ipſis Scrutatoribus poteſt (ſi maiori parte Capituli placuerit) quartus adiungi. Ille videlicet, qui per ſchedulas Electorum, a tribus illis recipiendas, a pluribus, licet medietatem votorum non excedant, nominatus fuerit: & ſi plures æqualia vota habere contingat, antiquior in Habitu Ordinis præferatur; ita quod primo ſuffragio ſemper Scrutator habeatur, pro ea dumtaxat electione. 7. Scrutatores tres, vel quatuor (ſi quartus electus fuerit) ad bancum ſedentes, in aliquod vas, ſingulas a ſingulis Electoribus acceptas ſchedulas inferant, inuolutas, ſeu clauſas; in quibus nomen eligendi tantum ſcriptum ſit, abſque nomine eligentis hoc modo: Eligo Fratrem N. 8. Schedulas effundant, & antequam ipſas aperiant numerent, & ad numerum Vocalium conferant: & ſi æquales numero non ſint, ſtatim eas comburant, & iterum alias ſchedulas modo conſimili accipiant. Quas ſi cum Vocalium numero conuenire inuenerint, aperiant, & nomina eorum, qui in eiſdem nominati ſunt, ſcribant; cum numero votorum, quem habet unuſquiſque: & facta collatione numeri ſchedularum ad numerum, & no-

& nomina ſcriptorum in ſchedulis, eas ſtatim comburant. Deinde ad medium Capituli venientes, ſcrutinium publicent, vniuſcuiuſque in ſchedulis nominati nomen, & numerum votorum, quem habent exprimentes. Et ſi nullus a pluribus vltra medietatem nominatus fuerit, iterum ad recipiendum ſchedulam procedant, vt prius, donec aliquis a maiori parte, vltra medietatem fuerit nominatus; niſi fuerit de gremio eligentium: quia tunc oportet, vt habeat vnum votum ſupra maiorem partem vltra medietatem.

9 Inuento, quod aliquis eſt nominatus a maiori parte modo iam dicto, primus Scrutator (licet ipſe in ſchedulis non nominauerit electum) formet decretum: niſi forte ipſe fuerit ſic nominatus: quia tunc ſecundus Scrutator debet publicare vota, & formare decretum, quod his verbis formari debet: *Ego F N. vice præſentium electorum, eligo F. N. in Priorem huius Conuentus N. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

10 Habeantur litteræ paratæ, & in litteris ſcrutinij ſcribantur confirmatori ea tantum, quæ in Capitulo publicantur: iuxta formam inferius expreſſam, & ſic a ſingulis Scrutatoribus ibidem ſubſcriptæ, & ſigillo coram omnibus clauſæ mittantur ad Confirmatorem, niſi ſit præſens in Conuentu: quia tunc non oportet claudere, aut ſubſcribere litteras.

De Poſtulationibus Priorum.

POſtulationes admiſſæ ſunt in Ordine noſtro ex conceſſione Apoſtolica, per litteras Alexandri Papæ IV. & Sixxti ſimiliter IV. quibus conceditur Confirmatori Prioris tam Prouincialis, quam Conuentualis, vt poſſit confirmare aliquem de illis Fratribus, quos ipſi electores, vel maior pars eorum per litteras ſuas ab eo petierint, ſeu poſtulauerint, quando ad ipſum pro electi confirmatione mittunt: ſi ex aliqua cauſa electionem ab ipſis Fratribus eiuſdem Ordinis quorum intereſt factam, non confirmari contingat. Et ideo non oportet eſſe ſollicitum ad quærendum, & ſciendum, quid ſecundum

cundum iura, vel ſacros Canones ſeruandum ſit in poſtulationibus, ſed ſufficit noſſe pratticam Ordinis, quæ tamen in verbis litterarum Apoſtolicarum ſupra poſitis eſt expreſſa, & in Cap Rom. 1553. declaratum, quod ly per ſuas litteras, intelliguntur litteræ ſcrutinij electionis.

Cum ergo ad electionem proceditur per ſcrutinium iuxta formam Cap. Bononien. per ſchedulas, tacito, ſeu omiſſo nomine eligentis, ſolum nomen eligendi ſcribatur cum nomine, vel nominibus poſtulatorum ſic: Eligo Fratrem A. & poſtulo Fratrem B. & F. C. & F. D. & quot quiſque voluerit, & ſi plures vltra medietatem, fuerint præter electum poſtulati, debent coram omnibus legi cum electo, & in litteris ſcrutinij, ſeu decreti ad confirmatorem mittendis ſcribi debent ſic: F. A. in electione habuit tot vota, & F B. in poſtulatione tot, & F. C. & F. D. &c. dummodo ſint plura vltra medietatem.

Forma litterarum ſcrutinii, ſeu decreti electionis, mittendarum ad Confirmatorem.

REverende Pater &c. Vacante Prioratu noſtri Conuentus N. poſt expletum triennium Reuerendi Patris F.N. in officio Prioratus eiuſdem (vel propter abſolutionem R.P. F.N. vel propter aſſumptionem R.P.F.N. ad Prioratum N.) ſolliciti fuimus nobis de capite, & paſtore prouidere, ne diutius abſque legitimo capite permanentes, aliquod damnum pateremur. Ideoque citatis per me F. N. Suppriorem, vel Vicarium eiuſdem Conuentus, & vocatis, ac expectatis omnibus, & ſingulis, quorum intereat, aut intereſſe putabatur ad electionem conuenire, die mentis ad conſuetum ſonum campanulæ, Capitulum ingreſſi ſumus; cumq. locus, & tempus eligendi cunctis placuiſſet proteſtatus ſum me nullum admittendum excludere velle, nec excludendum admittere facta generali abſolutione a Cenſuris, & omnibus Vocalibus Sacramento Euchariſtiæ refectis, inuocata deinde gratia Spiritus Sancti, cuius nutu cuncta regun-

reguntur: omnibus denique, & ſingulis præmiſſis, quæ in huiuſmodi electionibus præmitti debent, & ſolent: Ego, cum duobus in habitu Ordinis, a profeſſione antiquioribus, ad menſam coram omnibus paratam acceſſimus, ibique vota omnium, & ſingulorum in ſchedulis accepimus. Quibus acceptis, enumeratis, atque apertis, & demum lectis, nominibuſque eligendorum in ſcripta redactis, atque ad numerum collatis, inuentum eſt, quod F. A. a maiori parte vltra medietatem per dictas ſchedulas in electione nominatus fuit. Nam cum eſſemus octo, vel nouem habuit quinque vota; & F. B. habuit tria vota, vel quatuor; & F. C. habuit quatuor, vel quinque vota. Item F. D. & F. E. fuerunt poſtulati; cum enim eſſemus novem F. D. habuit ſeptem poſtulationes, & F. E. quinque. Tunc ego cum prædictis Scrutatoribus ad medium Capituli veniens, & librum Conſtitutionum noſtrarum tenens, formaui decretum hoc modo; *Ego F. N. Supprior, vel Vicarius huius Conuentus N. vice præſentium electorum eligo R. P. F. A. in Priorem huius Conuentus N. & poſtulo F. D. & F. E. ad idem officium. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen* Cum ergo electio noſtra ſit rite facta, & de perſona tam moribus, & religione, quam prudentia, & doctrina prædita; rogamus Reuer. P. V. vt eam probare, & electum omnino, vel ſaltem vnum ex poſtulatis confirmare, & nobis concedere dignetur, cui nos, & Conuentum noſtrum commendamus. Datum in Conuentu N. die menſis anno

Si autem aliqua contradictio, vel oppoſitio fiat ab aliquo, debet ſcribi in eiſdem litteris, vel alijs ſeparatis, cum decreto tamen mittendis, puta: Duo Fratres, videlicet, F. N. & F. P. noluerunt huic noſtræ electioni conſentire, vel oppoſuerunt ei, quod facta fuerat per practicas, & minas: quod tamen non probauerunt. Deinde ſubſcribantur hoc modo: Ego F. N. Supprior, vel Vicarius, & primus Scrutator ſubſcripſi manu propria. Ego F. P. 2. Scrutator ita eſſe confirmo. Ego F. M. 3. Scrutator ita eſſe confirmo. Et ſic claudantur litteræ, & tranſmittantur.

Forma

Forma electionis Reuerendiſſimi Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum.

1 IN primis cantetur Miſſa de Spiritu Sancto, cum Orationibus de Beata Virgine, & de Beato Dominico.

2 Diſponatur locus electionis cum diſco, atramento, papyro, & pennis.

3. Aſſignentur Conſtitutiones, & Rubricæ alicui, vel aliquibus poſtmodum lecturis.

4. Inueſtigetur ab electoribus, qui ſunt tres antiquiores Prouinciales, & qui inter eos eſt antiquiſſimus.

5. Congregentur Fratres ad Capitulum.

6. Publicetur determinatio Examinatorum vocum.

7. Legatur Bulla, ſi quæ legenda eſt.

8. Legatur Rubrica, & Conſtitutio.

9. Moneantur Priores Prouinciales, vt ſint parati ad introducendum Patres Electores in conclaue, & ad ipſum cuſtodiendum.

10. Ordinentur Cuſtodes pro conclaui.

11 Imponantur Miſſæ, & Orationes.

12. Fiat proteſtatio.

13. Fiat generalis abſolutio.

14. Includantur Electores in conclaui.

Ante omnia iſta, debent fieri tres Examinatores vocum, vnus de Hiſpania, vnus de Italia, vnus de Gallia.

In conclaui fiant iſta:

1. LEgatur Rubrica, & Conſtitutio de electione Magiſtri.

2. Deinde flexis genibus, & deuote dicatur Hymnus, *Veni Creator &c.* cum ℣. & Oratione; & habeatur liber pro Hymno, & Oratione dicendis.

3. Inueſtigetur ſi aliquis Elector eſt abſens.

4. Exponatur per Vicarium de tempore procedendi, ſci-

ſcilicet, an velint illo tempore ad electionem procedere.

5. Tres antiquiores Prouinciales vadant ad diſcum.

6. Recipiant in aliquod vas ſchedulas inuolutas, iuxta formam in electione Prioris Conuentualis poſitam.

7. Redigant omnia in ſcriptis in conſpectu omnium ſecrete, & in eadem domo, & loco.

8. Fiat collatio numeri ad numerum.

9. Formetur electio per antiquiſſimum Prouincialem, ſi ipſe non eſt electus: & ſi eſt electus, tunc alius antiquior immediate ſub eo formet decretum, iuxta ordinationem Capitulorum Generalium.

Deinde incipiatur in conclaui *Te Deum laudamus*, & Fratres ab extra ipſum proſequatur, & conueniant omnes Fratres ad locum conclauis, & per Prouincialem antiquiſſimum recitetur proceſſus electionis, breuiter, & ſuccincte, & formetur decretum, vt ſupra. Poſtea conueniant Fratres ad Eccleſiam, & duo Prouinciales antiquiſſimi ducant Magiſtrum Ordinis ante gradum Altaris, & Magiſter flexis genibus proſtratus iaceat; & antiquiſſimus Prouincialis dicat Verſum, & Orationem. ℣. *Saluum fac Seruum tuum &c.* ℣. *Dominus vobiſcum &c.*

ORATIO.

Concede quæſumus Omnipotens Deus, vt Famulum tuum, quem ad regimen animarum noſtrarum elegimus, dono tuæ gratiæ proſequaris, vt te largiente cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per Chriſtum.

Poſtea ijdem antiquiſſimi Prouinciales Magiſtrum eleuent & ipſum ponant in ſede ſua in choro dextro.

Et interim pulſetur ad Capitulum, & Fratres ſine proceſſionis ordine intrent Capitulum, & Magiſter vltimo; & poſitus in loco ſuo, Fratrum orationibus ſe commendet, & alia, quæ vult proponere proponat: & moneat Fratres circa ſpiritualia, & actus ſcholaſticos, & bonos mores, & ut dent memorialia, & ſcrutinia.

Surgat Magiſter completo Capitulo, & dicat: *Adiutorium noſtrum &c.*

De confirmatione Prioris Conuentualis.

CONfirmator, in electionibus, ſeu poſtulationibus per ſcrutinium, ſi hoc ſolum ſeruatum viderit, quod maior pars vltra medietatem conſenſerit ante publicationem ſcrutinij, poteſt eas pro canonicis approbare. Et ſemper intelligitur ſupplere defectus electionis, qui eius ſubſunt poteſtati, quando ſine clauſula diminutiua confirmat electionem, *ex Conſtitutionibus diſtinct. 2. cap. 2.*

Forma Litterarum confirmationis Prioris Conuentualis electi per ſcrutinium.

IN Dei filio ſibi dilecto Rev. Patri F. N. &c. Ordinis Prædicatorum F. N. eiuſdem Prouinciæ B. Prior Prouincialis, ſalutem.

Cum Fratres Conuentus noſtri N. ſuo legitimo Priore deſtituti conueniſſent, vt ſibi, & ſuo Conuentui prouiderent; diuino (vt credimus) numine inſpirati, te cuius probitatem, religioſum zelum, in agendis prudentiam, atque doctrinam, apprime nouerant, vnanimi voto (vel ſi electio non ſit vnanimis canonice) elegerunt: noſque rogarunt, vt eorum electionem probare, teque illis concedere, præficere, & confirmare vellemus. Quorum votis, & petitionibus facile condeſcendimus; licet enim tibi tua tecum tractare, ac ſolitudines in corde ædificare, & inibi, quam ſuauis eſt Dominus guſtare cupienti, durum videri credamus poſt gregum veſtigia detineri, eorum diſtrahi curis, infirmitatibus infirmari, paſſionibus angi, & concuti: confidimus tamen, quod ſolita prudentia, conſiderabis te non tibi ſoli eſſe natum, & charitate chriſtiana fretus, alienos profectus proprijs commodis antepones: ac demum Chriſti, & Apoſtolorum eius exemplo, rem tuam omnem, & ſi opus fuerit, etiam vitam pro Fratrum ſalute contemnes. Ideoque his, atque alijs animi tui dotibus, & virtutibus nobis ingentia promittentes, prudentumque Patrum confirmati

con-

conſilio, dedimus, præfecimus, & confirmauimus, & authoritate Officij noſtri, ac præſentium tenore; te R.P.F.N. damus, præficimus, & confirmamus Priorem, caput, & Paſtorem præfati Conuentus N. datumque, præfectum, & confirmatum decernimus, & declaramus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Damuſque tibi in, & ſuper dicto Conuentu, & Fratribus, ac perſonis etiam vtriuſque ſexus Tertij Ordinis noſtri ad ipſum quavis ratione ſpectantibus omnem in ſpiritualibus, ac temporalibus authoritatem, & poteſtatem: quam cæteri Priores in noſtro Ordine, & Prouincia, vel eodem Conuentu rite confirmati, de iure, vel approbata conſuetudine, ſeu etiam ex priuilegijs, habere conſueuerunt. Inſuper inſtituimus te Vicarium noſtrum, ſuper Monaſteria A. & B. cum eadem authoritate, quorum curam per te, vel alium, ſeu alios gerere poſſis. Et quamquam de tua voluntate, & prompto animo confidamus, tamen vt meritorum cumulus per obedientiam tibi non deſit; in virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipimus: vt intra quatuor horas, dicta Prioratus, ac Vicariatus officia ſuſcipias, & ad illorum executionem quantocius te accingas. Eodem quoque præcepto præcipimus omnibus, & ſingulis ad dictum Conuentum, & Monaſteria quomodolibet pertinentibus: vt te tanquam verum, & legitimum ſuum, & dicti Conuentus Priorem, & Vicarium reſpectiue ſuſcipiant, habeant, ac venerentur. Non obſtantibus quibuſcumque. In quorum fidem his officij noſtri ſigillo munitis, manu propria ſubſcripſimus. Datum in Conuentu noſtro N. die menſis anno

Alia introductio ad idem.

IN Dei filio &c. Non te lateat, Conuentum noſtrum N. ſuo Priore deſtitutum remanſiſſe, ac ſubinde a Fratribus eius legitime adunatis, te cuius ſufficientiam probe nouerant, unanimiter (vel canonice) fuiſſe electum: (vel poſtulatum) prout pleniſſime conſtat, ex eorum ad

nos miſſo decreto, quo requiſiti ſumus, vt eorum electionem confirmare, teque illis concedere vellemus. Nos ergo tuam ad hoc ſufficientiam exploratam, atque compertam habentes, eorum votis abſque alio examine poteramus facere ſatis; veruntamen vt res ſpectatior prodiret, atque probatior, ſeniorum, prudentumque Patrum conſilium habere, iudiciumque, & ſententiam expectare maluimus: quæ tibi dura, & grauis propter onus fortaſſe videbitur. Si tamen ad brauium, & præmium, quæ ex eiuſmodi curſu te manent, oculos mentis direxeris; ſi charitatem, qua Chriſti membra complecti debes, tenere volueris, onus, aut omnino non ſenties, aut cum ſuauitate portabis; vel ſaltem cum patientia perferes, atque in eandem ſententiam manibus, ac pedibus ibis. Quæ, quia de tua prudentia, religione, probitate, & charitate nobis promittimus, idcirco electionem prædictam tanquam canonicam probauimus, & eorundem Fratrum votis condeſcendentes, te eis conceſſimus, atque præfecimus: ac authoritate Officij noſtri, & præſentium tenore te &c. *vt ſupra*.

Alia ad idem.

IN Dei filio, &c. Summus Paterfamilias, qui contractiorem noſtri Ordinis vineam, opera Beatiſſimi Patris noſtri Dominici plantauit, ad pertes illius fructuoſius excolendas, operarios continue conducere non deſiſtit. Id eum nunc feciſſe credimus, cum in Conuentu noſtro N. huius vineæ portione non contemnenda, per Fratrum illius canonicam (vel unanimem) electionem, ad eius ſpiritualem culturam vocatus es: prout ex eorum Decreto, quod confirmari petierunt, latiſſime patet. Vide igitur, & conſidera, quod ad opus peteris, ad laborem vocaris. Attamen ne viribus fatigeris, non deſpondeas animum. Opus quidem arduum eſt, & humeror poſcens pluſquam Athlanticos, Tu Chriſti tantum viſcera,

ſcera, & amorem indue, illum ſolum in omnibus intuere, & cum Apoſtolo, in eo, qui te confortat, omnia poteris. Quæ, quia te facturum confidimus, & prudentum conſilio moniti, & impulſi ſumus; ideo eorumdem votis, & petitionibus ſatisfacere decreuimus. Quare auctoritate Officij noſtri, &c. *vt ſupra*.

Forma Litterarum ſcrutinii Prioris Conuentualis ad Capitulum Prouinciale.

REuerendi Patres, poſt humilem commendationem, &c. Inſtante celebratione Capituli noſtri Prouincialis hoc anno in Conuentu N. noluimus debito, quo iuxta Conſtitutiones noſtras tenemur, habere ſcrutinium ſuper confirmatione, vel amotione Venerandi Patris noſtri Prioris vllo pacto deeſſe. Ideoque vocatis per me Fr. N. Suppriorem, vel Vicarium Conuentus N. & adunatis Fratribus dicti Conuentus, ad diem, &c. vt moris eſt, intrauimus Capitulum: & cum duobus in Habitu Ordinis poſt profeſſionem antiquioribus, ad bancum coram omnibus acceſſi, & primo quidem electo per ſchedulas Socio Prioris, Venerando Patre Fratre N. ſcrutinium deinde ſuper confirmatione noſtri Venerandi Prioris habuimus hoc modo, videlicet:

Ego Fr. N. Supprior, vel Vicarius, & primus Scrutator peto confirmationem.
Ego Fr. A. ſecundus Scrutator peto confirmationem.
Ego Fr. B. tertius Scrutator peto confirmationem.
Ego Fr. C. peto amotionem.
Ego Fr. D. renuncio voci meæ.

Quod ſcrutinium habitum, & per nos ſubſcriptum coram omnibus clauſimus, & Conuentus noſtri ſigillo ſignatum dedimus Socio prædicto; deferendum veſtris RR. PP. quibus nos, & Conuentum noſtrum commendamus. Dat. N. N. &c.
Ego Fr. N. Supprior, manu propria.
Ego Fr. A. ſecundus Scrutator manu propria.
Ego Fr. B. tertius Scrutator manu propria. *A tergo litterarum*

rarum ſiat ſuperſcripto: Scrutinium Venerandi Prioris Conuentus N.

Forma Litterarum Socij Prioris Conuentualis, ad Capitulum Prouinciale.

NOs infraſcripti fidem facimus, & atteſtamur, qualiter Venerandus Pater Fr. N. electus fuit a maiori parte Vocalium noſtri Capituli, & Conuentus N. in Socium noſtri Reuerendi P. Prioris ad Capitulum Prouinciale habendum in Conuentu N. hoc anno. Nam in electione eius, quæ (ſeruatis, quæ ſeruanda fuerant) habita eſt per ſchedulas, cum eſſemus octo, vel nouem, ipſe habuit ſex vota. Cum ergo ſit electus a maiori parte, & Socius factus, rogamus, vt tamquam Socius admittatur; In quorum fidem his manu propria ſubſcripſimus. *Non oportet has litteras claudere, aut munire ſigillo, ſed ſubſcriptio Scrutatorum, ſic fiat.*
Ego Fr. N. Supprior, vel Vicarius, ita eſſe atteſtor.
Ego Fr. A. ſecundus Scrutator, confirmo, vt ſupra.
Ego Fr. B. tertius Scrutator, confirmo, vt ſupra.

Forma Litterarum, quibus reſtituitur Vocalibus facultas procedendi iterato ad nouam electionem Prioris Conuentualis.

ELectores peccantes in forma eligendi; aut in materia electi, ſunt ea vice priuati iure, & voce ad eligendum: poteſt tamen P. Prouincialis (ſi ei placuerit) illos habilitare, vt ad nouam electionem procedere poſſint, & voci reſtituere ſic.

In Dei Filio ſibi dilectis, Venerandis Patribus Suppriori, (vel Vicario & Fratribus Vocalibus Conuentus N. Ordinis Prædicatorum Fr. N. Prior Prouincialis, &c. Examinato diligenter Decreto electionis veſtræ, quam feciſtis de Vener. Patre Fr. N. in Priorem veſtri Conuentus N. & iu-

dicio

dicio Peritorum bene diſcuſſo, percepimus vos commiſiſſe talem defectum in forma, vel materia, & ac propterea incidiſſe in pœnam priuationis vocis, ita quod pro hac vice non poteſtis eligere Priorem. Et quia veſtram electionem (cum iure ſuſiſtere non poſſet) caſſauimus, & irritauimus, Conuentus veſter adhuc remanet abſque Priore. Nos ne hanc ob cauſam detrimentum patiatur, poteſtatem eligendi, quæ ad nos deuoluta erat, hac vice vobis reſtituimus, & conferimus; voſque, & veſtrum quemlibet ad eligendum habilitamus. Mandantes vobis, vt ad nouam electionem, ea diſcretione, & prudentia procedatis, quæ nullius vitij, vel intolerabilis defectus accuſari poſſit: eumque vobis eligatis, quem vos habere, & nos confirmare poſſimus. Bene valete, & pro nobis Deum orate. Datum &c.

Forma eligendi Priorem per R. P. Prouincialem, quando ad illum propter aliquem defectum poteſtas eligendi deuoluta eſt.

IN Dei Filio, &c. Cum Fratres Vocales Conuentus N. in electione, quam fecerunt de Venerando Patre Fr. N. in Priorem Conuentus eorum, intollerabiliter defecerint, eligendo illegitime natum ſine diſpenſatione, vel a nobis, vel a iure prohibitum, (vel non formando Decretum electionis, vel excludendo talem admittendum) & ob id non ſolum illi a iure eligendi, quod habebant ceciderint, ſed etiam poteſtas eligendi ad nos deuenerit, ad translata fuerit: nec volentes Conuentum præfatum, diutius cum grauioris alicuius damni periculo ſine Priore permanere: idcirco ad prouidendum de Priore procedentes, diſcretorum Patrum ſuper hoc habito conſilio, & iudicio: te Venerandum Patrem Fr. N. de cuius religione, prudentia, zelo, & doctrina confidimus, ad hoc munus deſignauimus: ac auctoritate Officij noſtri, & præſentium tenore, eligimus, damus, perficimus, & confirmamus Priorem, Caput, & Paſtorem præfati Conuen-

tus N. & ſic electum, datum, præfectum, & confirmatum declaramus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; Amen. Damuſque tibi, &c. *vt ſupra*.

Corripiuntur Priores per Litteras priuatas clauſas, quarum tenores arbitrio RR. Prouincialium dimittimus: ſuſpenduntur autem ab officio multis de cauſis, quas explicare poteſt in litteris ſub hac forma.

NOs Fr. N. Ordinis Prædicatorum Prouinciæ N. Prior Prouincialis. Certiores facti a fide dignis te Venerandum Patrem Fr. N. publice iurgatum fuiſſe cum Domino N. & ipſum in iurgio percuſſiſſe, cum ſcandalo plurium adſtantium: & ex tua ipſius confeſſione de eodem confirmati, nec valentes modo cauſam definire; ſcientes tamen eam nonnullam ſatisfactionem apud ſcandalizatos expoſcere; ſuſpendimus te ab officio Prioratus, & tibi in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, vt nullum actum ad officium Prioratus ſpectantem exerceas, donec re iudicialiter cognita, per noſtram definitiuam ſententiam, vel tanquam reus damneris, vel vt innocens declareris. In quorum fidem &c. Datum, &c.

Forma excuſatoria Prioris Prouincialis, nolentis confirmare electum, vel poſtolatum.

VEnerandi Patres. Accepi Decretum electionis veſtræ, de Venerando Patre Fr. N. in Priorem Conuentus veſtri N. cum poſtulatione pro Fr. N. ad idem officium, cui adiunxeratis preces pro illius confirmatione, quibus propter bonos reſpectus, & rationabiles cauſas, adhærere, vel condeſcendere non potui, prout velletis; & propterea, tam electionem, quam poſtulationem caſſaui, & præſentium tenore, caſſo, & irritas eſſe declaro: adhortans

tans vos, vt me excuſatum habere velitis, & ad alterius electionem denuo procedatis. Valete. Datum &c.

A tergo. Venerandis Patribus Suppriori, vel Præſidenti, & Vocalibus Conuentus N. Ordinis Prædicatorum.

Forma inſtituendi Suppriorem.

NOs Fr. N. &c. Requiſiti, vt Conuentui N. de Fratre, qui Supprioratus officium competenter exequi, & honeſte gerere poſſet, prouidere vellemus: te Venerandum Patrem Fr. N. conſiderationis oculo reſpeximus, & in tuam ſufficientiam direximus intuitum; ſperantes tua induſtria, & prudentia prædicto Conuentui pro eodem officio ſufficienter eſſe prouiſum. Et propterea auctoritate officij noſtri, & præſentium tenore, te in dicto Conuentu aſſignamus, remouentes aſſignationem tuam, a quocumque alio Conuentu, & loco, & ſic aſſignatum inſtituimus, & facimus Suppriorem: cum omni auctoritate, & poteſtate, quam cæteri Suppriores in noſtra Prouincia, juxta Conſtitutiones, & approbatam conſuetudinem habere ſolent. Mandantes tibi in virtute ſanctæ obedientiæ, vt quamprimum (commode tamen) potueris in dictum Conuentum te conferas, & præfatum Supprioratus officium diligenter exequaris. Datum N. ſub noſtro ſigillo, die &c.

Forma inſtituendi Vicarium ſupra totam Prouinciam.

IN Dei Filio, &c. Cum ad celebrandum noſtrum jam, iamque inſtans Generale Capitulum proficiſci debeamus, & eſſe extra Prouinciam; ne propterea detrimentum patiatur, ſi abſque Capite, & Directore permaneat: vices noſtras in, & ſuper eam tibi committere decreuimus,

mus. Ideoque auctoritate Officij noſtri, & præſentium tenore, te Venerandum Patrem Fr. N. prælatum damus, inſtituimus, & præficimus Vicarium noſtrum Generalem in, & ſuper tota noſtra Prouincia N atque ita datum, inſtitutum, & præfectum declaramus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Damuſque tibi in, & ſuper ea, & omnibus, ac ſingulis Cœnobijs, Monaſterijs, Conuentibus, locis, ac Domibus, necnon omnibus, & ſingulis Fratribus, Sororibus, ac vtriuſque ſexus perſonis, tam capitibus, quam membris, etiam Tertij Ordinis, ad eam quomodolibet pertinentibus, omnem in ſpiritualibus, & temporalibus auctoritatem, quam nos habemus: & ſpecialiter confirmandi, (ſi opus eſſet) non tamen abſoluendi Priores, & generaliter omnia faciendi, quæ nos facere poſſumus, etiam ſi mandatum exigerent ſpeciale. Quæ auctoritas, poteſtas, & officium incipiat, duret, ac locum habeat, quamdiu fuerimus extra Prouinciam. Mandantes tam tibi, quam omnibus, & ſingulis ſupranominatis in virtute ſanctæ obedientiæ: tibi quidem, vt dictum Vicariatus officium ſuſcipias, & diligenter exequaris; illis vero, vt te tanquam Vicarium noſtrum ſuſcipiant, habeant, ac venerentur. Non obſtantibus, quibuſcumque, &c. In quorum fidem &c. Datum &c.

Si vero inſtituatur Vicarius Nationis, vel partis Prouinciæ, formetur ſic.

IN Dei Filio, &c. Negotiorum multitudo, & grauitas, meique corporis, & virium imbecillitas non permittunt me ſingulis quibuſque partibus noſtræ Prouinciæ, (prout vellem, & ipſis opus eſſet) intendere: & quia melius, & diligentius ſingula prouidentur, cum frequentius, & proprius inſpiciuntur, tibi Rev. Patri Fr. N. qui in Natione N. degis, & ex propinquo crebrius inueſtigare, & penitus noſſe, & religioſo zelo, atque prudentia, male, vel minus bene facta corrigere, & bona promouere ſuffi-

ſufficis, in eadem Natione vices noſtras committere decreuimus. Ideoque auctoritate Officij noſtri, & præſentium tenore, te Reu. Patrem Fr. N. præfatum damus, inſtituimus, & præficimus Vicarium noſtrum in, & ſuper Natione N. noſtræ Prouinciæ, ac ſuper omnibus, & ſingulis Conuentibus, Monaſterijs, locis, ac Domibus, necnon omnibus, ac ſingulis Fratribus, Sororibus, ac utriuſque ſexus perſonis etiam Tertij Ordinis tam capitibus, quam membris ad dictam Nationem quomodolibet pertinentibus, omnem in ſpiritualibus, & temporalibus auctoritatem, & poteſtatem, quam huiuſmodi Nationum Vicarij, ex Conſtitutionibus noſtris, vel approbata conſuetudine habere ſolent. Mandantes, &c. *vt ſupra*.

De Viſitatoribus.

VIſitatores iuxta Conſtitutiones antiquas *Diſtinct.* 2. *Cap.* 11. *Text.* 1. in Capitulo Prouinciali, a P. Prouinciali, & Definitoribus inſtituebantur: ſed in Capitulo Bononienſi 1275. in Conſtitutione redactum fuit *Cap.* 3. vt Reu. P. Prouincialis totam Prouinciam ſuam per ſe (ſi poterit) vel Vicarios idoneos teneatur ſingulis annis viſitare: quibus auctoritatem ſuam committat, prout ſibi videbitur expedire. Poteſt igitur ex Conſtitutionibus ipſe ſolus inſtituere Viſitatorem.

Forma inſtituendi Viſitatorum.

IN Dei Filio, &c. Cum vultum pecoris noſtri (iuxta Sapientis præceptum) cognoſcere teneamur ex officio, diuerſæ tamen, & graues occupationes, quibus nunc detinemur obſiſtunt, ne id per nos ipſos agere valeamus. Verumtamen tua nobis explorata, & comperta prudentia, & fides, tanti apud nos valet, vt quod per te gerimus, nos ipſos geſſiſſe putemus. Quapropter cum Conuentus noſtri N. & N. hoc anno viſitati non fuerint, & nos de ipſorum diſpoſitione

cer-

iniqui tamen, & inimici homines (iuxta parabolam Evangelicam, ceſſantibus, vel dormientibus agricolis; infelicia non ceſſant hæreſum ſuper ſeminare zizania: & niſi vulpibus illis per Inquiſitores tanquam per Sanſonem, ignis ſuæ cenſuræ, quo Philiſtæorum cadentium ſegetes cremantur, alligaretur ad caudas; breui tempore, dominicam meſſem a zizanijs profocatam plangeremus. Nobis ergo quibus Apoſtolico privilegio conceſſa eſt facultas huiuſmodi Cenſores, & Inquiſitores inſtituendi, operoſius laborandum eſt, vt hoc munus illis committatur, qui ſcientiæ lumine adulteria ſemina a veris diſcernere norint, qui prudenter ijs, quæ diſcreuerint, remedia adhibere ſufficiant, qui demum zelo fidei ſuccenſi, velint, & animi fortitudine valeant, quæ prudenter diſpoſuerant ad effectum perducere. Et quia de tuo feruenti zelo, conſtanti fortitudine, efficaci prudentia, catholica doctrina, & vitæ integritate confidimus, eiuſmodi munus tibi iniungere decreuimus. Cum igitur in Ciuitate, Diœceſi N. propter amonitionem, vel obitum Reuerendi N. Inquiſitionis officium vacet, nobiſque illi prouidere incumbat, authoritate Apoſtolica nobis, & noſtro officio commiſſa, & præſentium tenore, te Reuerendum P. F. N. decernimus, inſtituimus, & facimus Inquiſitorem hæreticæ prauitatis in præfata Civitate, & Diœc. N. factumque inſtitutum, & decretum declaramus: cum omnibus gratijs, priuilegijs, Immunitatibus, authoritate, & poteſtate, quibus cœteri Inquiſitores rite inſtituti, Summorum Pontificum indultis, & priuilegijs, ac ſecularium Principum, Regum, vel Imperatorem conceſſione, quomodolibet potiri, & gaudere conſueuerut. Vt autem tam præclarum, ſanctumque munus, & opus, non vacet obedientiæ merito, in virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipimus, vt intra horam dictum Inquiſitionis officium ſuſcipias, ac juxta gratiam tibi a Domino præſtitam diligentius exequaris. In quorum fidem his officij noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum &c.

Forma

Forma dandi facultatem alienandi bona immobilia, iuxta Breue Clementis Papæ VII. conceſſum Prouinciali Romano, & Magiſtro Ordinis ſuper ſibi ſubditis in Italia Conuentibus, Monaſterijs, & locis.

IN Dei filio ſibi dilectis, venerandis Patribus Priori, & Fratribus noſtri Conuentus N. Ordinis Prædicatorum. Expoſuiſtis nobis, quod pro victu, ſuſtentatione, & neceſſitatibus Fratrum veſtri Conuentus coacti fuiſtis multa exponere, propter quod ære alieno, ac debitis obnoxij remanſiſtis, & remanetis: ad quorum ſolutionem cum reditus annui, ac eleemoſynæ quotidianæ minime ſufficiant, neceſſe eſt vendere aliquid immobile, vt creditoribus pro iuſtitia ſatisfiat: ideoque rogaſtis nos, vt agrum, ſeu fundum terræ, quem Conuentus veſter habet in loco N. inter alia bona ad ipſum ſpectantia minus vtilem vendendi licentiam vobis concedere vellemus. Nos igitur, qui iuſtitiam per debitorum ſolutionem ſeruari cupimus, & agrum, ſeu fundum illum in loco N. cuius valorem annuum centum aureos non excedere, & vobis minus utilem eſſe credimus, authoritate Apoſtolica nobis per litteras in forma breuis, a fel. record. Clemente VII. collata, & præſentium tenore, vobis dictum agrum, ſeu fundum ſub ſuis finibus, & terminis latius in contractu exprimendis, vendendi, ſeu alias iuſto contractu alienandi, licentiam, & facultatem concedimus, diſpoſitione fel. record. Pauli Papæ II. cui per eaſdem litteras derogatur, & alij in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Dummodo ad hoc accedat aſſenſus duorum tertiorum veſtri Capituli, & pretium in dictorum debitorum ſolutionem realiter, & cum effectu conuertatur. In quorum fidem &c. Datum &c.

Alia pro eodem.

IN Dei filio, &c. Expoſuiſtis nobis, habere vos præ manibus vnam domum, vel poſſeſſionem veſtro Conuentui accomodam, quam ſi emeritis non modica vobis proueniret vtilitas: ſed cum pretium pro eius emptione non poſſitis habere, niſi ex aliorum immobilium venditione; rogaſtis nos, vt aruum, ſeu hortum, ſeu ſyluam, vel domum, &c. in loco N. poſitam, minus vtilem, & incommodam, vendendi licentiam vobis dare vellemus. Nos igitur bonam ſpiritualium diſpoſitionem, quæ ex temporalibus bene diſpoſitis, & adminiſtratis ſeruatur, in Conuentu veſtro teneri, & augeri cupientes, & de prudentia, atque conſcientia veſtra confidentes, quod nonniſi vtilitatem publicam, & commodum commune, quæretia, petitionibus veſtris facile condeſcendimus. Ideoque authoritate Apoſtolica &c. *vt ſupra*.

Forma inſtituendi Lectorem principalem.

NOS F. N. Ordinis Prædicatorum, & Prouinciæ N. Prior Prouincialis. Cum ex commiſſione Reuerendiſſimi Magiſtri Generalis noſtri Ordinis, vel Capituli Generalis Conuentui N. debeamus de Lectore principali prouidere, te venerandum Patrem F. N. cuius doctrinam, docendi facilitatem, & elegantiam differendi, necnon probitatem, & religioſos mores non paruo tempore ſumus experti) delegimus, cui munus præfatum in aliorum profectum, & tuæ obedientiæ meritum demandemus. Ideoque authoritate, vt ſupra nobis commiſſa, te F. N. præfatum damus, inſtituimus, & facimus, & ſic datum, inſtitutum, & factum aſſignamus Lectorem principalem in Conuentu N. cum omnibus gratijs, priuilegijs, & exemptionibus, quibus huiuſmodi Lectores potiri, & gaudere conſueuerunt. Mandamuſque tibi in virtute ſanctæ obedien-

dientiæ, vt dictum Lectoratus officium ſtatim ſuſcipias, & ad illius executionem, & tuam pro eo aſſignationem, quantocius (commode tamen) potueris, te accingas. Datum &c.

Forma licentiæ ad Epiſcopatum.

IN Dei filio &c. Æterna Dei ſapientia Chriſtus, ſicut vna cum Patre, & Spiritu Sancto in humano corpore diſparibus gradibus, & officijs membra diſtinxit, ita in myſtico Eccleſiæ, quoſdam pedum, aut manum vicem gerere, quoſdam vero quaſi oculos eſſe decrevit: & licet illi quidem magis neceſſarij ſint, & ampliori (iuxta Apoſtolum) honore circundati, hi tamen illorum ſunt facti rectores, qui cæteros dirigere, & illuminare ſufficiant. Eiuſmodi fuerunt primum Apoſtoli, nunc autem ſunt Apoſtolici viri, plebium Præſules, quos mundi lumina, ſaltem terræ, Ciuitates in ſublimi poſitas Dominus appellauit. Ad horum conſortium nuper te tuis egregijs meritis Summus Pontifex extulit, cum Ciuitati N. præfecit Antiſtitem: munus certe arduum, & humeris etiam Angelicis formidandum, quod tu (quæ tua eſt modeſtia) declinans, ad noſtram, quam profeſſus es obedientiam confugiſti, vel hac ſaltem ratione, vt communia noſtri Ordinis ſuffragia non amitteres: quia etiam, vt (ſi iugo collum dare neceſſe eſt) ad illud ſapienter, fortiterque ferendum, per illa iuueris. Nos igitur prudentiam tuam, doctrinam, religioſoſque mores, & regiminis experientiam cognoſcentes, quamquam modeſtiam tuam laudamus, magis tamen Summi Pontificis propoſitum afferimus, Eccleſiæque N. de tua promotione gratulamur, ac tibi Epiſcopatum prædictum acceptandi licentiam, & facultatem (quod ex nobis eſt (præſentium tenore concedimus; ſuffragia quoque, merita, & beneficia noſtri Ordinis, non ſolum illæſa, & integra tibi manere, ſed etiam maiori cumulo (ſi poſſibile eſt) ſuperaddi volumus, & decer-

decernimus. In quorum fidem his officij noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum &c.

Alia ad idem.

IN Dei filio, &c. Quoniam iuxta Conſtitutiones noſtras quicunque ſine licentia P. Prouincialis Præſulatum receperit, ſuffragiis, ſocietate, & omnibus beneficijs Ordinis, in morte, & in vita priuatur: tu R. Pater, qui ob egregias animi tui dotes, & præclara merita, Epiſcopus factus es, eiuſmodi ſuffragia magnifaciens, eorum communione, & participatione priuari nollens, licentiam præfatam tibi dari deſiderans. Nos igitur commune bonum priuato præferentes, & fructuum animarum, in eadem Ciuitate ex tua promotione ſperantes, facultatem, & licentiam ſuſcipiendi prædictum Epiſcopatum, præſentium tenore tibi concedimus: ſuffragijs vero, meritis, & beneficijs Ordinis, te non modo non priuari, ſed eorum maiori cumulo te ditari, & munerari, volumus. Hortamur nihilominus præſtantiam tuam, vt bonæ, & religioſæ educationis remiſcens, talem te Epiſcopum præbeas, qualem Timotheo delineauit Apoſtolus. Datum &c.

Forma promouendi ad Magiſterium ſacræ Theologiæ.

PRomotor habeat annulum, & birretum nigrum paratum. & ſedens expectet promouendum, qui flexis genibus ad pedes Promotoris, interrogetur ab eo: *Quid petis?* & reſpondeat humiliter: *Peto promoueri ad gradum Doctoratus, & Magiſterii ſacræ Theologiæ*: Promotor: *Promittis tenere, ſeruare, docere, & defendere doctrinam ſanam, & Catholicam iuxta determinationem Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ?* Promouendus: *Promitto, & ſpondeo in hac forma:*

Profeſſio fidei iuxta formam Bullæ Pij Papæ IV.

EGo F. N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum vero de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, Confiteor vnum Baptisma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſeculi, Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ Obſeruationes, & Conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto: nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie Sacramenta nouæ Legis, a Ieſu Chriſto Domino inſti-

ſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria; ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem una cum Anima, & Diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter, & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia a ſa-

eris Canonibus, & Œcumenicis Concilijs, ac præcipue a Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo adiuuante, retinere, confiteri, atque a meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, (quantum in me erit) curaturum. Ego idem F. N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Promotor. Quoniam ſapientiam vocaſti amicam, & amator factus formæ illius, quæſiſti eam tibi ſponſam aſſumere ecce Deus dat tibi eam ſponſam, vt ſemper tecum ſit, & cor tuum poſſideat. In ſignum ergo: Accipe annullum in manu tua, & ego authoritate Apoſtolica per litteras, &c. mihi commiſſa, inſtituo, creo, & facio te Doctorem, & Magiſtrum in ſacra Theologia, doque tibi poteſtatem, & facultatem publice legendi, docendi, interpretandi, exponendi, & declarandi ſacram Theologiam. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde ſurgat, & faciat promouendum ſedere in ſua ſella, dicens:

PRomoueo te ad gradum Magiſterij ſacræ Theologiæ, annumerans te conſortio Doctorum, & Magiſtrorum dictæ facultatis: ita collocet, & ſedere te faciat Dominus cum Principibus, vt ſolium gloriæ teneas.

Dei-

Deinde imponat birretum capiti eius, dicens.

ACcipe inſulam, ſeu birretum nigrum, inſigne Magiſterij: ſic ornet te Deus corona gloriæ.

Deinde eleuet eum, & dans ei oſculum, dicat:

ECce odor filij mei, ſicut odor agri pleni: creſcere te faciat Dominus in millibus; & benedicat tibi in ſecula ſeculorum. Amen.

Forma Litterarum promotionis ad Magiſterium.

IN Dei filio, &c. Graues, & honeſti labores illi, quos ab adoleſcentia, multis annis in diuerſis Gymnaſiis, bonas litteras quaſi fugientes perſequendo tuliſti, & deinde pluribus in locis legendo, differendo, diſputando, et humanam, Diuinamque Philoſophiam alios docendo, multa cum laude, et fructu proſequutus fuiſti; merito requirunt glorioſum fructum honoris, quo nullum maiorem poſſunt interim virtutibus exhibere mortales: Nos quoque decet excellentiæ, quæ in te eſt, vel naturalis ingenij, vel ſcientiæ tot laboribus, et incommodis acquiſitæ illum præbere, præſertim cum ex obedientiæ pro Religione hæc omnia ſubieris. Cum igitur ad Scholaſticos gradus, etiam Magiſterii fueris a Prouincia tua petitus, et iam quatuor annos in Vniuerſitate N. non paruo fructu Sententias legeris, alioſque actus omnes feceris, quos iuxta Conſtitutiones, aut Capitulorum Generalium Ordinationes facere debueras; ac demum per Examinatores deputatos examinatus, idoneus, ac ſufficiens habitus, et iudicatus

 fue-

fueris. Nos prædictorum omnium rationem habentes, ac de eis plenius, & certius informati, authoritate Apoſtolica, nobis per litteras in forma Breuis commiſſa, te R. P. F. N. ad gradum Magiſterij promouemus, datiſque annulo in digitum tuum, & infulâ, ſeu biretto nigro inſigne Magiſterij tuo capiti impoſito, facimus, inſtituimus, & creamus Magiſtrum, & Doctorem ſacræ Theologiæ, ac numero, & conſortio Doctorum, & Magiſtrorum annectimus, inſerimus, & incorporamus. Dantes tibi facultatem, & poteſtatem publice legendi, interpretandi, diſputandi, exponendi, & declarandi ſacras litteras, & Diuinam Scripturam, cum omnibus gratijs, priuilegijs, indultis, immunitatibus, exemptionibus, voce, & loco, quibus cæteri huiuſmodi Magiſtri, & Doctores in ordine noſtro rite promoti, de iure, vel approbata conſuetudine potiri, & gaudere conſueuerunt. Eadem Apoſtolica authoritate diſpenſando ſupplentes, & ſupplendo diſpenſantes tecum in, & ſuper omnibus, & ſingulis defectibus, & alijs quibuſcumque, quæ huic promotioni, ex Apoſtolicis Decretis, aut ex Conſtitutionibus, vel Capitulorum Generalium, ſeu Prouincialium ſtatutis, ordinationibus, & conſuetudinibus obijci poſſent. Mandantes omnibus, & ſingulis noſtræ obedientiæ, vt te tanquam Magiſtrum, & Doctorem (vt præfertur) habeant, ſuſcipiant, & admittant: gratijſque, priuilegijs, indultis, fauoribus &c. voce, & loco prædictis, vti, & potiri faciant, & permittant, non obſtantibus quibuſcumque. In quorum fidem &c. Datum &c.

Forma licentiæ ad arctiorem vitam.

IN Dei filio &c. Religioſa conſuetudo tua, quam in noſtro Ordine multis annis tenuiſti, ſpem nobis faciebat, in eadem te præſeueraturum, ac Apoſtolicum præceptum ſeruaturum, quo præcipit; vt quiſque in qua vocatus eſt vocatione permaneat. Sed poſtquam tanta te vidimus inſtantia poſtulare facultatem ad arctiorem vitam

vitam Eremitarum N. tranſeundi, Spiritum Sanctum, cuius forte duceris impulſu, nolumus impugnare: quin potius, vbi ſpiritum Domini vel credimus, vel ſuſpicamur, ibi libertatem eſſe volentes, præſentium tenore, libertatem, & facultatem (quoad noſtrum eſt) tibi concedimus, ad Ordinem: ſeu ad vitam Solitariorum Eremitarum tranſeundi, ibique per ſolemnem profeſſionem Deo te dedicandi. Reſeruantes nobis, quam nunc habemus ſuper te iuriſdictionem, donec eidem Ordini, ad quem tranſieris, per ſolemnem profeſſionem fueris obligatus. In quorum fidem, &c.

Alia ad idem.

NOs Fr. N. Vniuerſis, & ſingulis, ad quorum notitiam hæ noſtræ peruenerint, fidem facimus, & atteſtamur: nos V. P. Fratri N. ad ſuæ petitionis inſtantiam, dediſſe, prout etiam tenore præſentium damus, & concedimus facultatem, & libertatem ab Ordine, Habitu, & Inſtitutis noſtris tranſeundi ad Ordinem Camaldulen. Eremitarum, quem ipſemet ſub arctioris vitæ ſpecie, ſuæ complexioni magis accommodum, & opportunum delegit. Reſeruantes nobis, quam nunc habemus ſuper eum iuriſdictionem, donec in eo Ordine per ſolemnem profeſſionem obligetur. In quorum, &c.

Forma diſpenſandi illegitime natos Fratres profeſſos.

NOs Fr. N. &c. Cupientes, vt Fratres noſtræ curæ crediti, Religioni, cui addicti ſunt in omnibus, ad quæ Spiritus Sanctus eos vocare dignatus fuerit, libere valeant deſeruire; Te Venerandum Religioſum Fr. N. (quem religioſa vita, ſpectabiles mores, Catholica doctrina, & in agendis prudentia, & honeſti labores commendabilem reddunt) auctoritate Apoſtolica nobis, & officio

noſtro commiſſa ; & præſentium tenore, ad omnia, & ſingula officia, gradus, dignitates, & Ordines, etiam Sacerdotij, etiam Prioratus Conuentualis, & Prouincialis, etiam Prædicatoris Generalis, ac Magiſterij in ſacra Theologia, & Definitoris tam Prouincialis, quam Generalis Capituli, & Electoris etiam Magiſtri Ordinis, a quorum ſuſceptione, vel exequutione ob defectum natalium, juxta Conſtitutiones noſtras, eſſes impeditus, habilitamus, & habilem facimus, non obſtantibus quibuſcumque. In quorum fidem, &c.

Forma mittendi Prædicatorem.

NOs Fr. N. &c. Requiſitia Reuerendiſſimo D. Epiſcopo N. vel a Reuerendiſs. DD. Canonicis Eccleſiæ N. (vel a præſtantibus Officialibus Ciuitatis N. vel Oppidi N.) vt eorum Eccleſiæ de idoneo Prædicatore pro hac Quadrageſima (vel vt corum Eccleſiæ virum, qui conciones habere digne poſſit hac proxime futura Quadrageſima) providere vellemus: Te Venerandum Fr. N. cujus doctrinæ copiam, & ſinceritatem, in dicendo facundiam, & efficaciam, in moribus religionem, & grauitatem nouimus; deſignauimus, atque decreuimus, cui præfatum munus demandemus. Mandamuſque tibi in meritum obedientiæ, vt opportuno tempore ad dictam Ciuitatem te conferas, habiturus in eius Eccleſia conciones hac proxime futura Quadrageſima; atque ita te geras, & habeas, vt qui nunc exiens vadis mittendo verbi ſemina, poſt Paſcha rediens, manipulorum ſpiritualium fructus vberes referas, &c.

Alia ad idem.

NOs Fr. N. Recolentes Ordinem noſtrum ad animarum ſalutem prædicatione quærendam ſpecialiter inſtitutum eſſe, & Te Venerandum Patrem Fr. N. zelo ſalutis

earum accenſum, tua Catholica doctrina, atque naturali facundia, arte, & gratia differendi id poſſe præſtare, religioſis moribus, quæ dixeris comprobare, & demum verbis, & exemplis ad ædificandam Eccleſiam ſufficere; Eccleſiæ N. ad quam pro hac proxime futura Qudrageſima petitus fuiſti Prædicator, (vel a tuis Patribus Concionator decretus fuiſti) Concionatorem definimus, damus, & deputamus. Mandantes tibi in meritum obedientiæ, vt opportuno tempore Ciuitatem N. adeas, & in eius Eccleſia N. conciones habeas hac Quadrageſima: ac ea peracta ad Conuentum tuum reuertaris. Hortamur denique te, vt Concionatoris munus ſuſcipiens, verbum Dei tanquam ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquaris, &c.

Forma licentiæ peregrinandi in Terram Sanctam.

IN Dei Filio, &c. Quoniam in hac vita peregrinum te (iuxta Apoſtolicam ſententiam) eſſe cognoſcis, ad terram, in qua Deus ipſe factus homo peregrinum ſe fecit, religionis cauſa peregrinandi licentiam tibi a nobis dari petijſti. Nos ergo eo facilius petitionibus tuis condeſcendimus, quo vehementius cupimus, vt eidem Domino noſtro Ieſu Chriſto, per ſpiritum (quæ noſtra perfectio eſt) renaſcaris, mundo moriaris, inque vitæ nouitate reſurgas, atque in cœleſtibus tota mente verſeris; ac propterea ad Natiuitatis, Mortis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis eius loca videnda, ibique orandum, vbi ſteterunt pedes eius, proficiſcendi licentiam, & facultatem concedimus per præſentes. Commendamuſque te omnibus, & ſingulis Conuentuum, & locorum noſtrorum Præſidentibus, & Fratribus, ad quos eundo, vel redeundo ex itinere declinaueris, vt te recipiant, & hoſpitaliter cum charitate pertractent. In quorum fidem &c.

Alia communis, & teſtimonialis.

NOs Fr. N. &c. Harum exhibitorem Venerandum Patrem Fr. N. Sacerdotem, vel Studentem, vel &c. ad N. cum obedientia, & noſtra benedictione exeuntem, commendamus omnibus, & ſingulis Conuentuum, & locorum noſtri Ordinis Præſidentibus, ac Fratribus, ad quos &c. *vt ſupra*.

Forma licentiæ recipiendi, & inſcribendi in Confraternitatem Roſarij.

NOs Fr. N. certiores facti, Te Venerandum Patrem Fr. N. non vulgarem deuotionis affectum gerere ad Beatiſſimam Virginem Dei genitricem, ac propterea cupidum propagandi cultum eius, & deuotionem erga illam per Confraternitatem Roſarij pectoribus Fidelium inſerendi: præſentium tenore tibi concedimus, vt ubicumque fuerint huiuſmodi Confraternitates, nomina omnium in eis recipi volentium ſcribere, Roſaria benedicere, & quando ex obedientia ad prædicandum exieris, vbi non fuerit dicta Confraternitas, eam erigere, & inſtituere aliqem, qui eius curam habeat, & recipi volentes ſcribat, Roſaria benedicat, deputare; & omnia, & ſingula facere poſſis, & ille poſſit, quæ per Fratres noſtros ad id in noſtris Eccleſijs deputatos fieri ſolent, & poſſunt: dummodo pro huiuſmodi ſcriptura, benedictione, &c. nihil recipiatur. In quorum fidem his noſtro ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum, &c.

Alia forma ad Eccleſias extra Ordinem.

NOs Fr. N. &c. Attendentes ad vberes, adoratoſque fructus, quos in Sanctæ Eccleſiæ horti concluſi roſeto protulerunt, atque in dies magis proferunt roſea illa plan-

plantaria; quæ Roſarium Beatæ Mariæ Virginis appellantur, vbique illa plantari vellemus. Modus enim Deum orandi ijs ineſt adeo facilis, vt omnibus ſit peruius: adeo numeri myſterio, & ordine, ac varietate diſtinctus, vt omnibus poſſit eſſe iucundus; adeo frugifer, vt ad Chriſtianæ perfectionis apicem compendioſiſſime ducat, Orationem quippe Dominicam, & Angelicam Salutationem, quibus Roſarium conſtat, nullus Chriſtianus ignorat. Pſalterium proinde dicitur, quod Angelica Salutatione centies, & quinquagies in eo repetita, Pſalmorum Dauidaci Pſalterij numerum referat: vtque varitate delectet, ad quamque decimam, unam interſerit Orationem Dominicam. At vero ſi rite perſoluitur fructum reddit ampliſſimum: nam (præter hoc, quod Chriſti vita, quæ in eo per multa myſteria recollitur meditando) mens inſtruitur, reficitur, & ſpirituali conſolatione pingueſcit; heroicæ illæ virtutes in eadem velut in firmamento ſydera fulgentes, ad conſimilia faciendum, mediantis animum trahere ſufficiunt. Ad quæ præſtanda ſi quid forte ex noſtra infirmitate deficere, Beatiſſimæ Virginis interceſſio, in eodem ſæpius implorata, facile impetrabit. Cui rei, Sodalium, Confraternitatumque toto Orbe diffuſarum, in meritorum participatione communio ſuffragatur. Indulgentiæ demum, peccatorumque remiſſiones, a diuerſis Summis Pontificibus huiuſmodi Sodalibus, & Confraternitatibus collata, ad hæc plurimum conferunt. His forſan, aut aljis, bonis tamen rationibus moti Chriſti fideles Oppidi N. vel Eccleſiiæ N. cupientes tanto ditari theſauro, Confraternitatem huiuſmodi in eadem habere, & Altare pro ea deputare cupiunt: atque vt dictarum Indulgentiarum poſſint eſſe participes, noſtram ſuper his licentiam petierunt. Nos igitur Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ cultum augere, & Fidelium animus ad veram pietatem, & deuotionem per hæc accendere cupientes; tibi Reuerendo N. (vel vobis in Chriſto dilectis Fidelibus Oppidi N.) præſentium tenore concedimus, vt in Eccleſia N. Confraternitatem Roſarij huiuſmodi inſtituere,

tuere, & habere, Altare pro ea deputare poſſitis; cui nunc primum Reuerendum D. N. Rectorem, & Directorem damus, & nominamus, & poſt eum ſucceſſiuè, qui per Confratres pro tempore deputabitur, cui nomina omnium in eadem recipi volentium ſcribendi, Roſaria, ſeu Coronulas benedicendi, & omnia, ac ſingula faciendi, quæ per Fratres noſtros ad id in noſtris Eccleſijs deputatos fieri ſolent, & poſſunt, facultatem concedimus. Dummodò prò huiuſmodi receptione, ſcriptura, benedictione, & alij ſimilibus nihil exigatur, aut recipiatur, ne pietas in quæſtum, & deuotio degeneret in auaritiam. Volumus autem pro recognitione, quod nomina eorum, qui nunc primùm ſcribentur, ad Conuentum noſtri Ordinis, Eccleſiæ veſtræ propinquiorem deferantur. In quorum &c. Datum &c.

Forma recipiendi ad beneficia Ordinis,

IN Dei Filio, &c. Deuotus veſtræ charitatis affectus, quem ad noſtrum Ordinem vos habere multiplici, & grata Fratrum noſtrorum relatione cognouimus, meritò requirit; vt beneficia Ordini noſtro Dei benignitate collata, vobis gratiùs impertiamur. Quare de Omnipotentis Dei miſericordia, & liberalitate confiſi, omnium Miſſarum, Orationum, prædicationum, ſtudiorum, vigiliarum, ieiuniorum, abſtinentiarum, laborum, cæterorumque bonorum operum, ac meritorum, quæ per Fratres, & ſorores noſtras Diuina bonitas (in noſtra Prouincia) vel in Orbe fieri dederit uniuerſo, communionem, & participationem concedimus, & elargimur: voſque ad ipſius Ordinis (vel Prouinciæ) beneficia, & ſuffragia recipimus, & admittimus, in vita pariter, & in morte; vt multiplici ſanctorum ſuffragiorum præſidio adiuti, hic augumentum gratiæ, & in futuro vitam percipiatis æternam. In quorum fidem, &c.

Forma ad induendum Nouitios.

CVm aliquis recipi ad Ordinem petit, Prior de conſenſu Capituli eligat tres Examinatores, qui recipiendum examinent, an ſit aptus Religioni noſtræ, an ſit boni ingenij, & competentis litteraturæ, & quanto tempore ipſe habuit hanc voluntatem, & qua ratione ingrediatur, ſi propter devotionem, vel fugam laboris, vel neceſſitatem, vel parentum rigiditates: & ſi eſt coniugatus, vel ſeruus, vel habeat reddere rationem de adminiſtratione, vel ſit debitis obligatus, vel profeſſus alterius Religionis, vel habeat occultam infirmitatem; an ſit illegitimus, & cuius ætatis. Cum igitur quilibet de his eum examinauerit, referant Priori, & Capitulo quid ſibi videatur de illo. Tunc Prior quærat conſenſum Fratrum, & ſi maior pars conſenſerit, ſi in Clericum eſt recipiendus, poterit recipi: ſi vero fuerit Conuerſus requiritur authoritas Prouincialis, & conſenſus duarum partium vocalium. Vocales autem hic ſunt omnes Clerici profeſſi. Interim Magiſter Nouitiorum inſtruat eum quomodo ſe proſternat, & ad interrogationem Prioris petentis, *Quid peteat?* quod reſpondeat: *Miſericordiam Dei, & veſtram*. Cum igitur ducendus eſt ad Capitulum, Magiſter Nouitiorum eum ducat vſque ad medium Capituli, & oſtendat ei locum veniæ faciendæ. Qui toto corpore in terram proſtratus, & manibus in modum crucis extenſis, Priori petenti. *Quid quærat?* reſpondeat: *Miſericordiam Dei & veſtram*. Tunc Prior faciat eum ſurgere, & dicat ei: Fili chariſſime in iſta petitione tua duo petis, ſcilicet miſericordiam Dei, & veſtram: ſed miſericordiam Dei tibi dare non poſſumus, bene tamen credimus te fuiſſe eam conſecutum, quia Dominus Deus te inſpirauit ad ingreſſum huius Religionis. Noſtram autem miſericordiam tibi dare non poſſumus ſine quibuſdam conditionibus, quas

quas ſi non haberes, aut non proponeres obſeruare, non poſſes habere miſericordiam noſtram. Nam in primis, ſi eſſes coniugatus, & matrimonium conſummaſſes cum uxore tua, non poſſemus te recipere, quia tu illi eſſes obligatus. Secundo, ſi eſſes ſeruus emptitius, ſimiliter non poſſemus te recipere, quia eſſes in poteſtate domini tui. Tertio, ſi haberes debita magna, quæ ſoluere non poſſes, aut eſſes obligatus reddere rationem alicuius adminiſtrationis per te factæ de rebus alterius, donec de illa eſſes expeditus, non poſſemus te ſimiliter recipere: quia Religio eſt pauperrima, & non poteſt ſoluere debita aliorum. Quarto ſi eſſes profeſſus alterius Religionis, quia illi eſſes obligatus, non poſſemus te recipere. Quinto, ſi haberes aliquam occultam, & manifeſtam infirmitatem, ſimiliter non poſſemus te recipere, quia Religio propter labores ſuos corpora conſumit, & non reſtaurat: & Fratres multa habent agere, quæ ſi infirmis continue ſeruire deberent, non poſſent peragere. Habes tu aliquam, vel aliquas iſtarum conditionum? Quo reſpondente; *Pater non*, dicat Prior. Ad conſequendam miſericordiam noſtram non ſufficit non habere prædicta, ſed etiam oportet, quod intelligas, quæ habeas ſeruare in Religione: ne poſtea dicas te fuiſſe deceptum, vel non crediſſe tot ardua eſſe in ea. In primis oportet te ſeruare tria vota principalia Religionis, ſcilicet obedientiam, paupertatem, & caſtitatem. Quantum ad obedientiam, ſcias, quod eris obligatus ſeruare Regulam, & Conſtitutiones noſtras, & obedientias maiorum tuorum, ita quod non exiſtimes te vllam habere libertatem, ſed totaliter eſſe ſubiectum, & priuatum propria voluntate. Nam non poteris manducare, vel bibere ſine licentia, nec ad aliquem locum accedere, nec tibi aliqua placita facere ſine voluntate tui Prælati. Et ſi velles ſtare Barcinonæ, & tui ſuperiores voluerint quod Romæ, aut Florentiæ, aut Mediolani, aut in Francia, vel in Hiſpania, teneberis obedire eis, & non tibi complacere. Quantum ad paupertatem, ſimiliter non poteris habere aliquid quantum-

cum-

cumque modicum, quod poſſit dici tuum, vel quod tu poſſis dicere, hoc meum eſt; ſed ea, quæ tibi erunt conceſſa, erunt ſubiecta voluntati Prælati tui, qui ea tibi auferre poterit quotieſcumque voluerit, & tu non habebis contra eum ius aliquod. Nec poteris tenere pecunias, & ſi tibi datæ fuerint non poteris eas expendere, nec aliquid de tibi conceſſis donare, alienare, vel commutare ſine licentia Prælati tui, quantumcumque minimum ſit. Circa caſtitatem teneberis non ſolum ſeruare caſtitatem corporis, ſed etiam mentis; ideſt: quod non cogites de rebus inhoneſtis, nec delecteris in illis: & vltra hoc non poteris loqui turpia, aut facere alios actus turpes, & inhoneſtos, & lubricos nutus, & fixionem oculorum in mulieres: & ita te exiſtimes in hoc tamquam non eſſes homo, ſed lapis, vel lignum. Et ad melius ſeruanda iſta Regula, & Conſtitutiones ordinauerunt aliqua ad corporis macerationem, ſcilicet vigilias, quia quando placebit tibi dormire, tunc oportebit te ſurgere ad Matutinas, vel ad faciendas alias obedientias. Item ieiunia, quia vltra omnia ieiunia Eccleſiæ teneberis ieiunare a feſto Sanctæ Crucis vſque ad Paſcha, exceptis diebus Dominicis, & etiam in omnibus ferijs ſextis totius anni. Et non poteris comedere carnes vnquam ſine neceſſitate, infirmitate, vel licentia. Et quia Religio eſt diſcreta, & non vult a Religioſo, niſi id, quod poteſt, ſcias, quod accedente aliqua neceſſitate, Prior, vel Prælatus poterit diſpenſare tecum in huiuſmodi auſteritatibus aliquando, maxime in vigiliis, & ieiunijs, Item oportebit te ambulare longa itinera pedeſtrem, & aliquando ſine pecunijs quæſtuando victum. Item oportebit te ire per villas ad quæſtuandum grana, vinum, & alia pro victu Fratrum, pro pane quærendo cum ſacco, & neceſſe erit tibi etiam aliquando portare veſtes laceras, & viles, & pati multa incommoda, & multos labores; & quando iſta feceris, adhuc habebis tribulationes, & reprehenſiones, & viliſitationes, quas omnes oportet

oportet te ferre patienter: quæ ſi graues ſint, habent tamen magnam mercedem, ſcilicet vitam æternam, quam tibi ex parte Dei firmiter promitto, ſi prædicta obſeruaueris. Vis ergo obſeruare omnia prædicta pro poſſe tuo? Quo reſpondente, *quod ſic*, dicat Prior: *Dominus, qui incepit ipſe perficiat*. Et Conuentus reſpondeat: *Amen*. Tunc Magiſter Nouitiorum ducat eum ad Priorem, & faciat eum genuflectere coram eo, & Veſtiarius ſimiliter portans veſtes præparatas, eas Priori porrigat, & Prior primo eum inducat tunica, & poſtea cingat cingulo, poſtea ponat ei ſcapulare, & caputium, & vltimo cappam. Quo induto, omnibus flectentibus genua, Cantor incipiat in cantu Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, *&c.* & Fratres bini, & bini vadant cantando Hymnum ad Chorum. Poſt Priorem vero ſequatur Magiſter Nouitiorum ſecum ducens Nouitium, vſque ad gradus Altaris maioris; & ibi faciat eum proſterni. Completo Hymno, & dicto *Kyrie eleiſon &c. Pater noſter*. ℣. *Emitte ſpiritum tuum*, *&c.* ℣. *Saluum fac*, *&c.* *& Orationibus*: *Deus, qui corda &c.* *& Prætende*, *&c.* a Priore dicendis; Magiſter Nouitiorum ducat Nouitium ante Priorem, & faciat eum genuflectere, & diſcooperire, & Prior aſpergat ipſum aqua benedicta; poſtmodum vero recipiat eum ad oſculum pacis, & poſt Priorem ſimiliter omnes Fratres primo in Choro dextro, poſtea in ſiniſtro, & interim cantetur: *Te Deum*. Quo facto Magiſter ſuus eum ad Priorem reducat; qui ſi vult, tunc poteſt ei nomen mutare. Poſtea dicat: Ecce fili tu recipiſti miſericordiam noſtram ex parte, quia tibi dedimus Habitum noſtrum ad probationem: reſtat tibi facere profeſſionem, vt ipſam miſericordiam noſtram poſſis habere complete. Et quia forte mores Religionis non placebunt tibi, aut mores tui non placebunt nobis: ideo authoritate Eccleſiæ, & Ordinis tibi concedo vnum annum, vt tu poſſis probare mores noſtros, & nos mores tuos. Et ſi tibi placebit nobiſcum

biſcum viuere, & nobis placebit conuerſatio tuo, recipiemus te ad profeſſionem : alias & nos, & tu erimus in libertate. Conare ergo iugum hoc pro amore Dei libenter ferre, & Magiſtro tuo in omnibus obedire tanquam mihi. Tunc Prior dicat: *Adiutorium noſtrum &c.*

Forma, & modus faciendi profeſſionem.

CIrca finem anni poſt receptionem, Prior in Capitulo mandet Magiſtro Nouitiorum, quod referat quomodo Nouitius ille ſe habuerit. Qui fideliter referens mores eius, & aptitudines ad Religionem noſtram, dicat opinionem ſuam, an ſit recipiendus ad profeſſionem. Poſtea Prior requirat conſenſum Capituli, quo accedente, completo anno Magiſter Nouitiorum ducat Nouitium in Capitulum ante Priorem : & facta proſtratione, & petita miſericordia Dei, & Ordinis, & expoſitis ei per Priorem impedimentis, & auſteritatibus, ut ſupra in receptione Nouitii notatum eſt; & Nouitio promittente ſe illas ſeruare velle, Prior dicat: *Dominus, qui incipit, ipſe perficiat*, & Conuentus reſpondeat, *Amen*. Tunc accedens Nouitius genuflectat ante Priorem, & Prior accipiat manus Nouitii inter manus ſuas, & liber Conſtitutionum ſuper manus vtriuſque ponatur, & ille qui profitetur legat: *Ego Frater talis &c.* vt ſupra habetur pag. 101. Poſtea ſolus Prior recipit ipſum ad oſculum pacis. Completa profeſſione, Prior benedicat ſcapulare, ſicut in Conſtitutionibus ſcriptum eſt ſupra pag. 114. Si fuerint plures Nouitii recipiendi, mutetur in ſuprapoſitis numerus ſingularis in pluralem.

Forma tenendi Capitulum quotidianum.

POſtquam Prior ingreſſus fuerit Capitulum, dicat *Benedicite*, & reſponſo ab omnibus, *Dominus*; dicat Prior: *Recitentur Beneficia, quæ ſunt recitanda*. Quibus recitatis, Prior dicat: multa ſunt beneficia, Patres, & Fratres in Chriſto dilecti, quæ continue nobis a Deo conferuntur, quibus viuimus & ſuſtentamur. Vnde ne Domino Deo, & benefa-

ctoribus noſtris inueniamur ingrati, recommendo Miſſis, & orationibus veſtris bonum ſtatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Capitis eius Summi Pontificis, & Collegii Reverendiſſimorum DD. Cardinalium, maximeque Reverendiſſimi Domini Protectoris Ordinis noſtri: ſtatum omnium Prælatorum Eccleſiæ ſanctæ Dei, maxime aſſumptorum de Ordine noſtro: ſtatum Reuerendiſſimi Domini Patriarchæ, vel Archiepiſcopi, vel Epiſcopi huius Civitatis, cum toto Clero, & Populo ſuo. Quoad Ordinem noſtrum, recommendo ſtatum totius Ordinis noſtri in generali. In ſpeciali autem ſtatum Reuerendiſſimi Magiſtri Ordinis, & Reuerendiſſimi Procuratoris Ordinis cum ſociis eorundem: & omnium Prouincialium, & Priorum Ordinis, & permaxime Reuerendi Patris Prouincialis, & omnium Priorum noſtræ Prouinciæ, & mei ipſius qui plurimum indigeo. Quoad ſtatum temporalem recommendo Miſſis, & orationibus veſtris in communi ſtatum totius Chriſtianitatis: in particulari vero ſtatum Auguſtiſſimi Imperatoris, & omnium Regum, Ducum, Principum, Dominorum, & Communitatum totius Chriſtianitatis, maxime autem huius dominii, ſub quo vivimus, & ſuſtentamur: & Sereniſſimi Regis, vel Principis, vel magnificæ Communitatis ipſius; vt Dominus pacem, & tranquillitatem eis concedere dignetur ad regendum Populum ſibi commiſſum. Recommendo etiam vobis ſtatum benefactorum, parentum, conſanguineorum, amicorum, beneuolorum, & affectorum noſtrorum, & totius Ordinis noſtri, & maxime huius Conuentus, & Ciuium huius Civitatis, & maxime talem N. qui maxime nobis afficitur, & bonam eleemoſynam contulit. Item N. qui grauiter infirmatur, vel eſt in tali N. vel tali N. neceſſitate, tribulatione vel anguſtia conſtitutus. Recommendo etiam omnes Chriſtianos, qui ſunt tribulatione, in captiuitate in ſeruitute infidelium, & quibuſcumque anguſtiis paupertatis, vel infirmitatis conſtituti. Multæ ſunt etiam perſonæ, quæ in tribulatione, & anguſtiis poſitæ ſepe rogant commendari orationibus veſtris, habentes devotionem in eis: illas igitur ſecundum fidem earum vobis re-

recommendo. Quod ſtatum defunctorum in generali recommendo Miſſis, & orationibus veſtris animas omnium Fidelium defunctorum. In particulari vero animas parentum noſtrorum, Fratrum, Sororum, Ordinis amicorum, & benefactorum, qui nobis annuales, ſiue quotidianas eleemoiynas contulerunt: vel pro quibus a ſuis nobis collatæ ſunt, & conferuntur, & maxime illarum, pro quibus eleemoſynæ præcedentes recitatæ fuerunt. Inſuper recommendo animam talis Fratris N., vel talis perſonæ N. quæ his diebus ex hoc ſeculo migrauit. Et ſi quæ eſſent obligationes, vel eleemoſynæ datæ pro aliquibus animabus, pro quibus non eſſet ſatisfactum; ego accepto animas illas ad participationem Miſſarum, & omnium bonorum noſtrorum, donec fuerit pro eis ſatisfactum coram Domino Deo. Hos igitur nominatos, & alios merito nominandos tam viuos, quam defunctos, Miſſis, & orationibus veſtris recommendo, pro quibus omnibus in præſentiarum dicemus ad Dominum. Prior ſurgens dicat orationem. *Retribuere*, &c. Pſal. *Ad te leuaui*, cum *Gloria Patri*. *De profundis* cum *Requiem*, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*. *Pater noſter* ℣. *Et ne nos*, &c. ℣. *Oremus pro Domino Papa*. ℟. *Dominus conſeruet eum*, & *viuificet eum*, & *beatum faciat eum in terra*, & *non tradat eum in animam inimicorum eius*. ℣. *Salvos fac ſervos tuos*, & *ancillas tuas*. ℟. *Deus meus ſperantes in te*. ℣. *Requieſcant in pace*. ℟. *Amen*. *Dominus vobiſcum*, &c. *Oremus*, *Omnipotens ſempiterne Deus*, *qui facis mirabilia magna ſolus*, *prætende ſuper famulum tuum Papam noſtrum*, & *ſuper cunctas Congregationes illi commiſſas*, *ſpiritum gratiæ ſalutaris*: & *vt in veritate tibi complaceant*, *perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde*.

Protende Domine famulis, & *famulabus tuis dexteram cæleſtis auxilij*, *vt te toto corde perquirant*, & *quæ digne poſtulant*, *aſſequantur*.

Fidelium Deus omnium conditor, & *redemptor*, *animabus famulorum*, *famularumque tuarum*, *remiſſionem cunctorum tribue peccatorum*, *vt indulgentiam*, *quam ſemper optauerunt*,

runt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Qui viuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum. ℟. *Amen.*

Forma tenendi Capitulum pro ſcrutinio Prioris, & electione Socij Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale.

PRimo, Supprior, vel Vicarius Conventus, debet intrare Capitulum cum Fratribus vocalibus, & ſtatuere diem electionis Socij, & ſcrutinij Prioris.

Secundo, exhortetur Fratrés ad eligendum pacifice, quiete, & concorditer Socium Prioris.

Tertio, obſeruentur omnia, quæ canonice obſeruantur in electione Prioris.

Quarto, eligatur Socius a maiori parte.

Quinto, fiat ſcrutinium Prioris.

Sexto, ſcribantur accuſationes Prioris in ſcrutinio.

Septimo, ſigilletur ſcrutinium per Suppriorem, vel Vicarium Conuentus coram toto Conuentu ſigillo Conuentus, & nullo modo publicetur ante ſigillationem, vel poſt, & ſic ſigillatum detur Socio.

Octavo, ſcribantur in charta petitiones, quæ fiunt a Conuentu.

Nono, ſcribantur in eadem charta nomina Fratrum, quos Conuentus petit amoueri, & nomina illorum, quos petit aſſignari.

Decimo, ſcribantur in eadem charta obitus Fratrum, qui a tempore Capituli Prouincialis proxime præteriti in dicto Conuentu obierunt.

Item ſcribantur debita Conuentus in eadem charta. Hæc charta ſigilletur ſigillo Conuentus, & detur Socio, vt eam portet ad Capitulum Prouinciale.

Item Socius debet deferre Capitulo nomina Fratrum ſui Conuentus, cum expreſſione ordinum, & officiorum ſuorum, conſcripta in vna charta particulari, hoc ordine: Iſti ſunt Fratres, qui aſſignati ſunt in Conuentu N. de N.

Sa-

Sacerdotes.

IN primis Frater N. Prior.
Frater N. de N. Supprior.
FraterN. Sacriſta.
Frater N. Syndicus, & ſic de ſingulis Officialibus.
Frater N.
Et hanc chartam ſimiliter præſentare debet R. Prouinciali, & Definitoribus Capituli.

Forma celebrandi Capitula Generalia, vel Prouincialia, ſecundum conſuetudinem FF. Prædicatorum.

IN hebdomada præcedente aſſignationem futuri Capituli, fiant quæ ſequuntur.

1. Conſilium de Examinatoribus vocum teneatur, per Patres Nationum ſimul cum Prouinciali.
2. Collatio in Capitulo fieri debet.
3. Statuantur cuſtodes, ne ſeculares impediant Capitulum: & pronuncientur in Capitulo, vel in menſa Examinatores vocum.
4. Statuatur vnus, qui ſcribat nomina Fratrum aduenientium.
5. Prouideatur de Fratribus vocandis Conuentuum propinquorum ad Proceſſionem.
6. Diſponantur Prædicatores per totum Capitulum.
7. Ordinentur circuli, & diſputationes Cathedrales; & Fratres, qui habent tenere Concluſiones.

Tertia die ante inceptionem Capituli fiant hæc, Die Iouis, vel Veneris.

1. SCribantur nomina Patrum vocandorum ad conſilium die ſequenti pro electione Definitorum, & ponatur ſchedula, quod mane, tempeſtiue veniant ad conſilium.
2. Mandetur Vocalibus, quod in mane ſequenti conueniant ad Capitulum.

3. Scribatur tabula Officialium Capituli.

4. Scribatur tabula Vocalium pro ſcrutinio Definitorum.

5. Scribantur mandata neceſſaria.

6. Scribantur in vna tabula, vel quaterno nomina Conuentuum, & dimittatur ſpatium pro Fratribus aſſignandis: & ita fiat de alijs fiendis in Capitulo, puta de ordinationibus, pœnitentijs, & pro cæteris Actis Capituli.

Die ſequenti fiant hæc. Die Sabbati.

1. MAne teneatur conſilium de Definitoribus Capituli. 2. Habito conſilio vadant ad Capitulum.

3. Fiunt publica mandata neceſſaria.

4. Legatur tabula Officialium Capituli.

5. Audiantur Examinatores vocum.

6. Petantur voces Fratrum, ſi placet ſententia.

7. Fiat proteſtatio.

8. Fiat generalis abſolutio.

9. Prouincialis, Prior, & Supprior vadat ad diſcum, & audiant vota Fratrum, & ſit ibi papyrus, atramentum, & calami.

10. Acceptis ſchedulis a præſentibus Vocalibus, vadant ad infirmos, ſi qui ſunt in Domo.

11. Publicetur per Superiorem Electio.

12. Vocetur electi ad medium, & imponatur eis officium definitionis, & poſtea ſedeant in locis ſuis ſuper omnes alios, quem locum teneant durante ipſorum auctoritate.

13. Poſt electionem Definitorum fiat ſermo litteralis.

14. Petatur aſſenſus Definitorum ad omnia, quæ prius ordinata ſunt, & eorum auctoritate confirmentur.

15. Dicatur Prioribus, & Socijs Conuentuum, & Fratribus, vt dent in ſcriptis Fratres iuuenes, quos nouerunt aptos ad ſcientiam.

16. Mandetur Socijs Conuentuum, quod portent ſcrutinia, memorialia, petitiones, & debita Conuentuum, & ſi quæ voluerint proponere Definitorio, ponant in ſcriptis.

17. Ordinentur ſacculi pro Definitoribus.

Or-

18. Ordinetur campſa, campanula, & alia neceſſaria pro Definitorio, & de ſeruitoribus prouideatur.

19. Inuitentur per Priorem ſeculares, & Religioſi ad ſermonem craſtinum.

20. Statuatur dies Proceſſionis, & qui debeant ſe præparare, & committatur alicui.

In Definitorio fiant iſta.

Accedat Prouincialis, & Definitores ad locum Definitorij, & aperiantur ſcrutinia Conuentuum.

2 Committatur alicui de Definitoribus dictamen ordinationum.

3. Audiantur Priores, & Socii, & mittatur pro eis.

4. Audiantur Viſitatores, vel Vicarii Nationum, ſi qui ſunt, & mittatur pro eis.

5. Sit in Definitorio aliquod folium, in quo conſcripta ſint nomina omnium Priorum Prouinciæ de per ſe: & juxta nomen cuiuslibet Prioris, ponatur nomen Socii Conuentus ſui, & Viſitatoris, & Vicarij Nationum; vt quando Definitorium mittit pro aliquo Priore, mittatur etiam pro Socio, & Viſitatore, & Vicario Nationis, ſi fuerint præſentes.

6. Proponatur in menſa, quod ſi Fratres volunt aliquid proponere in Definitorio, cito ſe expediant, & tales volentes proponere audiantur.

7. Videantur petitiones Conuentuum, memorialia Fratrum, & litteræ Dominorum, & Communitatum, ſi quæ ſunt.

8. Videatur numerus Fratrũ iuxta Conuentus Prouinciæ

9 Examinetur qui Priores ſunt abſoluendi.

10. Diſponãtur aſſignationes Fratrum pro Conuentibus.

11. Fiant Prædicatores generales.

12. Aſſignentur Studentes.

13. Dentur pœnitentiæ.

14. Fiant Vicarii in Conuentibus, in quibus Priores ſunt abſoluti.

15. Aſſignentur ſuffragia pro viuis, & mortuis.

16. Dentur Socii Prouinciali, vel Definitori euntibus ad Capitulum Generale.

17. Aſſignetur ſequens Capitulum Prouinciale.

Inſti-

18. Inſtituantur Iudices ad cauſas.

19. Taxetur pœna in eorum litteris.

20. Audiantur Iudices.

21. Approbentur eorum ſententiæ.

22. Prouincialis reddat computum de receptis, & expenſis Prouinciæ.

23. Fiat ratiocinium de receptis, & expenſis Capituli.

24. Prouideatur Prouinciali, & Definitoribus, & alijs qui laborauerunt pro Capitulo.

25. Fiant litteræ reſponſiuæ Dominis,& Communitatibus

Die ſequenti fiant iſta. Die Dominico, vel die Lunæ.

1. DEclarentur Iudices ad cauſas. 2. Exponantur Examinatores litterarum de beneficijs.

3. Videatur ſi quæ præter conſueta ſint dicenda in Capitulo.

4. Pulſetur ad Capitulum.

5. Poſt Benedicite, legitur Conſtitutio de ſolemni celebratione Capituli a principio vſque ad finem illius §. ſcilicet *Finito ſermone*.

6. Dicatur *Veni Creator Spiritus*, cum ℣.& Collecta.

7. Detur benedictio ſermocinanti, & fiat ſermo.

8. Finito ſermone, legatur Conſtitutio ab illo loco. *Finito ſermone &c.*

9. Recitetur obitus Fratrum.

10. Fiat commendatio viuorum, & defunctorum, & dicatur Pſalmus *Ad te leuaui*, *&c.* & *De Profundis*,cum ℣℣. & Collectis, vt dicitur in eodem Capitulo, vbi ſupra.

Die ſequenti fiant iſta. Die Martis.

1. EGrediantur qui non ſunt de Corpore Capituli. 2. Legantur qui deficiunt, & excuſentur.

3. Culpæ audiantur ſingulorum de Capitulo.

Quan-

4. Quando Priores dicunt culpas ſuas, petantur Viſitator, Vicarius illius Nationis, & Socius Conuentus.

5. Committatur audientia reliquarum culparum.

Die ſequenti. *Die Mercurij.*

1. TEneatur conſilium de Definitore mittendo ad Capitulum Generale.

2. Pulſetur ad Capitulum.

3. Mandetur Fratribus, quod non diſcedant.

4. Prouincialis, Prior, & Supprior vadant ad diſcum.

5. Scrutentur per ſchedulas vota Fratrum, & publicetur electio.

6. Vocetur electus ad medium, & imponatur ſibi officium definitionis.

Die ſequenti fiant iſta. *Die Iouis.*

1. PRocedatur ad ſcrutinium Prouincialis per Definitores.

2. Sigilletur in conſpectu omnium.

3. Requirantur petitiones.

4. Scribatur in ſcrutinio nomen Definitoris, & Socij.

5. Aſſignetur ſcrutinium Definitori, ſi præſens eſt in Capitulo.

Die ſequenti fiant iſta; *Die Veneris.*

1. PVlſetur ad Capitulum.

2. Legatur Conſtitutio de Capitulo Generaliſſimo §. V. ibi: *De ſolutione autem quæſtionum &c.*

3. Poſt *Benedicite*, recitentur beneficia.

4. Exhortentur Fratres, vt benigne, & humiliter ſuſcipiant, quæ acta ſunt.

5. Legantur Acta Capituli.

6. Priores abſoluti veniant ad medium Capituli, & conſignent ſigilla Conuentuum ſuorum.

7. Fiat mandatum, quod nullus Socius Conuentuum recedat de Capitulo ſine Actis.

Signi-

8. Significetur iter Prouincialis.
9. Fiat generalis abſolutio.
10. Conſignentur Definitoribus, aut Vicarijs Conuentuum, vel Socijs ſigilla Conuentuum.
11. Terminetur Capitulum per *Adiutorium noſtrum*.

Poſtea iſta fiant.

1. VIdeatur de contributionibus perſoluendis.

2. Exhortentur Fratres ad bene exequenda officia ſua, & Priores ad recipiendos Nouitios bene natos, & aptos pro Ordine.

3. Dentur Fratribus litteræ reſponſiuæ Dominis, & communitatibus, quas portent.

4. Sollicitentur Fratres, vt cito vadant ad Conuentus ſuos.

5. Ordinetur unus quaternus, in quo ponantur puncta litterarum directarum aut Capitulo, aut Magiſtro Ordinis, vel Prouinciali, & ſcribatur datum, & dies, qua fuerunt receptæ.

6. Ordinetur de reſponſionibus litterarum receptarum.

Circa Proceſſionem generalem Capituli.

1. SCribatur ſigillatim omnes Fratres iuxta gradus ſuos.
2. Prouideatur de via Proceſſionis.
3. Ordinetur vbi cantari debet Miſſa.
4. In quibus ſit magis cantandum.
5. Si alicubi debet pauſari Proceſſio.
6. Fiant Ordinatores Proceſſionis, qui præuideant viam, & cum ſilentio corrigant Fratres.
7. Sint Fratres præparati cum reliquijs Sanctorum.
8. Prædicti Fratres, & Cantores ſint raſi.
9. Fiant plures Ordines de Cantoribus.
10. Scribantur xij. Fratres, qui ſint primi parati in Proceſſione.
11. Publicetur Proceſſio in prædicatione.

Ante

12. Ante Proceſſionem Prouincialis intret Capitulum, & declaret modum Proceſſionis: & hortetur Fratres, vt diſcrete, & honeſte incedant, & faciat aliqua mandata ſuper hoc.

13 Inter Miſſarum ſolemnia fiat ſermo.

14. Finita Miſſa omnes proceſſionaliter redeant ad Conuentum.

15. Sint in Proceſſione duæ Cruces cum quatuor Acolythis, vna in principio, alia in medio.

Iſta ſunt mandata obſeruanda in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus.

1. NVllus recedat a Capitulo abſque licentia.

2. Fratres ſint ſolliciti circa celebrationem Miſſarum, & ſequelam Chori.

3. Fratres ſint ſolliciti intrare Capitulum, quando pulſatur, & ſimiliter circa Proceſſiones fiendas poſt Completorium.

4. Omni die veniant ad Proceſſionem, quæ fit poſt Miſſam Conuentus.

5. Officium Diuinum, diurnum pariter, & nocturnum in Eccleſia deuote dicatur.

6. Nullus recedat, niſi prius conſignauerit pannos, & clauem cellæ Officiali deputato.

7. Nullus tranſmutet pannos de loco ad locum, nec ponat ſchedulas.

8. Nullus mittat extra Conuentum utenſilia Capituli, & Conuentus, nec etiam cibaria.

9. Nullus contrahat debita in Ciuitate.

10. Nullus accedat ad loca ſuſpecta, & inhoneſta.

11. Nullus dormiat extra Conuentum abſque licentia Prouincialis.

12. Quilibet ſit cautus in portando, & tenendo ignem in cella de nocte.

13. Nullus committat defectum in officio ſibi commiſſo.

14. Fratres ſint obedientes Officialibus Capituli, ſecundum

dum, quod fuerint ab eis requiſiti.

15. Nullus Frater vadat ſolus in Civitatem, aut ſine cappa.

16. Nullus Frater accedat ad aliquod Monaſterium Monialium, abſque licentia Prouincialis.

Forma generalis abſolutionis, quæ fit in Capitulis, vel ſolemnitatibus magnis.

QVando facienda eſt generalis abſolutio in Capitulo, vel Choro; Fratres omnes ſe proſternant. Et dicto *Confiteor*, & *Miſereatur*, ſurgat Prior ſolus, & dicat: *Si tenemini aliquo vinculo, (vel aliquibus vinculis) excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti, in quantum ſe extendunt gratiæ, & priuilegia Ordini noſtro indulta, mihi commiſſa, & vobis conceſſa, Ego abſoluo vos, & reſtituo vos ſacroſanctis Sacramentis Eccleſiæ, Communioni, & unitati Fidelium. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Item eadem auctoritate Ego diſpenſo vobiſcum ſuper irregularitate,) vel irregularitatibus)ſi quam (vel ſi quas) contraxiſtis, & habilito vos executioni Ordinum, & officiorum veſtrorum. Item eadem auctoritate. Ego abſoluo vos vos ab omni tranſgreſſione Regulæ, & Conſtitutionum, Ordinationum, & admonitionum maiorum veſtrorum, & ab omni pænitentia oblita, & neglecta, & maxime a pæna, quæ debentur propter fractionem ſilentij inter duo Capitula, & ab omnibus alijs, de quibus conſueuit fieri abſolutio in conſimilibus Capitulis (vel ſolemnitatibus) vt ſitis abſoluti hic, & ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, habeatiſque vitam æternam, & viuatis in ſecula ſeculorum, Amen.* Poſtea iniungat pœnitentiam ad arbitrium ſuum.

FINIS FORMVLARII.

INCIPIUNT
COMPENDIOSA
CHRONICA
REVERENDISSIMORVM
MAGISTRORVM
GENERALIVM
Ordinis Fratrum Prædicatorum.

DOMINVS noſter, & Saluator Ieſus Chriſtus, verus Samaritanus, infundens miſericordioſiſſime ſauciato, vulneribus pleno vinum, & oleum, immo vt verus paterfamilias meſſem videns quamplurimam, operarios autẽ paucos; nouiſſime diebus iſtis miſit operarios in meſſem ſuam. Poſuit quoque meſſores ad fructus vberes in agro Dominico colligendos, Fratres de Ordine Prædicatorum, qui prædicando verbo pariter, & exemplo, confeſſiones audiendo, ac per alia virtutum exercitia, Hæreticorum propulſarent vitia, & extirparent; mundum errabundum verbo doctrinæ illuſtrarent, tenebris profugatis. Qui ſupradicti Fratres cum adhuc floruit charitas, affuit benignitas, viguit hominum compaſſio, in ſpiritus fauore, abiectis ſarcinis mundanarum facultatum, calceati pedes in præparatione Euangelij, pro proximorum ſalute multis laboribus, & vigilijs, ac periculis, non ſolum apud Chriſtianorum nationes, verum in diverſarum regionum partes ſe diſperſerunt; morti ſe pro Chriſto expoſuerunt, & quotidie perſeuerant reddere Domino populum acceptabilem:

etiam in terris Infidelium, Saracenorum, Paganorum, Grecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthyopum, Syrorum, Iberorum, Ganzarorum, Gothorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Perſarum, Indorum, Tartarorum, aliarumque Infidelium nationum, vt proteſtantur in ſuis priuilegijs Alexander IV. Innocent. IV. Clemens IV. Bonifacius VIII. Ioannes XXII. & Gregorius XI. Hi enim diuina gratia cooperante, laudabilibus incrementis ſucceſſiue Sanctæ Eccleſiæ profuerunt, qui aſſidue flores proferentes copioſos honeſtatis, producunt vberes fructus vitæ. Hæc enim euidens vtilitas vniuerſali Eccleſiæ proueniens, beatiſſimis Apoſtolicis, & Summis Pontificibus nota, promeruit, ipſum Ordinem Prædicatorum, & Fratres ſpeciali fauore proſequi, defenſare priuilegijs, ac communire ſpecialibus Sedis antedictæ multiplicibus gratijs: vt Apoſtolicæ gratiæ maioribus fauoribus quaſi rore irrigati, ſemper tribuente Domino, conſurgat, & dilatetur ipſorum incrementum. Ne ergo tam glorioſorum Virorum noſtri Ordinis Fratrum laudabilia opera, ipſa negligentia, quæ eſt mater ingratitudinis, & gratiæ inimica aboleret; curaui poſt terga metentium cum humili Ruth hinc inde ſpicas per modum Chronicæ ab Ordinis noſtri origine, glorioſorum Fratrum magis ſtudioſorum ſollicitudinem circa doctrinam, & ſcripta, plus quam vitam, colligere, (quoniam multorum vitæ glorioſæ in vitas Fratrum ſunt collectæ) vt legentibus normam, & formam, cæteriſque traderem imitandi; atque ea, quæ oculi mei minime reperire potuerunt, eiſque nota ſecundum diſcretionem patriarum, nationum, atque terrarum, ipſi ad hunc tractatum addere, atque apponere curent, in laudem, & gloriam nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus vnus in ſecula ſeculorum. Amen.

SERIES

SERIES MAGISTRORUM ORDINIS.

I. Beatiſſimus Pater DOMINICVS inſtitutor, ac Magiſter primus Ordinis Prædicatorum.
II. Beatus Iordanus Saxo.
III. Sanctus Raymundus de Pennafort, Barcinonenſis.
IV. Frater Ioannes, Teutonicus.
V. Frater Humbertus, Burgundus.
VI. Frater Ioannes de Verçellis, Italus.
VII. Frater Munio Zamorenſis, Hiſpanus.
VIII. Frater Stephanus Biſuntinus, Burgundus.
IX. Frater Nicolaus Taruiſinus, Italus.
X. Frater Albertus Clauarus, Genuenſis.
XI. Frater Bernardus Gallicus, Vaſco.
XII. Frater Aymericus Placentinus, Italus.
XIII. Frater Berengarius de Landor, Gallus.
XIV. Frater Herueus Natalis, Brito.
XV. Frater Barnabas, Vercellenſis.
XVI. Frater Hugo Campanus, Gallus.
XVII. Frater Gerhardus de Domaro, Gallus.
XVIII. Frater Petrus de Palma, Burgundus.
XIX. Frater Guarinus de Giaco, Gallus.
XX. Frater Ioannes de Morlandino, Gallus.
XXI. Frater Simon Lingonienſis, Burgundus.
XXII. Frater Elias Petragoricenſis, Gallus.
XXIII. Frater Raymundus de Capua.
XXIV. Frater Thomas Firmanus, Italus.
XXV. Frater Leonardus de Datis, Italus.
XXVI. Frater Bartholomæus Texerus, Gallus.
XXVII. Frater Petrus de Rochim, Gallus.

XXVIII. Frater Guido Flamochetti, Gallus.
XXIX. Frater Martialis Auribelli, Gallus.
XXX. Frater Conradus Aſtenſis, Italus.
XXXI. Frater Leonardus de Manſuetis, Italus.
XXXII. Frater Saluus Caſſeta, Siculus.
XXXIII. Frater Bartholomæus de Comatijs, Italus.
XXXIV. Frater Barnabas Saxonus, Neapolitanus.
XXXV. Frater Ioachimus Turrianus, Venetus.
XXXVI. Frater Vincentius Bandellus. Italus.
XXXVII. Frater Ioannes Clarèe, Normandus.
XXXVIII. Frater Thomas de Vio, Caietanus.
XXXIX. Frater Garſias de Loayſa, Hiſpanus.
XL. Frater Franciſcus Sylveſtrinus, Ferrarienſis.
XLI. Frater Paulus Butigella, Papienſis.
XLII. Frater Ioannes de Fenario, Gallus.
XLIII. Frater Auguſtinus Recuperatus, Italus.
XLIV. Frater Albertus Caſaus, Hiſpanus.
XLV. Frater Franciſcus Romeus, Italus.
XLVI. Frater Stephanus Vſuſmaris Italus.
XLVII. Frater Vicentius Iuſtinianus, Chienſis.
XLVIII. Frater Seraphinus Caballus, Brixienſis.
XLIX. Frater Paulus Conſtabilis, Ferrarienſis.
L. Frater Sixtus Fabri, Lucienſis.
LI. Frater Hippolytus Maria Beccaria, Pedemontanus.
LII. Frater Hieronymus Xauiere, Hiſpanus.
LIII. Frater Auguſtinus Galaminius, Italus.
LIV. Frater Seraphinus Siccus, Papienſis.
LV. Frater Nicolaus Rodulphus, Florentinus.
LVI Frater Thomas Turcus, Cremonenſis.
LVII. Frater Ioannes Baptiſta de Marinis, Genuenſis.
LVIII. Frater Ioannes Thomas de Rocaberti, Hiſpanus.
LIX. Frater Antonius de Monroy, Mexicanus.

CAPVT I.

De Origine Beatiſſimi Dominici Patris noſtri, & Inſtitutione Ordinis Prædicatorum.

ANno igitur 1203. tempore Innocentii III. qui cœpit anno Domini 1198. & ſedit annis 18. menſibus 4. diebus 23. & huius Innocentii Pontificatus anno VI. B. Dominicus Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſter, & Inſtitutor primus, natione Hiſpanus, de Villa, quæ dicitur Calaroga Oxomenſis diœceſis, vir ſcientia Dei plenus, vita ſincerus, religione conſpicuus, incepit Ordinem Fratrum Prædicatorum mente concipere, & voto tractare: in partibus Toloſanis primordia computando, cum primum Toloſam aduenit. Si quidem XII. Abbates Ciſtercienſis Ordinis, cum vno Apoſtolicæ Sedis Legato, mittuntur ab hoc Innocentio Papa in Terram Albigenſium, vt fidem Catholicam prædicarent, & hæretica venena pro viribus propulſarent. Quibus de Hiſpania D. Didacus Oxomenſis Epiſcopus habens in comitatu ſuo B. Dominicum, pro hæreticis conuertendis adiungitur. Poſt biennium autem redeuntibus ad propria Legato Sedis Apoſtolicæ, & XII. Abbatibus dictis, & D. Didaco Oxomenſi Epiſcopo, B. Dominicus cum paucis ſibi adhærentibus ſolus permanſit ibidem, in indeſeſſa continuatione prædicationis, & in impugnatione hæreſis fere per annos decem, vſque ad tempus Lateranenſis Concilij, quod celebratum fuit anno Domini 1215 ſub eodem Innocentio menſe Nouembri.

Hoc tempore, ſeu vt Chronicon Guidonis ait, anno 1206 vel 1207. videns B. Dominicus, quod aliqui nobiles in partibus Toloſanis egeſtate compulſi, tradebant filias ſuas hæreticis nutriendas, & erudiendas, immo potius peſtiferis erroribus imbuendas; earum miſeratus calamitatem, inſtituit Monaſterium de Prulliano ad earum ſuſceptionem. Vbi Ancillæ Dei virtutibus, & numero plu-

rimum excreſcentes, deuotum altiſſimo exhibent famulatum. Et hoc fuit primum Monaſterium Sororum Ordinis. Poſtea ſucceſſiue circa annum 1218. Beatiſſimus Pater Dominicus poſt Ordinis confirmationem, inſtituit Monaſterium Sancti Siſti de Vrbe, ad mandatum D. Papæ Honorii III. in quo centum, & quinque Sorores incluſit. Ab his ergo omnia alia Monaſteria Sororum Ordinis originem habuerunt, & ſic Ordo iſte Sororum, qui ſecundus Ordo appellari poteſt, originem habuit a B. Dominico.

Profectus eſt itaque B. Dominicus cum Fulcone Epiſcopo Toloſano ad dictum Concilium Generale, cum quo adiit Innocentium Papam, petens vt ſibi dignaretur confirmare Ordinem, qui Prædicatorum diceretur, & eſſet. Qui cum ſtatim non acquieſceret, nocte viſum eſt eidem Pontifici in ſomnis, quod Lateranenſis Eccleſia grauem ſubito minaretur ruinam: quod dum timens aſpiceret, ex aduerſo vir Dei Dominicus occurrebat, humeriſque totam illam caſuram fabricam ſuſtentabat. Euigilans autem, & viſionem intelligens, petitionem viri Dei hilariter acceptauit, eum cohortans, vt ad Fratres ſuos rediens, Regulam aliquam approbatam vnius ex ſacris Ordinibus Eccleſiæ ſibi eligeret, & ad ipſum rediens confirmationem ad libitum reportaret. Eodem tempore, cum Innocentius Papa quædam ſcripta dirigere vellet pro negotijs fidei ad partes Toloſanas, deliberauit ſuper his ſcribere Beato Dominico, & his, qui cum eo erant. Accito autem Notario, ait: *Sede ſcribe ſuper his Fratri Dominico, & Socijs eius in hæc verba.* Et ſtans paululum ait: *Noli ſcribere ſicut prædixi, ſed ſic: Fratri Dominico, & cum eo prædicantibus in partibus Toloſanis &c.* Et aliquantulum plus conſiderans dixit; *Scribe ſic: Magiſtro Dominico, & Fratribus Prædicatoribus &c.* Et ex tunc cœperunt vocari nomine iſto, *quod os Domini nominauit*, tam in curia quam alibi.

Per illud tempus dum B. Dominicus Romæ in Eccleſia Sancti Petri oraret, apparuerunt ei Beatiſſimi Apoſtoli

Dei

Dei Petrus, & Paulus, quorum primus B. Petrus baculum. B vero Paulus librum porrigebat, dicentes: *Vade, & prædica Euangelium, hoc enim tibi a Domino demandatum eſt miſterium*. Reuerſus eſt igitur B. Dominicus ad Fratres ſuos Toloſæ conſiſtentes. Erant autem Fratres numero 16. Quos conuocans apud Prullianum, inuocato primum Spiritu Sancto, Regulam B. Auguſtini Doctoris, & Prædicatoris egregij, ipſi pariter re, & nomine Prædicatores futuri, vnanimiter elegerunt; quaſdam arctioris vitæ conſuetudines, quas ſibi per formam Conſtitutionum obſeruandas ſtatuerunt, inſuper aſſumentes. Electa autem Regula B. Dominicus Romam rediens, inuenit Innocentium Papam apud Peruſium defunctum, & Honorium III. electum, a quo Ordinis confirmationem impetrauit.

CAPVT II.

De Habitu Fratrum Prædicatorum dato per B. Virginem, & de Prophetia Abbatis Ioachim, & de Inſtitutione Fratrum, & Sororum Tertij Habitus.

ANnno itaque Domini 1216. xi. Kalendas Ianuarij, in craſtino S. Thomæ Apoſtoli, Romæ apud S. Sabinam Ordo Fratrum Prædicatorum eſt confirmatus: Pontificatus Domini Honorij Papæ III. anno primo. Nec eſt prætereundum, quod confirmatione Ordinis Habita, B. Dominicus, & alij primitiui Fratres, Habitum, quem nunc habemus non ſtatim deferre cœperunt: ſed ſuperpelliceis vſi ſunt ad modum Canonicorum Regularium, cuius Ordinis fuerat B. Dominicus; uſque ad ingreſſum Magiſtri Reginaldi Decani Aurelianenſis ad Ordinem noſtrum, qui ipſo anno confirmationis ingreſſus eſt. Huic Magiſtro Reginaldo grauiter decumbenti, & a Medicis

deſperato, nocte quadam Beata Virgo apparens, ſalutari vnctione perunxit eum, atque ſanauit; eique Habitum Ordinis oſtendens, ait: *En Habitus Ordinis tui*. Qua reuelatione facta Fratres Habitu Ordinis cœlitus deſignato vti cœperunt.

Venerabilis autem Abbas Ioachim Floriacenſis Ordinis Inſtitutor, Fratribus ſuis Habitum, quem dictus Magiſter Reginaldus a Beata Virgine acceperat prophetice demonſtrans, in quodam Monaſterio ſui Ordinis, quod eſt in Calabria depingi fecit, dicens: *Cito ſurrecturus eſt in Eccleſia Dei Ordo nouus docentium, & prædicantium, cum tali Habitu: cui præerit vnus maior, & cum eo, ac ſub eo erunt duodecim Ordinem prædictum regentes. Quia ſicut Patriarcha Iacob cum xii. filij ingreſſus eſt Ægyptum, ſic & ipſe cum illis duodecim ingredietur, & illuminabit vniuerſum mundum*. Diuina præterea prouidentia B. Dominicum, ſecundum quod de Beato Iob ſcriptum eſt, Cap. 5. *Scies quæque quoniam multiplex erit ſemen tuum, & progenies tua, herba terræ*, nobili prole fœcundauit. Diſpergente namque B. Dominico Fratres ſuos tanquam quoſdam radios, immo quædam luminaria, vbique terrarum cœperunt in breui tempore copioſe multiplicari.

Eodem tempore dum per totam Italiam, & etiam per partes Toloſanas hæreticorum, & illis credentium perfidia in tantum diffuſa eſſet, quod quaſi nullus Catholicus eis poſſet reſiſtere; adeo etiam iura Eccleſiæ à laicis fuerant occupata, quod Pontifices, & Clerici mendicare cogebantur. Inſuper, & venenoſa hæreticorum veſania adeò multorum, & potentium animos ſubuerterat, quod ſine magna fidelium multitudine non poterant coerceri, quin ſuos errores publice prædicarent, & in ſcholis docerent. Volens igitur feruentiſſimus fidei zelator Beatiſſimus Pater Dominicus, tam bona, & iura Eccleſiæ defendere, quam hæreticorum venenoſa figmenta detegere, aduocatis quibuſdam viris fidelibus ſibi deuotis, cœpit cum eis de Eccleſiæ defenſione, & de hæretica perfidia extirpanda tractare. Et vt competen-

tentius talia perficere poſſet, inſtinctu Spiritus Sancti cogitauit nouum Ordinem Catholicorum laicorum facere in pœnitentia viuentium: qui eum adiuuarent ad hæreticorum perfidiam abolendam, & Eccleſiam, ac fidem Catholicam defendendam. Et quos voluntarios inuenerat faciebat iurare, quod omnia bona ſua, & vitam corporalem pro his exponerent. Quapropter cum multos tales inueniſſet, eos Fratres de *Militia Ieſu Chriſti* appellauit. Et vt vxores eorum eos non impedirent, faciebat etiam eas iurare, quod in negotio Eccleſiæ, & fidei defenſandæ, nullum maritis præſtarent impedimentum. Vt autem tales manifeſte ab alijs diſcernerentur, tam viris, quam eorum vxoribus, Habitum album, & nigrum contulit, & eis certum numerum orationum indixit: cum quibuſdam ieiunijs, & alijs abſtinentijs, Fratreſque, & Sorores de *Militia Ieſu Chriſti* appellauit. Igitur cum miniſterio B. Dominici, & aliorum Fratrum Prædicatorum, auxilioque, & armis militum *Militia Ieſu Chriſti*, hæretici fuiſſent quamplurimum debellati, & deſtructi, in tantum, quod in Canonizatione B. Dominici probatum fuit, quod pluſquam centum millia hæreticorum per doctrinam, merita, & miracula B. Dominici fuerant ad fidem conuerſa: poſt obitum B. P. Dominici; & eius ſolemnem Canonizationem viſum eſt tam Patribus Ordinis, quam ipſis Confratribus de *Militia Ieſu Chriſti*, ad honorem B. Dominici ſui Inſtitutoris mutare nomen militiæ, in nomen pœnitentiæ; & appellari voluerunt *Fratres, & Sorores de pœnitentia B. Dominici*. Qui ſub vtroque nomine, & titulo diuerſa priuilegia a Sede Apoſtolica habuerunt, & nouiſſime per D. Innocentium Papam VII. iſte Ordo fuit pleniſſime confirmatus, & gaudet omnibus priuilegijs, quibus gaudent Fratres Ordinis Prædicatorum. Et ſic Beatiſs. P. Dominicus tres Ordines inſtituit, & fundauit, ad laudem Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

CAPVT III.

De receptione Conuentuum Bononienſis, & Pariſienſis, & primis Capitulis Generalibus, & de obitu Beati P. Dominici, & Magiſtri Reginaldi.

ANno Domini 1218. Fratribus Prædicatorum data eſt Domus S. Iacobi Pariſijs, a Magiſtro Ioanne Decano Sancti Quintini, & Vniuerſitate Parienſi. Inde miſſus fuit Frater Petrus Cellani Lemouicam, ubi factus eſt primus Conuentus Franciæ. Et ſtatim miſſi ſunt Fratres Remos, & Aurelianum, & eodem anno Conuentus ibi receperunt. Hoc tempore multi magni, & literati viri Archidiaconi, Decani, Abbates, Priores, Doctores omnium facultatum, Ordinem intrauerunt. Inter quos fuit Magiſter Clarus Sextus Bononieſis, qui Pœnitentiarius D. Gregorij Papæ exiſtens, & Regens in Iure Canonico Ordinem intrauit. Anno Domini 1219. miſſi ſunt Fratres Roma, Bononiam a B. Dominico, quos ipſe poſtea ſubſecutus eſt: & miſit inde Fratrem Reginaldum, Pariſiis iam a Regina Cœli perunctum. Qui Pariſios veniens, *Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* prædicabat verbo pariter, & exemplo. Vbi paulo poſt obdormiens in Domino, in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Campis ſepultus eſt (quia Fratres ius ſepulturæ nondum habebant) cuius corpus poſt 400. annos incorruptum, illæſumque inuentum eſt. Hic vir Beatiſſimus Fratrem Iordanum Teutonicum eo tempore ad Ordinem receperat, qui tunc temporis Pariſijs erat Theologiæ Baccalaureus. Anno Domini 1220. fuit celebratum Bononiæ primum Capitulum Generale a Beato Dominico; & anno ſequenti, ſcilicet 1221. Beatus Dominicus ſecundum Capitulum Generale celebrauit Bononiæ, in quo Capitulo ordinatum eſt, ne poſſeſſiones, vel redditus Fratres noſtri retinerent, ſed & his, quæ habuerunt, penitus renunciauerunt.

In

In eodem Capitulo Frater Iordanus prædictus, qui nondum in Ordine annum compleuerat, factus eſt Prouincialis Lombardiæ, fundatis jam per Orbem circiter 60. Conuentibus, qui in octo Prouincias erant diſtincti; ſcilicet Hiſpaniam, Prouinciam Prouinciæ, Franciam, Lombardiam, Romanam, Teutoniam, Hungariam, & Angliam. Poſt iſtud Capitulum Generale ſtatim, a confirmatione Ordinis anno v. obijt Beatus Dominicus 6. die menſis Auguſti, Pontificatus D. Honorij Papæ III. anno vi. & Bononiæ ſepultus eſt. Contingit in diebus illis Reuerendiſſimum Virum D. Hugolinum Cardinalem Oſtienſem Apoſtolicæ Sedis Legatum in Lombardia, (qui poſtea fuit Summus Pontifex, & Gregorius IX. appellatus eſt) Bononiam Domino ordinante aduenisse; propter quod multi, & magni Viri, & Eccleſiarum Prælati aderant tunc præſentes. Hic cognita Beati Viri morte, advenit, & Officium Miſſæ perſoluens, Corpus eius ſanctum cum digna deuotione ſepulturæ mandauit. Nouerat quidem ſanctam eius conuerſationem in Domino, & ſpirituali eum dum viueret ſibi adſtrinxerat amoris amplexu. Qui etiam præſens extiterat, quando idem Pater Sanctus Romæ Neapoleonem D. Stephani Cardinalis nepotem, a mortuis orando ſuſcitauit. Aderat etiam cum prædicto Legato Reuerendiſs. Patriarcha Aquilienſis, pluresque Epiſcopi, & Abbates, aliorumque Prælatorum multitudo non parua, qui omnes eius ſacro funeri interfuerunt, & dictus Reuerendiſs. Cardinalis eum proprijs manibus ſepeliuit. Quo tempore quidam Frater Bernardus Bononienſis dæmoniacus, multum Fratres vexabat, cuius grauis vexatio, & Fratres patiebantur Pariſiis, fuit una de cauſis, quibus moti Fratres *Salue Regina* poſt Completorium decantari inſtituerunt apud Bononiam, & inde per totum Orbem illa deuotio glorioſiſſimæ Virginis eſt diffuſa.

Eodem anno Frater Paulus Hungarus cum quatuor Socijs miſſus fuit ad Hungariam ad prædicandum. Hic actu erat legens in Iure Canonico, quando intrauit Ordinem. Hi igitur totam Prouinciam peragrantes, magnum fructum fece-

fecerunt in populo, & multiplicatis ibidem Fratribus; miſſi ſunt aliqui a dicto Fratre Paulo in Terram, quæ Structium dicitur, quam Heretici, Schiſmatici incolebant, vbi poſt multas tribulationes, tandem Domino largiente mirabiliter profeçerunt. Deinde memores dicti Fratres deuotionis Beati Dominici, qui ire volebat ad prædicandum Cumanis, qui nullam penitus Dei notitiam habebant, ordinauerunt mittere Fratres ad dictam terram: quam ingreſſi, ſed exire compulſi, & denuo regreſſi ad eam prædicare cœperunt, duobus ex ipſis ab Infidelibus martyrio coronatis, alij in prædicationis officio perſeuerantes conuerterunt primo Ducem vnum ex ipſis, nomine Bruchi, qui in fidei Chriſtianæ confeſſione deçeſſit. Poſtea vero alium Ducem maiorem, nomine Bribrech, cum mille de familia ſua, quem Rex Hungariæ Andreas de ſacro fonte leuauit: qui ſimiliter ſuſceptis Sacramentis Eccleſiæ fideliter deceſſit. Fratres igitur perſeuerantes ibidem fructum maximum fecerunt, & Conuentum cœperunt. Cum hæc agerentur, & feruor Fratrum magis ad conuerſionem Paganorum accreſceret, Dei occulto iudicio venerunt Tartarorum exercitus, qui non ſolum prædicationem prædictam impediuerunt, verum etiam circa nonaginta Fratres ad Regnum Cœleſte per coronam martyrij tranſmiſerunt, Poſt Tartarorum autem expulſionem miſſi ſunt alij Fratres, qui indefeſſe Dei verbum prædicantes, multa millia ex eis conuerterunt, & baptizauerunt.

Item miſſi fuerunt a Domino Honorio Papa in Boſinam, & Dalmatiam Fratres ad Hæreticos conuertendos; qui prædicationi, & diſputationibus inſiſtentes, multos Hæreticos ad fidem conuerterunt, licet aliqui Fratres ab eis martyrio coronati fuerint; & duo Conuentus Ordinis, quos ibi habebamus, igne cremati ſunt. In partibus etiam tranſmarinis multi Fratres miſſi ad prædicandum, ibidem a Saracenis martyrio coronati ſunt: inter quos Chriſtianus Patriarcha Antiochenus, Ordinis noſtri, cum quatuor Fratribus in captione Antiochenæ Vrbis coram Altari mactatus

tus eſt. Frater etiam Guido de Longimello, vir devotus, & ſanctus, in eiſdem partibus cum uno Socio paſſus eſt martyrium.

CAPVT IV.

De Beato Iordano Teutonico II. Ordinis Generali, & de Tranſlatione, ac Canonizatione S. P. Dominici.

ANno Domini 1222. Frater Iordanus Teutonicus de Prouincia Saxoniæ, & ipſe natione Saxo, de villa, quæ dicitur Borterge, Diœceſis Moguntinæ, verus Iſraelita, electus eſt in ſecundum Magiſtrum Ordinis, in Capitulo Generali Pariſiis celebrato. Erat enim tunc Prouincialis Lombardiæ. Sub hoc Magiſtro fuit Ordo merito, & numero dilatatus. Quem per annos fere 15. optime regens, ac dirigens, mille Fratres, & amplius manu ſua ſacro Religionis Habitu induit. Inter alios tunc Religioni nomen dederunt viri illuſtres Frater Rolandus Cremonenſis, Magiſter, & ſummus Philoſophus, qui primus Pariſijs ex noſtris Fratribus ſacram Theologiam docuit, & ſummam eius glorioſam compilauit. Magiſter etiam Moneta Cremonenſis, famoſiſſimus in toto Orbe terrarum, qui *ſummam Theologiæ contra Hæreticos* congeſſit. Magiſter quoque Ioannes de S. Ægidio, & multi alij excellentes viri, Humbertus, Guarinus, Gualla, & Rachonus, quorum ſcripta vſque in hodiernum diem, eorum ſapientiam, & doctrinam demonſtrant. Item Pater Hugo de S. Theodorico Burgundus, qui purpuram Sacram in Ordinem Prædicatorum primus inuexit: vt infra plenius dicetur: Hos ſecutus eſt B. Albertus Magnus, S. Thomæ Aquinatis Magiſter, qui in ſingulare Catholicæ Eccleſiæ, atque noſtræ Religionis decus. Dominicanam togam induit Patauij per manus Beati Iordanis.

Anno Domini 1224. die 9. Auguſti, in Vigilia Beati Laurentij, venerunt Fratres primo in Magdeburg Ciuitatem Saxoniæ, miſſi a Capitulo Pariſienſi, & Magiſtro Iordano, ad petitionem Reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi Magdeburgenſis, & quorundam aliorum Epiſcoporum, & nobilium, & ſecundo anno introitus Fratrum, primum Prouinciale Capitulum eſt ibidem celebratum, ſuperuenientibus tantum decem Fratribus extraneis; quia in Prouincia Teutoniæ tantum quatuor Conuentus erant ſcilicet Friſacenſis, Colonienſis, Argentinenſis, & Magdeburgenſis.

Anno Domini 1227. xv. Kalendas Aprilis, mortuo Honorio Papa, D. Gregorius IX. qui antea Dominus Hugolinus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis appellabatur (de quo ſupra dictum eſt) in Pontificali Cathedra ſublimatus eſt, & ſedit annis 14. menſibus 5. diebus x. Eodem anno in Generali Capitulo tertio, Pariſijs celebrato ſub Magiſtro Iordano, erant ſuperadditæ Prouincijs iam erectis aliæ quatuor Prouinciæ: ſcilicet Poloniæ, Daciæ, Græciæ, & Terræ Sanctæ. Et ſic Ordo a ſua confirmatione Anno xj erat diuiſus in xij. Prouincias; ſcilicet Hiſpaniam, Prouinciam Prouinciæ, Franciam, Lombardiam, Romanam, Teutoniam, Hungariam, Angliam, Poloniam, Daciam, Græciam, & Terram Sanctam.

Anno Domini 123?. crebreſcentibus per totam Italiam S. Dominici euidentibus miraculis, fidelium duxit deuotio. Corpus Sancti Patris humili loco repoſitum, ad altiorem locum debito cum honore transferre. Facta eſt ergo hæc tranſlatio in Capitulo Generali Bononiæ ix Kalend. Iunii poſt annos xii a ſepultura viri ſancti. Ad quam tranſlationem conuenerunt de mandato D. Papæ Gregorij, viri Reuerendiſſimi: videlicet Archiepiſcopus Rauennas, & Epiſcopus Mutinenſis, poſtmodum Sabinenſis. Brixienſis, & Tornacenſis; necnon & Magiſter Ordinis, communi elogio *Dulcis* appellatus. Pater Iordanus cum Definitoribus Capituli. Poteſtas quoque Bononienſis cum Ciuibus multis Bononienſibus, aliarumque Ciuitatum non paucis Ciuibus

uibus honoratis, cum Fratribus, & Clericis, laicíſque adfuerunt. Ex cuius ſacris oſſibus tanta prodijt odoris fragrantia, quod non defuncti cadaueris ſepulchrum, ſed pigmentorum, & odoramentorum omnium apotheca, patuiſſe videretur. Oſtendit etiam Dominus multa miracula in eadem translatione, ad laudem, & honorem Sancti ſui, anno Domini, quo ſupra, Pontificatus vero Domini Gregorij IX. anno vj. a Confirmatione autem Ordinis anno xvij. a tranſitu vero Beati Dominici xij. Sit ergo per omnia benedictus Deus. Anno ſequenti 1234. conſtitutus Reatæ præfatus D. Gregorius Papa, præſentibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliarumque Eccleſiarum Prælatis multis, fidelem Chriſti famulum Beatum Dominicum Sanctorum cathalogo ſolemniter canonizando adſcripſit, perhibens tale de eo teſtimonium: *Quod ita dubitabat de ſanctitate eius, ſicut de ſanctitate Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri, & Pauli*: quia vt prædictum eſt, magnam familiaritatem adinuicem habuerant. Conſumatum eſt ergo totum Canonizationis officium Rotæ ſolemniter, anno, & temporibus præſcriptis, ſub Reuerendiſſimo, & ſanctiſſimo Patre Magiſtro Iordano Generali Ordinis Magiſtro II., & directæ ſunt litteræ Apoſtocæ per omnia regna Eccleſiæ hoc atteſtantes, in quibus ipſius vitæ ſinceritas, & gloriæ ſublimitas, Chriſtifidelibus declaratur.

Sub iſto Magiſtro Iordano Fratres primo fuerunt licentiati Pariſijs ad legendum, & ipſe primus fuit, qui literas encyclicas a Capitulo Generali ad Prouincias Ordinis mittere cœpit. Scripſit idem Pater *ſuper Apocalypſim* Poſtillam gratioſam. Item *ſuper Priſcianum minorem*. Item *quædam Grammaticalia delineata*. Scripſit præterea *Libellum de Ordinis initio*, qui incipit: *Filijs gratiæ*, &c.

Coronulam Beatiſſimæ Virginis Mariæ compoſuit, & in omnibus Conuentibus, & Monaſterijs Ordinis recitari fecit pro ſuffragijs, ante Altare in dormitorio erectum, cuius recitationi quicunque interuenerint, lucrantur in-

dul-

dulgentias centum dierum a Gregorio XIII. conceſſas, per Bullam, quæ incipit: *Quæ Chriſti*, &c. Datam Romæ die 11. Decembris 1584.

Cum vero pijſſimus hic Pater in Terram Sanctam pro viſitandis ibi Conuentibus, & Saracenorum conuerſione nauigaret, ſæua tempeſtate exorta naufragio perijt, vna cum Socijs. Contingit autem eius mors anno 1236. die 13. menſis Februarij.

De hoc glorioſo Patre, & dulciſſimo, vide librum, qui *Vita Fratrum* dicitur, in tota tertia parte.

C A P V T V.

De Sancto Raymundo de Peñafort III. Ordinis Generali.

SEcuta morte Beati Iordanis, vno anno & dimidio Magiſterium Ordinis vacauit, Beato Alberto Magno Vicario Ordinis exiſtente. Indicto tandem Generali Capitulo, Bononiæ anno 1238. abſens eligitur in Magiſtrum Ordinis tertium, Frater Raymundus, natione Cathalaunus, Barcinonenſis. Hic antequam Ordinem noſtrum ingrederetur, fuit excellentiſſimus Doctor in Iure Canonico, in quo multis annis rexit Bononiæ. Tranſeunte autem Berengario Epiſcopo Barcinonenſi per Bononiam, ab eo cum magnis precibus ad patriam reductus, & Canonicus, ac Præpoſitus Eccleſiæ Cathedralis factus, vbi poſtmodum anno ſalutis 1222. feria 6. in Paraſceue Ordinem Prædicatorum eſt ingreſſus. Diſuaſerat enim Raymundus cuidam in noſtram Religionem ingreſſum, vnde pungente ſcrupulo, iacturam hanc, perſona ſua, & quidem meliori cum fœnore compenſauit. Audita autem fama ſanctitatis, & doctrinæ eius Dominus Sabinenſis Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, eum

eum licet renitentem in Socium legationis aſſumpſit, & diu ſecum tenuit. Cumque eum vellet Romam ſecum ducere, nullo modo acquievit. Qui tamen Romam reuerſus, multa de eo Domino Papæ bona narravit. Summus verò Pontifex Gregorius IX. litteras præceptorias direxit, mandans ei ut ad ſe veniret. Qui obediens Apoſtolicis litteris, Romam veniens, ab eodem Pontifice factus eſt Pœnitentiarius, & Confeſſor Papæ, & Advocatus, ac Expeditor cauſarum pauperum. Nec multo poſt mandauit ei, quatenus Decretales in vno volumine compilaret, quo in judicijs, & Scholis nunc omnes vtuntur. Tandem propter vigilias, & labores, quos in Curia contraxerat, maxime quia nunquam carnes comedere voluit, nec cibaria Ordinis mutare, in grauem incidit ægritudinem, & magnam: a qua cum Romæ minime liberari potuiſſet, habita cum magna difficultate licentia, ad Conuentum Barcinonenſem redijt, in quo & permanſit, vſque dum in Magiſtrum Ordinis, vt dictum eſt, eligeretur. Facta autem hac illius electione, adhuc Electores dubitabant ne Magiſterium recuſaret: ac proinde quatuor Patres ex præſtantioribus a Definitorio ad eum Barcinonam miſſi ſunt, qui ei perſuaderent, quod Ordinis curam acceptaret: inter quos fuit Frater Hugo, qui poſtea fuit primus Cardinalis Ordinis noſtri. Qui timens Ordinis ſcandalum, ad preces illorum Patrum electionem cum multis lachrymis acceptauit.

Hic Sanctus Pater multis claruit miraculis in vita, & in morte, & Ordinem per biennium ſapientiſſime gubernauit. Hic etiam Conſtitutiones Ordinis in duas partes diuiſit, ſicut ſunt nunc, cum antea ſatis eſſent confuſæ. *Summam* etiam *de Caſibus Conſcientiæ* omnium primam, ac valde vtilem, quam a nomine vocauit Raymundinam publicauit. Cum autem per biennium Ordinem rexiſſet, & duo Generalia Capitula habuiſſet, alterum Pariſiijs, alterum Bononiæ, in hoc ſecundo anno 1240. allegans debilitatem ſuam Generalatui ceſſit. Quapropter

magna turbatio in Ordine exorta eſt, propter eius ceſſionem. Hincque ſtatutum fuit in Conſtitutionibus, quod Magiſtri ceſſio nullo modo admitteretur de cætero, niſi propter perpetua impedimenta. Vixit autem in Conuentu Barcinonenſi per annos 35. poſt hanc Generalatus renunciationem: illeque Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, vna cum S. Petro Nolaſco, & Iacobo Aragonum Rege, cuius Confeſſarius erat) fundauit: eique Regulam viuendi proſcripſit. Obiit tandem anno 1275. in Feſto Epiphaniæ Domini multis clarus miraculis, quem Clemens VIII. Sanctorum Cathalogo adſcripſit. Anno 1601.

CAPVT VI.

De Fratre Ioanne Teutonico IV. Ordinis Generali, Viriſque ſub eo clariſſimis.

ANno Domini 1241. poſt renunciationem Magiſtri Raymundi, electus fuit in quartum Magiſtrum Ordinis noſtri, in Capitulo Generali Pariſiis, Frater Ioannes Teutonicus, quondam Epiſcopus Boſinenſis in Hugaria, natione Vveſtphalus Bremenſis Diœceſis. Hic Prouincialis in Hungaria exiſtens, factus Epiſcopus Boſinenſis, impetrauit ab Epiſcopatu ceſſionem, nulla ſibi prouiſione retenta. Poſtmodum effectus Prouincialis Lombardiæ, eligitur in Magiſtrum Ordinis. Cumque renueret, nec vellet acceptare, allegans exceptiones Pontificiæ dignitatis antea habitæ, e contrario porrecta fuit littera Domini Papæ Gregorij IX. quam propter ipſum Fratres impetrauerant, quæ ipſum totaliter Ordinis obedientiæ ſubponebat. Igitur compulſus Ordinis Magiſterium ſuſcepit, & tanquam vir Deo plenus, ac in omni virtute conſpicuus, xij annis cum dimidio Ordini præfuit, virtutibus, & miraculis, tam
in

in vita, quam in morte clariſſimus. Duodecim Capitula Generalia celebrauit, quinque in diuerſis Regionibus, ſcilicet Coloniæ, apud Montem Peſulanum, Treueris, Metis, & Londini: cetera vero Bononiæ, & Pariſijs. Argentinam deinde profectus, vt Fratres ad Cumanorum conuerſionem mitteret, in eadem Ciuitate diem clauſit extremum, pridie Nonas Nouembris anno 1252.

Sub eius Generalatu anno Domini 1242: apud Auenionetum Toloſanæ Diœceſis, in Camera Comitis Toloſani. martyrizati fuerunt pro fide Chriſti Frater Guilhelmus Arnaldi de Monte Peſulano, Inquiſitor hæreticæ prauitatis, & Frater Bernardus de Rupe forti, ac Frater Garſias de Aura, omnes de Ordine Prædicatorum, qui poſtmodum multis claruerunt miraculis.

Anno Domini 1243. poſt vacationem Sedis Apoſtolicæ per vnum annum, menſes octo, dies 5. poſt mortem Cœleſtini IV. Pontificis, electus eſt in Papam Innocentius IV, natione Ianuenſis: & ſedit annis 11. menſibus 5. diebus 14.

Hic ſecundo anno ſui Pontificatus fecit primum Cardinalem Ordinis Fratrum Prædicatorum Fratrem Hugonem de Sancto Charo, de Barchinonetta, ſub ditione Ducum Sabaudiæ, primum Prouincialem Franciæ, exinde Vicarium Generalem Ordinis, & demum Archiepiſcopum Lugdunenſem: & hic primus fuit *Poſtillator totius Bibliæ*, & eam tam excellenter poſtillauit, quod hucuſque parem non habuit, Scripſit etiam *ſuper quatuor Sententiarum Libros*. Item librum, quem *Speculum Eccleſiæ* appellauit. Et ſicut primis temporibus cum ſolus Origenes cæteros omnes Doctores, & Scriptores vinceret in ſcribendo, ipſe in Canticis ſcribens ſeipſum vicit; ſic temporibus his, ſolus Hugo cum Poſtillatores omnes vinceret, & excelleret ſuis poſtillis, ipſe ſeipſum in Pſalterio, & in Iſaia, & in Euangelijs ſuperauit: non tantum extenſiue in quatuor ſenſibus quemlibet latius, & diffuſius proſequendo: ſed etiam intenſiue de quolibet gratioſius, & impermixtius differendo. Legis

enim verba per legem explanauit, nec phyſica, nec alia quælibet intermiſcens, nec Muſicas Poeticas interponens, ſed legem per legem expoſuit gratioſe. Ab eodem Innocentio Pontifice (cui ſemper probum, ac fidelem Conſiliarium ſe præſtitit) factus eſt Legatus a Latere in Germaniam, quo officio laudatiſſime perfunctus eſt. In Patria Conuentum, & Eccleſiam ſui Inſtituti, propria pecunia erexit, & dotauit. Multis igitur pro Eccleſia Dei exantlatis laboribus, curiſque perfunctus, pluribus virtutum inſignibus clarus, vita functus eſt Vrbeueteri anno 1264. xiv. Kalendas Aprilis, ibique in Templo Prædicatorum tumulatus. Deinde poſt aliquot annos aperto eius ſepulcro integer, & incorruptus inuentus, Lugdunum ad Eccleſiam Fratrum ſui Ordinis translatus fuit, ibique magna cum ſolemnitate conditus eſt, adiecto infraſcripto Elogio.

In hoc Sepulcro iacet Vir Venerabilis Hugo
De S. Theodorico, Deo, & hominibus gratioſus,
Tituli S Sabinæ quondam Presbyter Cardinalis
Hic habetur vt luminare magnum Eccleſiæ,
Ordinis Fratrum Prædicatorum lucerna,
Theologiæ Pariſius Doctor egregius,
Famoſus Diuinarum Scripturarum Tractator.
Et Expoſitor prælucidus:
Verbi Dei Prædicator eximius,
Oliua pietatis, Palma iuſtitiæ:
Speculum honeſtatis, Religioſorum Patronus,
Veritatis præco, Pater pauperum,
Et ſolatium miſerorum.
Qui obijt apud Vrbem Veterem
Anno Domini M. CC. LXII.
xiv. Kalend. Aprilis.

Fue-

Fuerunt ab initio naſcentis Eccleſiæ in Terra Sancta, & maxime in Carmelo Eremitæ multi, ſicut patet ex Chronicis, & ex multis Sanctorum vitis. Horum conuerſationem videns felicis recordationis Dominus Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus, multum eos ſpiritualiter in Domino nutriebat: & in ſcripta modum vitæ eorum redigens, ſeparatim in cellulis per totum montem Carmeli antea habitantes, ſub cura vnius eorum ipſos adunauit: & per profeſſionis vinculum pariter colligauit, & per Sedem Apoſtolicam confirmari curauit. Qui poſt multos annos ad Papam Innocentium Quartum venientes Lugdunum, pro eo, quod Regula grauis erat; nec eis in Ciuitatibus, & villis habitare licebat: obtinuerunt, quod negotium totum committeretur Venerabilibus Patribus, videlicet Domino Hugoni de Sancto Charo Presbytero Cardinali, & Fratri Guilhelmo Epiſcopo Anteradenſi, qui ambo erant de ordine Prædicatorum. Qui eis ſpecialem Regulam ſcripſerunt, quam ex tunc profitentur, & tenent: prima per tantos Viros ſepulta, & ſecunda per Innocentium Papam Quartum bullata, & confirmata.

Per idem tempus paſſus eſt pro fide Chriſti, & ab hæreticis veneno extinctus, Frater Pontius Hiſpanus Inquiſitor hæreticæ prauitatis apud Vrgellum Cathaloniæ Ciuitatem, & ibidem in Eccleſia Cathedrali multis clarens miraculis honorifice ſepultus.

Anno Domini 1252. Frater Petrus Veronenſis Ordinis Prædicatorum hæreticæ prauitatis Inquiſitor, ab Innocentio IV. inſtitutus ab hæreticis nonis Aprilis Sabbato in albis, dum Prior Comenſis exiſtens pro exequenda Inquiſitione contra eos properaret: martyrio coronatus eſt. Hic vir beatiſſimus a teneris annis fidem Catholicam defendens, Ordinem Prædicatorum ingreſſus, virtutibuſque ac miraculis decoratus, Euangelicam prædicationem per totam Italiam cum mirabili gratia, & fructu diſſeminans ac virgo permanens, nulliuſque mortalis peccati macula vmquam fœdatus, martyrioque corona-

ronatus, tribus decoratus coronis, Cœlum conſcendit. Hunc, dum infinita miracula ad eius tumultum, & per multas mundi partes fierent. Dominus Innocentius Papa prædictus, nondum anno elapſo a paſſione eius, Sanctorum Martyrum Cathalogo adſcripſit: ſtatuitque feſtum eius iij. Kalendas Maij ab vniuerſali Eccleſia celebrari: quia dies paſſionis eius frequenter inter Paſchalia feſta occurrit. Paſſus eſt cum eo Frater Dominicus ſocius eius, qui ab eodem lictore quatuor ictibus lethaliter vulneratus, quinta poſt die obijt.

CAPVT VII.

De B. Humberto V. Ordinis Generali, viriſque ſub eo ſanctitate, ac doctrina clariſſimis.

ANNO Domini 1254. mortuo Magiſtro Ioanne Teutonico, electus fuit apud Budam Prouinciæ Hungariæ in Capitulo Generali in Magiſtrum Ordinis, quintum Magiſter Humbertus natione Burgundus ex Prouinciali Franciæ, cunctis exiſtens religionis exemplar, & imago. Hoc tempore Canonicus quidam Matiſconenſis videlicet Guilhelmus de ſancto amore, qui Pariſijs legebat, ex quibuſdam authoritatibus ſacræ ſcripturæ, & Doctorum per eum male intellectis, vel potius maligne ad ſuum propoſitum adductis, magnum libellum D. Innocentio Papæ IV. porrexit: in quo probare nitabatur, quod Fratres non poterant de eleemoſynis viuere, nec mendicare, niſi cum damnatione animarum ſuarum. Multa inſuper alia hæretica, & falſa conflans, Ordines mendicantium valde vexauit.

Eodem etiam tempore idem Innocentius fulminauit Bullam terribilem contra Mendicantes, præcipiens in virtute

tute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, quod nullo modo diebus Dominicis, & Feſtiuis Parochianos alienos in ſuis Eccleſijs reciperent ad Diuina, nec eorum confeſſiones audirent, ſine ſpeciali licentia Sacerdotum Parochialium, nec in Eccleſiis ſuis ante Miſſarum ſolemnia prædicarent: ſed in prima parte diei omnes Parochiani ad Parochias ſuas ad audiendas Miſſas accederent, nec in Eccleſiis Parochialibus, vel quando Epiſcopus prædicaret, vel faceret ſolemniter coram ſe prædicare, minime prædicare poſſent; & quod de funeralibus portionem canonicam (etiam non requiſiti) infra octo dies dare tenerentur Sacerdotibus Parochialibus, de quorum Parochia eſſent defuncti. Iſtis anguſtijs, & tribulationibus ſic Fratres nimium vexantibus, ordinatum fuit, quod Fratres dicerent poſt Matutinas ſeptem Pſalmos, & Litanias cum orationibus Beatæ Mariæ, & Beati Dominici. Quæ dum in quodam Conuentu dicerentur, quidam Frater deuotus, vidit Beatam Virginem rogantem dulciſſimum Filium ſuum, atque dicentem: *Fili exaudi eos*. Nec mora, & ecce exaudiuit eam Dominus: nam Guilhelmus de ſancto amore prædictus, ad iſtantiam Magiſtri Humberti citatus, Romæ in publico Coſiſtorio coram Domino Alexandro Papa Quarto dicti Innocentij ſucceſſore a Beato Alberto Magno diſputando cofuſus, privatus beneficijs, quæ poſſidebat, combuſtoque libro eiuſdem in publico Conſiſtorio, quem contra Mendicantes dictauerat, e Clero expulſus fuit. Contra hunc etiam ad mandatum Magiſtri Ordinis ſcripſit libellum vnum Sanctus Thomas de Aquino, qui prænotatur: *Contra impugnantes Religionem*.

Innocentius autem in ſua ſententia permanens, dum eſſet Neapoli graui infirmitate percuſſus, aduertens, quod male egerat Religioſos moleſtando, ad cor rediens, dixit: *Propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti animam meam.* Et his dictis expirauit. Ex quo tempore Cardinales, & Prælati dicere ſolebant in quodam ſolatio:

Cauete a Litanijs Fratrum Prædicatorum, quia mirabilia faciunt.

Anno Domini 1254. viij. Kalend. Ianuarij, mortuo eodem Papa Innocentio, ſucceſſit ei Alexander Quartus natione Campanus, & ſedit annis vj. menſibus 5. & diebus 5. Hic Alexander anno Pontificatus ſui primo, Bullam Innocentij contra Mendicantes reuocauit, & nullius roboris eſſe voluit; aliamque ampliſſimis fauoribus refertam Ordini gratioſiſſime conceſſit. Hic etiam magnus amicus Religioſorum fuit, & plura, & inſignia eis priuilegia conceſſit. Hoc tempore claruit Frater Guilhelmus de Peyranta, ſeu Peraldus Diœceſis Viennenſis, vir deuotus, & verax, qui *ſummam de virtutibus, & vitii, & ſermones de tempore, & de Sanctis*, ac *Expoſitionem profeſſionis, quæ eſt in Regula Sancti, Benedicti*, & librum *De Inſtitutione Religioſorum, & de regimine Principum*, & alia multa compoſuit.

Hoc etiam tempore diuina prouidente clementia, duo magna luminaria ex Ordine Prædicatorum mundo ſplendebant, ſcilicet luminare maius, ideſt Dominus Thomas de Aquino, vt præeſſet diei, & luminare minus, ideſt Beatus Albertus Magnus, vt præeſſet nocti. De quibus poſſet dici illud Propheticum Zachariæ 4. *Iſti ſunt duæ oliuæ*, videlicet *fundentes oleum, duo filii ſplendoris*. Et Apocal. 11. *Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum, ut luceant omnibus, qui in Domo Domini*, ideſt in Sancta Eccleſia *ſunt*. Verum quia Beatus Albertus Magnus Dominum Thomam de Aquino præceſſit, primo de eo agetur.

Albertus cognomento Magnus, Philoſophorum omnium totius Chriſtianitatis Sol præclariſſimus, & generalis, natione Sueuus de Oppido Laumbigenſi, prope Auguſtanam Ciuitatem ad quatuor milliaria, ex genealogia militarium natus xxviiij. ætatis anno Ordinem noſtrum propter deuotionem, & ſtudium ingreſſus; cum ſtudio intenderet diligenter (forte ad maiorem Beatiſs. Virginis

ginis gloriam, cui Albertus maxima deuotione afficiebatur, & deuota mente ſeruiebat) adeo abilis memoriæ, & hebetis ingenij erat, quod nihil proficere poterat. Proficentibus autem ſocij cum nihil ipſe proficeret, deliberauit, omnino Ordinem relinquere. Cumque in iſto propoſito inſiſteret, in viſione raptus, ſibi videbatur, quod apponebat ſcalam ad murum Conuentus, vt extra Conuentum, & Ordinem recederet. Cumque ſcalam aſcendiſſet, vidit in ſummitate eius quatuor venerandas Matronas, quarum vna repulit eum, & ad terram deiecit. Cumque iterato ſcalam aſcendere vellet, a ſecunda veneranda perſona ſecundo repulſus fuit, & ad terram deiectus. Cum autem tertio idem attentaret, a tertia veneranda perſona interrogatus fuit de cauſa aſcenſus ſui per illam ſcalam. Cui verecundo vultu reſpondit: Domina video, quod ſocij mei in Philoſophia proficiunt, & ego nihil addiſcere poſſum: propter hunc igitur roborem, diſcendere ab hoc Ordine propono. Cui illa: *Illa Domina, quam vides hic, eſt Mater Dei, Regina Cæli, & Mater Miſericordiæ, & nos ſumus eius ancillæ, Recommitte te ei, & nos te adiuuabimus, vt ipſa intercedat pro te ad Filium ſuum, pro docili ingenio tibi concedendo*. Quo audito, lætatus in his, quæ audiebat, dixit: Valde libenter; vnde rogo vos, vt ſitis mihi adiutrices. Cumque vna cum ipſis Reginam gloriæ rogaret, dixit illi Beatiſſima Virgo: *In qua ſcientia vis docilis fieri, in Theologia, an in ſcientia naturali?* Cui cum reſponderet, quod in naturali Philoſophia, & annexis ei ſcientijs libenter vellet proficere: & talis fieri, qualis nunquam fuit aliquis, vel futurus eſt in ea. Reſpondit Beatiſſima Virgo Maria: *Habebis quod rogaſti: ſed quia non quæſiuiſti ſcientiam Fili mei, in vltimo vitæ tuæ omnem ſcientiam tuam amittes, & eris obtuſi ingenij ſicut modo exiſtis*. Annuente ergo glorioſa Virgine vt orationi, deuotioni, & ſtudio vacaret, ſic facere promiſit.

Recedente viſione ad ſe rediens, mandatum Virginis exequi

exequi ſatagens, quidquid legebat pleniſſime intelligebat. Et ſi aliquando aliquam difficultatem habebat, orationibus apud Beatam Virginem inſtabat; & quod proprio ingenio non poterat, precibus impetrabat. Frequenter autem rogabat ipſam Beatam Virginem, ne permitteret eum Philoſophorum rationibus a veritate fidei auerti: ſed in fidei ſoliditate eius animam firmaret. Quæ apparuit ei, & conſolans eum ait: *Eſto fidelis, & in ſtudio perſeuerans, quia Deus te tanta copia ſapientiæ ditabit, quod per libros doctrinæ tuæ tota Eccleſia illuminabitur. Tamen ante mortem tuam a te omnis ſyllogiſtica ars auferetur, ne in fide vacillare poſſis, & ut in ſinceritate fidei perſeueres.* Hanc viſionem de ſeipſo narrauit Beatus Albertus Magnus prædictus in vltima lectione, quam legit, in qua ipſa viſio completa eſt, & verificata.

Igitur vir iſte ſanctus, & præclariſſimus, poſt adeptam diuinitus ſcientiam (vt prædictum eſt) primo legit ſententias in Conuentu Hildeſemenſi Prouinciæ Saxoniæ: ex cuius Conuentus Refectorio naturali arte, muſcarum multitudinem taliter abegit, quod de cætero vſque in præſens nulla muſca potuit ibi viua conſiſtere. Poſtea legit in Ratiſbona duobus annis, deinde Pariſijs poſt ſententias glorioſæ lectas, Magiſter factus, ibidem tribus annis reſedit. Deinde Coloniam reuerſus, legere cœpit glorioſiſſime, quo tempore Sanctus Thomas de Aquino ipſum audiuit, & eius diſcipulis fuit. Poſt hæc Magiſter Albertus fuit Prouincialis Teutoniæ, & illo tempore Monaſterium Sororum de Suſato, Colonienſis Diœceſis, quod dicitur Paradiſus, inſtituit: & Sorores in eo introducens ſua benedictione ſtabiliuit. Exinde a Papa Vrbano IV. propter quoſdam errores eliminandos ad Curiam vocatus, ad eius petitionem, & Dominorum Cardinalium Beati Ioannis Euangelium, & Epiſtolas canonicas, inaudito modo exponendo legit: de quo aduerſarij veritatis obſtupeſcentes confuſi ſunt.

Frater Thomas Cantipratanus, author libri de Apibus, refert

refert in eodem libro, quod quidam Canonicus Regularis de Bauaria vir ſanctus, & bonus, qui pro ſuis negotijs ad Curiam venerat, vna dierum exiſtens in Eccleſia Sancti Petri, orans, ad exceſſum mentis raptus: vidit ipſam Eccleſiam ſerpentibus totam plenam, quorum horribili ſibilo tota Roma replebatur. Cumque ille miraretur, vnus Frater Prædicatorum Ordinis ſibi incognitus Eccleſiam intrauit. Qui licet a ſerpentibus multipliciter impediretur, violenter tamen reſtitit, & eos a ſe repellens aſcendit ambonam, in qua diebus ſolemnibus ſolet legi Euangelium. Et perlecto Sancti Ioannis Euangelio, vſque ad *Verbum caro factum eſt*, omnis illa multitudo ſerpentium a ſibilo ceſſauit, & de dicta Eccleſia affugata eſt. Reuelatumque eſt illi diuino reſponſo, quod ille erat Frater Albertus Teutonicus. Poſt hæreſum igitur expugnationem, Vrbanus Papa fecit eum Epiſcopum Ratisbonenſem: quam dignitatem cum tribus annis adminiſtraſſet, videns vir ſanctus, quod magnis tumultibus ſe implicabat, reſeruatis ſibi quibuſdam redditibus, Epiſcopali curæ nunciauit, & Coloniæ ad Ordinem redijt, ac continue per annos 18. legit gratioſiſſime.

Conſtrui autem fecit in Conuentu Colonienſi chorum, in quo Diuinæ Laudes perſoluuntur ſuis expenſis, normamque ædificandi ſecundum veram Geometriam ædificantibus dedit. Totus denique ſtudio intentus, & bonis operibus, ſicut oliua fructifera deditus, feruenter Clero, & populo prædicabat, conſilia petentibus ſaluberrima dulciter, & effectuoſe dabat, deuotione præcipua vigebat, locum ſepulchri ſui quotidie viſitabat, & officia ibidem pro ſe, ac ſi eſſet defunctus dicebat. Quotidie poſt lectiones factas totum Pſalterium dicebat. Hic Doctor clariſſimus infinita propemodum ſcripſit, quæ vulgatiſſima ſunt, & in fine vitæ ſuæ libellum *de Sacramento Altaris* compilauit. Et infinita pene alia opuſcula compoſuit ad laudem Ieſu Chriſti, quæ hic non enumerantur.

Tandem per triennium ante mortem ſuam, dum ſemel

ſemel Coloniæ legeret, omnem memoratiuam amiſit. Et recordatus viſionis B. Virginis, prædictam viſionem, quam adoleſcens habuit omnibus narrauit, & ait: Ego filij de cætero non legam, ſed confiteor publice coram vobis, me omnes articulos fidei veraciter credere, & de eis nil penitus dubitare; ſupplicans mihi exhiberi Eccleſiaſtica Sacramenta tempore opportuno. Et ſi quid dixi, vel ſcripſi fidei, vel bonis moribus incongruum, ex nunc ipſum reuoco, omnem doctrinam meam Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ correctioni ſubdens. Et ſic de Cathedra Magiſtrali deſcendens, omnibus lacrimantibus, ac eum oſculantibus, vſque ad mortem in magna ſimplicitate permanſit, nihil de his, quæ Religionis ſunt prætermittens. De eius autem mirabili doctrina, ſequens metrum compoſitum fuit:

Cunctis lùxiſti ſcriptis, præclare legiſti,
Mundo luxiſti, quia totum ſcilibe ſciſti.

Anno igitur Domini 1280. annis ſex, & octo menſibus poſt obitum D. Thomæ de Aquino,die xv. Nouembris anima illa ſanctiſſima carne ſoluta eſt: & per Reuerendiſſimum D. Siffridium Colonienſem Archiepiſcopum, accedentibus omnibus Congregationibus Collegiorum Colonienſis Ciuitatis, necnon & Dominorum omnium in circuitu, & totius Ciuitatis concurſu, in choro Conuentus Colonienſis Ordinis Prædicatorum ante maius Altare ſepultus fuit. Cuius ſepulchro tale fuit Epitaphium inſculptum.

Phœnix Doctorum, paris expers, Philoſophorum
Princeps Doctorum, vas fundens dogma ſacrorum;
Hic iacet Albertus præclarus in vrbe diſertus,
Præ cunctis certus aſſertor arte repertus
Maior Platone, vix inferior Salomone,
Quem tu Chriſte bone Doctorum iurge coronæ.
Annis bis denis minus actis, ac mille tricenis,

Chriſti

Chriſti naſcentis de corporis exit habenis.
Quinta poſt feſtum Martini luce moleſtum
Omne petendo Deum tranſiuit, agens iubilæum
Qui legit hos verſus, mox ad tumulum retrouerſus,
Inclina *dicat Collectam, cum* Requieſcant.

Cum autem poſt aliquot tempus corpus eius in tumba poſitum, fuiſſet requiſitum, cum poſitam fuiſſet ſupinum, vt moris eſt, repertum fuit genuflexum, ac in faciem incuruatum, prout orare ſolebat dum viueret. Non ceſſauit autem Deus eius gloriam reuelare poſt mortem, quam felix in patria poſſidebat. Magiſtro ſiquidem Theodorico Lectori Treuerenſi, in cella ſua ſtudenti, quedam ſancta, & nobilis mulier, quæ ei in vita ſua confiteri conſueuerat, xv. diebus poſt mortem ſuam apparuit: dicens ſe fuiſſe a Deo miſſam, ut eum de tribus certificaret, quorum veritatem ſcire volebat. Et cum quæſiſſet ab ea, quomodo ſe haberet, reſpondit? In conſpectu ſum Sanctiſſimæ Trinitatis, & quieta gloriæ beatitudine fruor. Cumque ab ea quæſiſſet, quæ ſcire deſiderabat, & illa reſpondiſſet optime ad omnia, ait illi: Cognoſciſne Fratrem Albertum Teutonicum, qui nuper in Colonia defunctus eſt, qui fuit Frater Ordinis noſtri? Cui illa; Optime. Ad quam Magiſter: Vbi eſt inquit: Et illa: Gaudet lætitia inenarrabili longe ſuper nos. Fratri etiam Conrado de Dosborgh, eiuſdem Beati Alberti Socio, & Miniſtro, pro eius anima oranti, poſt Matutinas in Eccleſia Fratrum in Colonia vigilanti, poſt receſſum aliorum Fratrum, apparuit Beatus Albertus Magnus corporaliter, pretioſiſſimis veſtibus Pontificalibus indutus, habens in inſula ſuper frontem gemmam ſpecioſiſſimam, quæ ſolares radios emittens, totam Eccleſiam illuminabat. Qui ab eo requiſitus qualiter ſibi eſſet, reſpondit: *Humani ſenſus non ſunt capaces gloriæ meæ: claritas autem, quæ ex gemma*

ma frontis meæ procedit, ſignificat inexplicabilem gloriam in claritate ſcientiæ, quam tradidit mihi Dominus, qua totam Eccleſiam ſuam dignatus eſt illuſtrare meo miniſterio, & labore. Et euanuit ex oculis eius, ad fruitionem Sanctæ Trinitatis, nunc, & in perpetuum manſurus accedens. Hæc breuiſſime de vita Beati Alberti Magni dicta ſufficiant. Floruit etiam hoc tempore Frater Vincentius Bellouacenſis Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit *Quatuor magna Specula*, ſcilicet *Naturale*, *Doctrinale*, *Morale*, & *Hiſtoriale*. Beato Ludouico Francorum Rege ei libros miniſtrante. Scripſit etiam *Librum gratiæ*, & *Epiſtolam conſolatoriam* ad eundem Sanctum Ludovicum ſuper morte ſui primogeniti. Scripſit etiam libellum *De laudibus Beatiſſimæ Virginis* ex dictis Sanctorum concatenatum, & multa alia.

Anno Domini 1261. obijt Dominus Alexander Papa IV. ex Comitibus Signiæ ſpecialis Patronus Fratrum Prædicatorum, quos quam tenerrime dilexerit, ultro deducitur ex Bullis 130. quas inauditis gratijs referras, Ordini lubens impertiuit. Sedit annis 6. menſibus 5. diebus 5. Poſtquam vacaſſet Sedes Romana menſibus tribus, & diebus tribus; electus poſtmodum fuit Dominus Vrbanus IV. natione Campanus, & pridie Nonas Septembris Viterbij in Eccleſia Fratrum Prædicatorum coronatus, ſedit annis tribus, menſe uno, diebus quatuor.

Anno ſequenti 1263. Magiſter Humbertus, Ordinis exemplar, & ceremoniarum Pater, totum Officium, quo Ordo vtitur ordinauit: quam ordinationem Dominus Clemens Papa IV. poſtea approbauit, & confirmauit. Scripſit etiam hic Pater Sanctus *ſuper Regulam S. Auguſtini* egregium volumen. Item libellum *De ſeptem gradibus contemplationis*. Item *De tribus votis religioni eſſentialibus*. Librum præterea *De omnibus officijs Ordinis* miro ordine dictauit; vt quilibet Frater ſciret, quid ſua intereſſet, cum ei aliquod officium imponeretur. Scripſit etiam ſuper *Conſtitutiones*, ſed non perfecit morte præuentus.

Sub Generalatu Beati Humberti circa annum 1257.

San-

Sanctus Hyacinthus Odrouanſius Polonus, poſtquam multis annis bonum certamen certaſſet, curſum conſumaſſet, repoſitam ſibi coronam percepturus, perexit ad Chriſtum quem poſtmodum Clemens Papa VIII. Sanctorum Cathalogo adſcripſit. Sanctum Hyacinthum ſecutus eſt ad gloriam Beatus Gundiſaluus de Amarantha, innumerum miraculorum patrator. Circa annum etiam 1260. proprio ſanguine canditati cœlum conſcenderunt, Beatus Sadocus cum triginta & octo Patribus, qui Sandomiriæ in Polonia, dum Antiphonam *Salve Regina* publice in Eccleſia decantarent, ab irruentibus Scythis omnes trucidati ſunt.

Tandem glorioſus Pater Humbertus præclarum Sancti Raymundi exemplum imitari geſtiens, cum annis nouem Ordinem laudabiliter rexiſſet, Magiſterio ceſſit anno 1263. in Capitulo Londonenſi, & ſuperuixit annis xi. obijtque plenus bonis operibus anno Domini 1274. in Conuentu Valentino. Eius ſanctitatem tanti fecit Sanctus Ludouicus Rex Francorum, vt dederit ei Robertum filium ſuum ſextum anno 1256. Pariſiis in Capitulo Generali e ſacro Fonte ſuſcipiendum; ex quo Roberto proceſſit Borboniorum ſtirps, quæ hodie regnat.

Hic etiam ordinari fecit librum *De vitijs Fratrum Prædicatorum* per Fratrem Gerhardum de Fracheto Lemouicenſem, ſtylo quidem ſimplici, ſed tam pio, vt librum exornet, qui ornare tentauerit.

CAPVT VIII.

De Fratre Ioanne Vercellenſi, VI. Ordinis Generali, Viriſque ſub eo clariſſimis.

ANno Domini 1264. in Capitulo Pariſienſi electus eſt in Magiſtrum Ordinis VI. Frater Ioannes de Vercellis Prouincialis Lombardiæ, magnæ prudentiæ, & ſapien-

pientiæ vir. Hic transferri fecit Corpus Beati Dominici in arcam de alabaſtro valde pulchram, in qua etiam nunc requieſcit, quam ipſe fieri procurauit, hoc anno Domini 1267. Quæ translatio cum ageretur, apparuit cometa ſuper Templum noſtrum Bononienſe, ibidemque permanſit, donec cæremonia finita eſſet.

Hic etiam totum Ordinem viſitauit cum baculo ſuo pedeſter ſemper incedendo. Qui vt melius oculata fide, mores Fratrum exploratos haberet, ſuperueniebat Conuentibus incognitus, & diligenter obſeruabat qualiter Religio ſeruaretur. Vnde cum ſemel ad quendam Conuentum valde famoſum Teutoniæ debuiſſet accedere, dimiſſis Socijs extra Ciuitatem, ipſe cum uno Fratre hora prandij Conuentuum ingreſſus eſt. Cumque quæreretur ab eis qui eſſent? reſponderunt, quod erant Fratres Lombardi. Quod Prior, qui in Refectorio prandebat audiens, hoſpitium minime eis præparari iuſſit, ſed ſeruitori dixit; Vade, & præpara illis Lombardis in vltimo loco illius menſæ. Quod cum factum fuiſſet, & male & fuiſſent procurati, videns Magiſter Ordinis, quod Prior, & Fratres alij haberent bonos piſces, & eis ſolum ferculum datum fuiſſet; vocato ſeruitore, dixit: Bone Frater, dicatis Patri Priori, quod placeat ei dare nobis etiam modicum de piſcibus, quia laſſi ſumus, & ieiunamus. Quod cum Priori a ſeruitore dictum fuiſſet. Prior alta voce clamauit. *Non habemus piſces pro Lombardis*. Magiſter Ordinis hoc audito patienter ſuſtinuit. Finito prandio, ſicut Magiſter ordinaverat, dum Fratres gratiarum actiones peragerent, Socij Magiſtri ad portem Conuentus pulſauerunt: Et intromiſſi, dum peteretur ab eis, qui eſſent? reſponderunt: Socij ſumus Reuerendiſſimi Magiſtri Ordinis. Et illi: Vbi eſt, inquiunt, Magiſter Ordinis? Quibus Socij Magiſtri dixerunt: Nunquid non venit ad vos iamdiu Pater vnus antiquus cum baculo, & vno Socio? Conſternati illi, & verecundia, ac confuſione repleti, quid agerent neſciebant: Tunc Magiſter Ordinis mandauit pulſari ad Capitulum, & ingreſſus

Ca-

Capitulum aſſumpſit pro themate : *Non habemus piſces pro Lombardis* ; & increpata duriſſime inhumanitate Prioris , & Fratrum , facta viſitatione Priorem abſoluit , & Fratres , ac Conuentum in melius reformauit . Hic beatiſſimus Pater Ordinem rexit annis fere 20. & ob eius ſingularem ſapientiam , & prudentiam , aliquibus legationibus D. Papæ laudabiliter functus eſt . Et dum eſſet vltra montes , & celebraſſet Capitulum Generale apud Montem Peſulanum , ibidem pridie Kalendas Decembris ſanctiſſime diem clauſit extremum anno Domini 1283.

Horum præcedentium Magiſtrorum , Humberti videlicet , & Ioannis tempore , claruit etiam aliud luminare maius , ſcilicet Sanctus Thomas de Aquino , qui genere nobiliſſimus , vtpote in linea paterna natus ex genere Comitum Aquinorum , qui dicuntur Comites de Loreto , & de Belcaſtro , & antiquitus dicebantur de Frangipanis Romanis : quæ fuit progenies Sanctiſſimi Gregorij Papæ primi huius nominis , & progenies eſt antiquiſſima . Retulit Dominus Bernardus Comes de Loreto , ſe habere vnum inſtrumentum apud ſe pertinens ad progeniem ſuam , in quo Boetius Senator , ſummus Philoſophus , & Theologus , qui alias Sanctus Seuerinus appellatur , pro teſte inducitur , in quo ipſa domus de Loreto , & de Belcaſtro vocatur de Frangipanis : vt reperitur in quadam Chronica antiqua in Conuentu Sanctorum Ioannis ; & Pauli de Venetijs . In linea vero materna habuit matrem Neapolitanam Theodoram nomine , etiam nobiliſſimam . Ex hac ergo clariſſima progenie ortus beatiſſimus Thomas . Ordinem Prædicatorum infra annos pubertatis ingreſſus eſt anno 1232. a quo nullis parentum blanditijs , vel tribulationibus potuit amoueri : ſed poſt plures eorum perſecutiones , miſſus fuit Coloniam , non Pariſios , (vt aliqui abſque ullo monumento authentico inſigniter fabulantur) ad ſtudendum ſub Magiſtro Alberto Magno . Quo in loco exiſtens , dum eſſet deuotus , ſtudioſus , & taciturnus , nec

die, nec nocte Chorum neglexit, Refectorium, & alia communia frequentans, nihil in eis faſtidiebat. Quo effectum eſt, vt præclariſſimæ ſcientiæ apicem apprehenderit: vnde miſſus Pariſios pro Baccalaureo, curſum ſuum laudabiliter exercuit, cum tanta omnium admiratione, & præclaro, nouoque agendi modo, quod ſchola eius quotidie replebatur. Quo tempore ſcripſit *Super quatuor Sententiarum libros*. Viginti autem & quinque annorum exiſtens, factus eſt ſacræ Theologiæ Magiſter: in quo Magiſterio annis fere 20. permanens, multa præclara, & magna conſcripſit volumina, quæ per manus doctiorum verſantur. Et quia Officium Corporis Chriſti edidit, congrue cauſa tanti Feſti inſtituendi hic ponitur.

Cum Sanctus Thomas ad mandatum Domini Vrbani Papæ IV. dictaſſet *Opus continuum ſuper quatuor Euangeliſtas*, pro præmio laboris Dominus Papa ei Epiſcopatum obtulit, quem tamen ipſe noluit acceptare. Vnde rogauit eundem, vt pro reuerentia eiuſdem Sacramenti, Feſtum inſtitueret particulare de eo, ad laudem Saluatoris, & in recompenſationem ſui laboris. Quod Papa libentiſſime fecit, concurrentibus maxime ad hoc quibuſdam reuelationibus factis, ac miraculis circa huius ſacratiſſimi Sacramenti venerationem. Ad preces igitur S. Thomæ prædictum Feſtum inſtituens, ordinauit Officium per eundem dictari, quod per vniuerſalem Eccleſiam tali celebritate dici poſſet. Quod & factum eſt: nam Officium, quod per totam Eccleſiam ſolemniter cantatur in tali celebritate, & eſt illud; quod S. Thomas dictauit; omnino diuerſum ab eo, quod S. Iuliana virgo Leodienſis edi curauerat. Et ita Feſtum Corporis Chriſti eſt quaſi Feſtum S. Thomæ, & Fratrum Prædicatorum, quia ad eius inſtantiam, & remunerationem laboris eius inſtitutum fuit.

Eodem tempore floruit Frater Guilhelmus Morbea Brabantinus, Sacræ Theologiæ Baccalaureus, ac demum Archiepiſcopus Corinthienſis, qui ad inſtantiam Sancti Thomæ, omnes libros *naturalis, & moralis Philoſophiæ, & Me-*

Metaphyſicæ Ariſtotelis, de Græco in Latinum tranſtulit, & librum *De Apibus*, *&* *naturis rerum* compoſuit. Hic Vrbanus Papa IV. ſecundum Cardinalem ex Ordine noſtro fecit, Fratrem Anibaldum Hannibaldenſem de Molaria, Romanum virum apprime doctum, & pium, ac ingenio ſubtilem; quem tanti fecit Angelicus Doctor Sanctus Thomas, vt doctas in 4. Sententiarum libros lucubrationes illi dicandas iudicauerit. Scripſit dictus Cardinalis *Commentaria in quatuor Libros Sententiarum*, & *Librum Quodlibetorum*. Cum autem decem annorum ſpatio Cardinalis dignitatem ingenti cum laude ſuſtinuiſſet, tandem e vita exceſſit Vrbeueteri anno 1272. ibidem apud Fratres Prædicatores ſepultus.

Anno Domini 1262. Vrbano IV. migrante Peruſij, electus eſt in Papam Dominus Clemens IV. natione Prouincialis, & ſedit annis tribus, menſibus 9. & diebus 24. Hic Pontifex multum Ordinem noſtrum dilexit, ac varijs priuilegijs decorauit. Qui moriens Viterbij in Eccleſia Fratrum Prædicatorum, quorum tunicam albam detulerat, vitam, & abſtinentiam dudum imitatus fuerat, corpus ſuum ſepeliri iuſſit. Quod & factum eſt. Ab hoc ſanctiſſimo Pontifice cum quidam miles peteret, quem Ordinem melius ſibi eſſet ingredi, ſcilicet an Ordinem Prædicatorum, vel Minorum? eidem litteras infraſcriptas direxit, videlicet: *Clemens Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto filio P. militi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quæris a nobis conſilium, quod apud te rectius poteris inuenire. Si enim tibi Dominus inſperauit, relicto ſeculo vitæ frugem appetere melioris, Dei Spiritum, ſicut nec poſſumus, ſic nec volumus prohibere, præſertim cum filium habeas bene diſciplinatum (vt credimus) qui tuæ domui ſciret prouidere. Quod ſi propoſito non mutato ſciſcitaris vlterius, quem tibi ex Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus præeligendum credimus, id præcipue conſcientiæ tuæ relinquimus. Magis enim tu ſcire poteris vtriuſque Ordinis obſeruantias, quæ*

 non

non ſunt pares in omnibus, & in diuerſis articulis excedentes, & exceſſæ. Alterius quidem iſtorum Ordinem lectus eſt durior, nuditas grauior, & (vt nonnulli iudicant) paupertas profundior: & alterius cibus parcior, longiora ieiunia, & (vt quamplures autumant) ſanctior diſciplina. Neutrum ergo neutri præficimus, ſed in una & artiſſima paupertate fundatos, ad vnum tendere credimus, ſalutem ſcilicet animarum. Et ideo ſiue hunc, ſiue illum elegeris, arctam viam aggredieris, & per portam intrabis anguſtam, ad terram mellifluam, & præ cæteris ſpatioſam. Vnde hoc apud te pondera hoc diligenter aduerte: quis magis animo tuo placeat, quemque ſperes te melius portaturum. Et ſic vni conuerſatione adhæreas, vt amore ab altero non diſcedas. Frater enim Prædicator eſt reprobus, qui Minores non diligit: & execrabilis Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum Ordinem, vel contemnit. Datum Peruſii xiij. Kal. Maij, Pontificatus noſtri anno ij.. Intrauit autem prædictus Miles Ordinem Prædicatorum, & etiam filius eius poſt eum.

Anno Domini 1271. x. Kalendas Septembris, electus fuit in Pontificem Dominus Gregorius X. vir ſanctus, & iuſtus, poſtquam per triennium fere Cardinales in contentione fuiſſent: & ſedit 4. annis, menſibus 4. & diebus 10. a die electionis. Prima Creatione hic fecit Cardinalem Fratrem Petrum de Tharantaſia Magiſtrum in Theologia, virum doctiſſimum, qui poſtea fuit Summus Pontifex. Hoc tempore in Ordine Prædicatorum plurimæ fulſerunt præclariſſimæ ſtellæ, tam in ſanctitate vitæ, quam doctrinæ amplitudine, vltra eos qui ſupra nominati ſunt. Quorum primus fuit Frater Petrus de Tharantaſia prædictus qui ſcripſit.

Poſtillas ſuper Geneſim.
Super Leuiticum.
Super Deuteronomium.
Super omnes Epiſtolas Diui Pauli.
Super 4. Sententiarum Libros.
De materia Cæli.
De intellectu, & voluntate.
Super Exodum.
Super Numeros.
In Lucam.
Super Pſalmos.
De Vnitate formarum.
De æternitate mundi.

Huius

Huius contemporaneus fuit Fr. Ægidius de Liſciuijs, Baccalaureus in Theologia, qui ſcripſit duos libellos *De Vnitate formarum*, & *De immediata viſione Diuinæ eſſentiæ*.

Fr. etiam Vlricus Teutonicus, Baccalaureus in Theologia, ſcripſit *ſuper librum Metheorum*, *ſuper ſententias*, & *ſummam Theologiæ* magnam, & ſubtilem.

Frater Geraldus Midenſis, Baccalaureus in Theologia, ſcripſit *ſuper Metaphyſicam*, & *ſuper Eccleſiaſten.*

Fr. Theodoricus de Friburgo, Magiſter in Theologia, ſcripſit *De origine Prædicamentorum. De tempore. De Iride. De menſuris rerum. De defenſione priuilegiorum Ordinis. De tribus difficilibus. De quidditatibus rerum. De generatione lucis. De viſione beatifica*.

Fr. Ioannes Pariſienſis Magiſter in Theologia, ſcripſit *ſuper 4 libros ſententiarum*. Item librum *de Iride*, & *contra correctionem Sancti Thomæ*. Item in *libros Metheorum*. *De vnitate eſſe*, & *eſſentiæ*, *De Aduentu Chriſti*, & *Apologeticum*.

Frater Iacobus de Voragine, Archiepiſcopus Ianuenſis, ſcripſit *Legendam Sanctorum abbreuiatam*. Item *Sermones Dominicales*, *Quadrageſimales*, & *de Sanctis per totum annum*, valde bonos, & vtiles, & *Mariale Beatæ Virginis*,

Fr. Ioannes de Friburgo Lector, ſcripſit *Summam Confeſſorum in caſius* valde notabilem. Item *Confeſſionale pro audiendis confeſſionibus*,

Frater Germanus de Minda, Prouincialis Teutoniæ, ſcripſit *De interdicto*, & *inquiſitionibus criminum*, & *epiſtolas ſingulares*.

Frater Ioannes Chriſtophori de Minda, ſcripſit *ſuper quatuor Euangelia*, *ſuper Apoſtolum totum*, *ſuper Canonicas Epiſtolas*, *ſuper librum Elenchorum*, & *ſuper librum de Anima*.

Frater Guilhelmus de Anona Anglicus, Magiſter in Theologia. Hic ſcripſit *Poſtillam ſuper Matthæum*. Item *de decem Virginibus*. Item *ſuper Eccleſiaſten*. Frater Thomas de Suetonia Anglicus, qui ſcripſit *ſuper prædicamenta*, & *ſex principia*. Item compleuit

 ſcri-

ſcriptum Sancti Thomæ *ſuper librum Peribermenias*. Item ſcripſit *ſuper librum Priorum*. Item *de Vnitate formæ*. Item *duo quodlibeta*. Item *De relatione*. Item *Summam Theologiæ*. Item *ſuper Pſalterium*. Item *quæſtiones difficiles pro declaratione dictorum Sancti Thomæ*. Frater Riccardus Clapoel Anglicus, Magiſter in Theologia ſcripſit *ſuper quatuor libros ſententiarum*. Item *contra correctorium Sancti Thomæ*. Item *de vnitate formarum*. Item *de immediata viſione Diuinæ eſſentiæ*.

Eodem tempore Gregorius X. congregauit Concilium Lugdunenſe, ad quod dum properaret Vicarium Papalem in Vrbe, atque in tota Italia eſſe voluit noſtrum Patrem Aldrobrandinum de Caualcantibus pro tunc Epiſcopum Vrbeuetanum: Ad idem Concilium dictus Pontifex, paulo ante hæc tempora vocauit Sanctum Thomam propter eius eminentem ſcientiam. Qui dum de Neapoli Romam accederet, in itinere infirmatus deuotiſſime apud Monaſterium Foſſæ nouæ Ciſtercienſis Ordinis Terracinenſis Diœceſis, ad dominum migrauit, ætatis ſuæ anno 50. inchoante Decimas Kalendas Februarij, & ſepultus fuit in illa Abbatia ſub depoſito tamen, cuius Abbatiæ conſanguinei eius erant patroni, multis miraculis clariſſimus.

In eo Concilio vidit omnis Eccleſia Dei, gloriam Ordinis noſtri, dum inter tot diuerſos infulatos 33. Præſules ex Prædicatoribus numerabantur. Eadem ætate floruerunt inclytæ Virgines Ordinis noſtri Beata Helena de Hungaria, quæ habuit quinque ſtigmata Chriſti, & magnæ perfectionis in Hungaria ſanctimonialis Ordinis Prædicatorum fuit: & eius diſcipula Beata Margarita Regis Hungariæ filia, ſimiliter Sanctimonialis mirabilibus virtutibus refulſit.

Mortuo Gregrio X. creatus eſt Pontifex cum ſumma Ordinis noſtri gloria anno 1276. xiij. Kal Febr. Dominus Innocentius Papa V. natione Burgundus, antea Frater Petrus Cardinalis de Tharantaſia vocatus, Archiepiſc. Lugdunen. poſtea Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus, ac S. R. E. Maior Pœnitentiarius, de quo ſupra dictum eſt.

Hic

Hic ſedit tantum menſibus 5. & diebus 2. Sepultus Romæ in Eccleſia Lateranenſi.

Eodem anno 10. Kalendas Iunii electus fuit in Papam Adrianus Quintus patria Genuenſis, qui nonniſi menſe 1. & diebus 7. in Pontificatu ſuperuixit: obijt Viterbij non conſecratus, nec coronatus. Illi ſucceſſit Dominus Ioannes Papa Vigeſimoprimo Luſitanus, qui ſedit menſibus 8., & diebus 8. Contigit poſtmodum Pontificatus Dominum Nicolaum Tertium patria Romarum, de familia Vrſini: hic electus anno 1277. 8. Kalendas Decembris, ſedit annis 2. menſibus 8. diebus 29. tdem Pontifex prima creatione, ex Ordine Prædicatorum 2. Cardinales creauit: primus fuit, nepos Pontificis, vocatus Frater Latinus de Frangipanis, vel Malabranca. Magiſter in Theologia, ac Generalis Inquiſitor, demum Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, vir maxima pollens facundia, ac Concionator eximius, qui Apoſtolicæ Sedis Legatus miſſus fuit in Tuſciam ad Florentinos pro pace ſtabilienda. Cumque in Cardinalatu annis 17. ſuperuixiſſet, obiit anno 1394. 4. idus Auguſti, ſepultus Romæ ad MIneruam.

Alter Cardinalis a Domino Nicolao Papa Tertio eodem tempore creatus fuit, Frater Robertus Kiluuarbius, natione Anglus, Doctor Pariſienſis, Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Angliæ Primas, ac tandem Cardinalis Sanctæ Rufinæ, & Epiſcopus Portuenſis, vir Theologicis, ac Philoſophicis ſtudiis clarus, qui ſcripſit:

Opuſcula de Sacram. Altaris.
De Vnitate Formarum.
Super Philoſophiam, & Metaphiſicam Ariſtotelis.
Sophyſticam Logicalem, & Grammaticalem.
Super Ezechielem.
De Conſcientia, & Syndereſi.
De Anima, & cauſis Animæ.
Diſtinctiones Doctorum.
Quodlibeta plurima.
De pincipio Scientiarum.
Super quatuor Libros Senten.
Super Boetium.
Super Priſcanum minorem.
De modo ſignificandi.
Super Confeſſ. S. Auguſtini.
Super Epiſtolas Diui Pauli.
De differentia ſpiritus, & animæ, ac Commentaria Theol-

Obtulerat etiam idem Pontifex Ioanni Vercellenſi Ordinis Magiſtro, Patriarcatum Hieroſolymitanum, cui dignitati cum ille ſponte, & ultro renunciaſſet, coactus eſt in Generalatu perſeuerare, vſque ad annum 1383. quo obijt apud Montem Peſulanum in Gallijs 3. Kalendas Decembris, poſt inſumptos in regimine Ordinis annos 20. cum dimid. multoſque pro Eccleſia Dei exantlatos labores.

CAPVT IV.

De Fr. Munione Zamorenſi, VII. Ordinis Generali; aliiſque quatuor Magiſtris, in Officio Generalatus illi ſuccedentibus.

DEfuncto Nicolao Pontifice, poſt ſemeſtrem Sedis Apoſtolicæ vacationem, electus eſt in Papam Martinus Quartus natione Gallus, anno 1281. 8. Kalendas Martij: qui cum ſediſſet annis 4. menſe 1. & diebus 7. obijt Peruſij.

Quatriduo poſt Martini Quarti obitum, denunciatus eſt Pontifex Maximus anno 1285. nonis Aprilis Dominus Honorius Quartus natione Romanus, gente Sabella, ſeditque annis 2., & 2. diebus. Eodem etiam anno electus eſt in Magiſtrum Ordinis vij. in Capitulo Generali Bononienſi, Frater Munio Zamorenſis, Prouincialis Hiſpaniæ, vir magni animi, & patientiæ ſingularis in aduerſis. Hic Magiſter Regulam Fratrum, & Sororum *de Pænitentia Beati Dominici* dictauit, quam nunc habent, & quam Honorius Quartus confirmauit: cum prius ſub quibuſdam conſuetudinibus a Sancto Patre Dominico eis traditis viuerent; & Ordinem illum plurimum auxit, & gratijs communiuit. Circa idem tempus felici fine quieuit Beatus Ambroſius Sanſedonius Senenſis.

ſis, ſanctitate, prædicationibus, miraculiſque conſpicuus.

Anno Domini 1288. 8. Kalendas Martij renunciatus eſt Summus Pontifex Nicolaus Quartus ex Ordine Minorum, (poſtquam Cathedra Petri vacauit menſibus 10., & diebus 18.) Seditque annis 4. menſe 1. diebus 14. Hic Pontifex Magiſtrum Munionem, iam per ſex annos in Generalatu exiſtentem abſolui, toto Ordine reclamante. Hanc tamen irrogatam Ordini iniuriam compenſauit, tum varijs honoribus, gratijs, & priuilegijs, tum promouendo ad Purpuram Fratrem Hugonem Seguin, Natione Gallum de Billiomo, Archiepiſcopum Lugdunenſem, quem fecit Cardinalem tituli Sanctæ Sabinæ, anno 1288. eumque poſtea Cœleſtinus V. Nicolai ſucceſſor, Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternis adſcripſit. Virum in Theologicis verſatiſſimum, qui in lucem edidit:

In 4. Libros Sententiarum.
De immediata viſione Diuinæ eſſentiæ.
Sermones plures.
Commentaria in Threnos Ieremiæ.
Contra Corruptorium S. Thomæ:

Eodem tempore Henricus de Gandauo, qui Doctor ſolemnis appellatur Pariſius, & Frater Iacobus de Viterbio Ordinis Eremitarum, & Magiſter Godifridus de Fontibus, multa conſcripſerunt, quibus lucidiſſimam, ac veridicam Sancti Thomæ doctrinam impugnare niſi ſunt. Contra quos ſuſcitauit Dominus ſpiritum glorioſum Doctorum Ordinis Prædicatorum, qui doctrinam impugnatam glorioſius defenſarent, fundarent, & declararent. Quorum primus fuit Robertus Oxford Anglicus, qui contra Henricum de Gandauo ſcripſit in his, in quibus vult impugnare Sanctum Thomam. Item contra primum Ægidij, vbi aduerſatur doctrinæ Sancti Thomæ. Frater Bernardus Baccalaureus in Theologia, ſcripſit contra Henricum. Item contra Godefridum de Fontibus, & contra Iacobum Viterbienſem Auguſtinianum, in his, quibus impugnant Sanctum Thomam. Idem ſcripſit *ſuper quatuor Libros Sententiarum*. Frater Guilhelmus de Maſſet Anglicus, Magiſter in Theologia, ſcripſit contra Henricum de Gandauo, vbi S. Thomam

mam impugnare conatur. Item *contra Correctorium corruptorij*. Item *quæſtiones de Angelis*.

Depoſitione facta Magiſtri Munionis, celebratum eſt Capitulum Generale Romæ anno 1292. quo electus fuit in Magiſtrum Ordinis octauum Frater Stephanus Biſuntinus Burgundus, Doctor Pariſienſis. Hic Ordinem rexit in virga ferrea, in obſeruantia Regularis diſciplinæ peruigil, a licentijs, & diſpenſationibus omnino abſtinens. Præfuit Ordini annis 2. cum dimidio, obijt deinde in Conuentu Lucienſi anno 1295. Scripſit autem *ſuper Eccleſiaſten*. Item libellum. *de autboritatibus Sanctorum, & Philoſophorum*. Item librum *exemplorum per alphabetum narrationum*. Item *Poſtillam ſuper Apocalypſim*. Huius temporibus fuerunt Viri literati multi in Ordine Prædicatorum, inter quos fuit Frater Bernardus de Trilia Gallus Nemauſenſis, Magiſter ſacræ Theologiæ, qui ſcripſit:

Poſtillas ſuper Eccleſiaſten.
Tria Quodlibeta.
Quæſtiones de Spiritualibus creaturis.
Quæſtiones de differentia eſſe, & eſſentiæ.
Quæſtiones de potentia Dei.
Super librum Sapientiæ.
Quæſtiones de anima coniuncta.
Quæſtiones de anima ſeparata.
Queſtiones ſuper totam Aſtrologiam.

Frater Oliuerius Brito, Magiſter ſacræ Theologiæ, ſcripſit *ſuper quatuor libros Sententiarum, & ſuper librum Elenchorum*.

Frater Nicolaus de Gorram, Prouincialis Franciæ, & Confeſſarius Regis Philippi, ſcripſit *Poſtillas ſuper Eccleſiaſticum. Super canonicas Epiſtolas. Super Mattheum, & Lucam. Super totum Apoſtolum. Super Pſalterium. Super Apocalypſim*. Item *diſtinctiones, & themata*.

Hoc anno obijt Frater Robertus Domus, Auenionenſis, genere nobilis, ſed ſanctitate nobilior, qui prædixit peſtilentiam futuram ante annos triginta, quam cæperit: quæ ſecuta eſt infallibiliter, ſicut prædixit. Prædixit etiam prophetice multa alia, quæ completa ſunt ex magna parte; claruit autem multis miraculis in vita, & in morte. Inter cætera autem, cum ſacrum eius Corpus ad ſepul-

pulchrum differetur, Diuina virtute ita in altum eleuatum eſt, quod Subdiaconus cum Cruce non potuit ipſum tangere, & ſic eleuatum diuinitus delatum eſt vſque ad ſepulchrum.

Anno Domini 1293. mortuo Nicolao Papa IV. poſt diuturnum Apoſtolicæ Sedis interregnum, procurante Fratre Latino Cardinali noſtri Ordinis, electus eſt ex eremo Sanctus Cœleſtinus V. in Pontificem Maximum, qui ſolus ſine exemplo poſt menſes 5. dies 7. Papatui renunciauit. In huius locum ſucceſſit Benedictus Caietanus, qui ſibi Bonifacii Octaui nomen accepit: ſeditque annis 8. menſibus 9. diebus 28.

Hic obiter tantum inſinuare ſufficiat, quod anno 1296. in Capitulo Generali Argentinenſi electus fuit in Magiſtrum Ordinis ix. Frater Nicolaus Boccaſinus de Taruiſio, Prouincialis Lombardiæ: cuius præclara geſta, vitæ ſanctimonia, honoreſque, quibus tam intra, quam extra Religionem cumulatus reſplenduit, ad Summum vſque Pontificiæ dignitatis apicem euectus; oblongiori narratione toto Capitulo ſequenti recenſentur. Poſt Nicolaum Taruiſium, electus fuit in Magiſtrum Ordinis x. Frater Albertus Clauaro Ianuenſis anno Iubilæi 1300. in Capitulo Generali Maſſiliæ congregato. Hic fuit Baccalaureus Pariſienſis in Theologia, vir doctiſſimus, ac Regularis obſeruantiæ ſectator feruidus. Præfuit Ordini menſibus tribus, & tandem 28. menſis Auguſti mortuus eſt in Conuentu Anagniæ. Illo defuncto electus eſt in Magiſtrum Ordinis xj. Frater Bernardus de Iuzico Conuentus Burdigalenſis, pro tunc Prouincialis Prouinciæ, anno 1301. in Capitulo Generali Colonienſi: qui cum Ordini præfuiſſet duobus annis, & menſibus 4. & celebraſſet duo Capitula Generalia, alterum Bononiæ, Biſuntij alterum, completo hoc ſecundo mortuus eſt in Conuentu Treuerenſi xv. kalend. Octobris.

CAPVT X.

De Domino Benedicto XI. Pontifice Maximo, alias P. Nicolao Boccaſino de Taruiſio, Ordinis Prædicatorum.

ANnus Domini 1303. felix, fauſtuſque illuxit Prædicatorum Ordini, dum Orbi, atque Eccleſiæ dedit ſecundum Pontificem Maximum Patrem Nicolaum Boccaſinum de Taruiſio, olim Ordinis Generalem, & poſt Cardinalem Oſtienſem, qui poſt mortem Bonifacij Papæ VIII. electus eſt in Pontificem maximum 12 kalendas Nouembris, & appellatus Benenedictus XI. De eo ex Chronico Ordinis Frater Guidonis ſic habetur.

Eadem Romana Eccleſia geminata lætitia gratulatur ſe habuiſſe Præſulem, & Paſtorem Dominum Benedictum XI. qui prius dictus eſt Frater Nicolaus de Taruiſio. Hic 14. ætatis ſuæ anno Prædicatorum Ordinem eſt ingreſſus, in quo 14. annis primis ſtuduit, & laudabiliter profecit, & in alijs 14. annis ſequentibus exercuit officium Lectoris, & 14 annis aliis in Prælationis officio in Ordine laborauit. Hic Prior Prouincialis Lombardiæ exiſtens, factus fuit Magiſter Ordinis in Caputulo Generali Argentinæ anno Domini 1296., vt iam ſupra inſinuatum eſt. Hic præfuit in Magiſterio annis duobus cum dimidio in pace, & humilitate, & æquitate magna, magnus amator communitatis.

Celebrauit duo Generalia Capitula, creuitque ſub illo Prouinciarum numerus; ita vt, cum prius nonniſi 12. fuiſſent; multiplicatæ tunc fuerunt ad 18. Deinde creſcentibus eius meritis, & præconijs claræ famæ, vocatus eſt de Magiſterio ad Cardinalatus titulum, & honorem, per Dominum Bonifacium Papam Octauum dum eſſet ipſe in Prouincia Prouinciæ. Cui per nuncios Domini

Bo-

D. Bonifacius Papa infraſcriptas direxit litteras Apoſtolicas videlicet: *B nifacius Epiſcopus ſeruus ſervorum Dei. Dilecto filio Fratri Nicolao de Taruiſio, quondam Magiſtro Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem aſſumpto, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Inter cæteros Ordines in agro plantatos Dominico ſacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem dileximus hactenus, & diligere non ceſſamus, ad ea, quæ proſperum ſtatum eius ſuique honoris incrementa reſpiciunt, paternis ſtudijs intendentes: Volentes itaque perſonam tuam, quam laudabilis fama refert ac fide digna clamat aſſertio, claris virtutum inſignijs decoratam, & in te præfatum Ordinem multipliciter honorare: te nuper de Fratrum noſtrorum conſilio, in Presbyterum Cardinalem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ duximus aſſumendum. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus a Domino prompta deuotione ſuſcipiens, te ſubmoto dilationis obſtaculo præpares, ad noſtram præſentiam quantocyus acceſſurus. Datum Reatæ Nonis Decembris, Pontificatus noſtri anno quarto.*

Præfatam litteram cum Bulla recipit ipſe Dominus Nicolaus in Leſinhano prope Narbonam, & ſequenti mane intrauit Narbonam. Et in Capitulo Fratrum, præſentibus Fratribus, & Dominis Ciuitatis, & multis ſolemnibus Viris, fecit legi litteras Apoſtolicas, & Renunciauit Magiſterio Ordinis lacrymabiliter, & Cardinalatum acceptauit.

Hic igitur primo Cardinalis Presbyter fuit tituli Sanctæ Sabinæ, & poſtmodum translatus fuit ad Epiſſcopatum Hoſtienſem, in quibus dignitatibus manſit quaſi annis quinque. Tandem mortuo Bonifacio VIII. factus eſt Summus Pontifex, & Benedictus XI. fuit appellatus. In quo Pontificatu vixit menſibus 8. diebus 6. & migrauit e vita Peruſij 1304. Nonas Iulij, die Martis, hora, quaſi nona omnibus Eccleſiaſticis Sacramentis devote ſuſceptis; & ſepultus fuit in Eccleſia Fratrum Prædicatorum ibidem ante Altare ſub ter-

terra, ſicut ipſe mandauit, dum adhuc viueret, ne in alto poneretur, ſed ſub terra, ex magna humilitate quam habebat. Et licet modico tempore vixerit, multa tamen bona fecit, & meliora ſperabantur. Nam Conſtitutionem Bonifacij de ſepulturis reuocauit tanquam nimis rigidam, & aliam fecit, quæ incipit: *Inter cunctas, ad fauorem Religioſorum, &c.* Præterea duos Cardinales ex Columnenſibus reconciliauit, quos Bonifacius acriter fuerat perſecutus. Hic etiam fecit ſucceſſiue tres Cardinales de Ordine Prædicatorum, videlicet; Fratrem Nicolaum de Albertinis ex Comitibus de Prato, virum inſignis litteraturæ, ac vitæ ſanctiſſimæ. Item Fratrem Guilhelmum Maresfeldium natione Anglicum, Baccalaureum Pariſienſem, egregium Philoſophum, Theologum; ſed eo ante promotionem inſcio Pontifice mortuo, alium ſuffecit, nimirum Fratrem Gualterum Vuinkerburnum etiam Anglum natione, Eduardi primi Anglorum Regis Confeſſarium. Horum Cardinalium primus videlicet Frater Nicolaus Pratenſis antequam aſſumeretur ad Purpuram, fuit primo Prouincialis Romanus, mox totius Ordinis Procurator, tandem Spoletanus Epiſcopus, ac Romanæ Vrbis Vicarius. Claruit etiam Legationibus ad Philippum Galliæ, & Odoardum Brittaniæ Reges, vt illos bello certantes, eloquentia ſua, qua plurimum pollebat, pacaret, quod & effecit. Superuixit in Cardinalatu annis 19. erexitque in Patria Cœnobia, duo, unum Fratribus Prædicatoribus, aliud S. Nicolai Monialibus. Reſtaurauit quoque Cœnobium Piſtorienſe S. Dominico ſacrum, & aliud Auenione conſtruxit, in quo & vitam finiuit, anno noſtræ ſalutis 1321. ibidem ſepultus. Scripſit doctiſſime *De Paradiſo*, & *De Pontificalium Comitiorum habendarum ratione*. Cardinalis etiam Gualterus ſupranominatus Orator, ac Poeta inſignis, necnon Philoſophus, ac Theologus, ſcripſit *Libros tres Summæ Theologiæ*. *Librum vnum de peccato Originali*. *Librum Quæſtionum Theologicarum*. *Librum Sermonum*, quos habuerat coram Odoardo Anglorum Rege. *Super Libros Sen-*

Sententiarum : & nonnulla alia . Obijt Ianuæ octuagenario maior anno 1305 die 24. Septembris , ibidem ſepultus apud Fratres Prædicatores .

Circa hæc tempora Ordo Fratrum Servorum Beatæ Mariæ , qui dicitur ortum habuiſſe a Beatiſſimo Petro Martyre Ordinis noſtri (licet alij dicant , quod non originem habuit ab eo , ſed magnum incrementum receperit) a Domino Benedicto XI. Ordinis Fratrum Prædicatorum , fuit confirmatus , ob magnam deuotionem , quam ad ipſum Martyrem glorioſum habebat . Ipſe quoque primus iuſſit fieri Feſtum Impreſſionis Stigmatum in corpore Sancti Franciſci . Et quia ſicuti ſcriptum eſt: *Qui ſe humiliat exaltabitur* , quia iſte Sanctus Pontifex ſe valde humiliauerat , adeo poſt mortem eius adiecit Dominus eum magnificare ſuper terram , coruſcatione miraculorum ; vt per hoc oſtenderet , quod felix viueret in excelſis . Quædam hic inferius annotaui , prout accepi ex litteris fide dignorum in Curia exiſtentium , qui viſu , vel auditu de eis certius potuerunt informari , & quædam ex eis poſtmodum audiui relatione plurium confirmari . Quæ quidem breuiter , & ſummatim ponam , dimiſſa omni hiſtoriæ longitudine .

Ipſa die obitus Beati Benedicti Papæ , qua ſancta illa anima Cœlum conſcendiſſe credita eſt , tantus fuit concurſus populorum circa corpus eius in palatio adhuc poſitum , venientium ad pedum oſcula Beatorum , & in craſtinum in Eccleſia Fratrum Prædicatorum , dum Officium cantaretur ; & ſuper ſepulcrum , ipſo etiam tumulato , quod preſſura gentium a nemine potuit cohiberi . Cœperuntque varijs languoribus laborantes , Beati Benedicti Papæ ſuffragium implorare , moxque Diuinam adeſſe virtutem percipere , & ſentire . Mater cuiuſdam Fratris Ordinis Prædicatorum , quæ per 14. annos continuos dolorem capitis continuum ſuſtinuerat , deuote ſe illi deuouens , protinus eſt curata . Homo quidam filium habens paruulum , qui tribus diebus ſine cibo , &

potu

potu fuerat, de vita ipſius pueri quaſi deſperatus, ad ſepulcrum Beati Benedicti eundem attulit. Et quia tulit cum Reguli, ac Centurionis fide, & devotione, quærens ſalutem filij, ſtatim Beati Benedicti meritis ſanitatem recepit: & per ſe in Eccleſia deambulare cœpit, qui prius fuerat deportatus. Mulier quædam brachium alterum curuum, & quaſi aridum habebat, cum quo nihil agere poterat: quæ benedictionis, & ſalutis ibidem petens auxilium, a Benedicto Domini protinus eſt curata: ita quod ſic cum eo, ſicut cum altero omnia poterat operari. Quædam etiam mulier, & quidam puer penitus nil videntes, ad Benedicti ſepulcrum perducti, ſtatim fuerunt eius meritis ad lumen priſtinum reſtituti. Quidam Domicellus Vicecancellarij impotens factus in vno brachio, audiens tanta miracula Beati Benedicti Papæ meritis diuinitus perpetrari, cum fide, & devotione ad eius ſepulcrum veniens, fuit ibidem continuo liberatus. Quandam mulierem a fluxu ſanguinis, quem per annum paſſa fuerat, liberauit. Puerum vnum ad ambulandum penitus impotentem in pedibus, & tibijs, & retro, iam multis annis, ibidem ſuis meritis inſtaurauit, & greſſum reddidit, præſente populo, & teſtimonium perhibente. Quædam mulier dæmoniaca ad ſepulcrum Beati Benedicti Papæ adducta fuit, ijſdem diebus paulo poſt ipſius tumulationem, quam diabolus multum vexabat, & torquebat, & vociferare præ anguſtia miſerabiliter compellebat. In qua diabolus mulieris vtens labijs latinum congrue, admirantibus audientibus, loquebatur. Muliere igitur iuxta ſepulcrum poſita, vnus Frater Prædicator, præſentibus omnibus, qui aderant, Clericis, & laicis in multitudine copioſa, & duobus Fratribus Minoribus, incepit dœmonem adiurare, dicens: Adiuro te ex parte Dei, & Serui ſui Papæ Benedicti, vt exeas inde, & dimittas iſtam mulierem. Tunc reſpondit dæmon verbis latinis: Quomodo credis, quod Benedictus me hinc expellet, cum Franciſcus me non potuerit expellere?

Præ-

Prædicta namque mulier prius adducta fuerat Aſſiſium ad B. Franciſci tumulum. Tunc Frater dixit: Scio: quod vterque habet poteſtatem a Deo expellendi te, ſed Deus poteſt iſtam gratiam reſeruare Sancto Papæ Benedicto, quam non fecit Sancto Franciſco hac vice. Tum dixit dæmon: Rogo te, vt non vexes me amplius, nec infeſtes, quia per 16. annos in hac muliere manſi: & iterato cœpit Frater eum adiurare ex parte B. Papæ Benedicti, vt prius, & dicere Euangelium ſecundum Ioannem: *In principio erat Verbum*. Cumque perueniſſet ad finem, & dixiſſet: *Et Verbum caro factum eſt*: continuo exiuit diabolus, & dimiſit mulierem ita conquaſſatam, & vexatam, quod multo tempore nihil potuerit loqui. Poſtquam autem reſpirauit, viribus aliqualiter jam reſumptis, devote laudes, & gratias egit Deo, & Sancto Benedicto; nec vlterius locuta eſt latinum, quod non didicerat, nec ſciebat, nec recordata eſt, quod vnquam taliter fuerit locuta, ſed cum ſibi dicebatur de hoc plurimum mirabatur.

O R A T I O.

Deus, qui Beatum Benedictum Pontificem tuum benedictionis tuæ gratia ſubleuaſti ad Cœlum: populum tuum quæſumus noua benedictione gratiæ tuæ ſanctifica; & a cunctis malis imminentibus eius meritis, & precibus, tua nos virtute defende. Per Chriſtum.

C A P V T XI.

De Fratre Aymerico Placentino XII. Ordinis Generali: Alijſque duobus Magiſtris, in Officio Generalatus eidem ſuccedentibus.

ANno Domini 1304. electus eſt in Magiſtrum Ordinis XII. in Capitulo Generali Toloſano Frater

Aymericus Placentinus, Lombardus, Prouincialis Græciæ, vir doctus, qui, & Bononiæ, & alibi 23. annorum ſpatio docuit. Hic ſtudiorum, & litteratorum amatiſſimus, ordinauit inter alia, vt in ſingulis Provincijs ſpecialis Conuentus deſignaretur, in quo tres Linguæ, Latina videlicet, Græca, & Hebraica docerentur. Completo demum Magiſterij ſui ſeptennio, ſponte officio ceſſit; pluribuſque poſt annis ſuperueniens, tandem Bononiæ anno 1327. die 12. Aprilis diem clauſit extremum, ibidem ſepultus.

Anno 1305. poſt mortem Benedicti Papæ XI. & longam Cardinalium per menſes xi. contentionem, eligitur in Papam Clemens V. noſtri Cardinalis Nicolai Pratenſis opera, & ſagacitate. Sedit annos 8. menſes 10. dies 16. Hic tranſtulit Curiam vltra montes, in Galliam ſcilicet: quæ ibidem remanſit annis 70. vſque ad Pontificatum Gregorij XI. qui Diuina reuelatione per Sanctam Catharinam Senenſem ſibi facta, Curiam in Vrbem reduxit. Sub hoc Pontifice celebrata eſt Synodus Generalis Viennæ Allobrogum, in eaque damnati ſunt Templarij, Prædicatorum opera, in ſeſſ. 2. xi. Kalendas Aprilis.

Idem Pontifex ex Ordine Prædicatorum tres Cardinales creauit ſucceſſiue, nimirum prima Creatione anno 1305. Pontificatus ſui anno primo, creauit Cardinalem tituli Sanctæ Sabinæ Fratrem Thomam Ioſſium Anglum, olim Beati Alberti Magni, vna cum S. Thoma de Aquino diſcipulum, Prouincialem Angliæ, ac Odoardi Anglorum Regis Confeſſarium. Item tituli Sancti Euſebij fecit Cardinalem Fr. Nicolaum de Farinula natione Gallum, Philippi Pulchri Galliarum Regis Conſiliarium, ac Confeſſarium. Horum duorum Cardinalium primus, vti erat vir eruditionis eminentia plane admirandus, ſcripſit.

Super 4. Libros Sententiarum.
Poſtillam in Pſalterium.
Sermones in annum.
De Doctrina Scholarium.
De Conceptione B. M. V.
In Geneſim Commentaria.
Super Boetium de Cōſolatione
Contra Ioannem Scotum.

De

De concordantia Librorum S. Thomæ Aquinat.
Poſtillas in Prouerb. Salamon.
In Cantica Canticorum.
In Libros S. Auguſtini de Ciuitate Dei.
Aduerſus Iconoclaſtas.
Quodlibeta.
Quæſtiones Theologicas.
De ſtatu animarum poſt mortem.

E vita exceſſit apud Allobroges in Legatione ad Henricum Imperatorem die 13. Decembris anno 1310. ſepultus in Cœnobio Oxomenſi Fratrum Prædicatorum. Cardinalis autem Farinula deceſſit Lugduni, ibique apud ſuos Prædicatores ſepultus anno 1323. Cardinalatus 18. Reliquit compoſitos, ac conſcriptos *Sermones plurimos*, & *Rituales Libros*. Tertia deinde Creatione idem Pontifex Clemens V. euexit ad Cardinalatum tituli Sanctæ Cæciliæ Fratrem Gailhelmum Godin, natione Gallum, Doctorem Pariſienſem, Virum ingenij admirandi, qui poſtmodum a Ioanne Papa XXII. renunciatus fuit Epiſcopus Sabinenſis. Hic ab omnibus habebatur magnus Ordinis Prædicatorum parens, vtpote de illo optime meritus. Cœnobia quinque Diuo Dominico ſacra ædificauit, & tres Eccleſias Fratribus ſui Ordinis erexit, vnam Auenione, alteram Toloſæ, tertiam Baione. Scripſit *de Nuptijs Chriſti Domini, & Eccleſiæ*. Item *Confeſſiones, & Priuilegia Romanæ Eccleſiæ, ſermones quoque permultos*. Iura naturæ perſoluit Auenione, ibidemque apud Fratres Prædicatores ſepultus anno 1336. pridie Idus Iunij, Cardinalatus anno 24.

Anno Domini 1312. in Capitulo Generali Carcaſſonenſi, electus eſt in Magiſtrum Ordinis XIII. Fratre Berengarius de Rodex, Prouincialis Toloſanus, ac Vicarius Ordinis. Hic præfuit Ordini annis quinque, ac totidem Generalia Capitula celebrauit. Miſſus fuit a Ioanne XXII. Pontifice (de quo mox infra dicemus) Apoſtolicus Legatus ad Regem Galliæ, ac paulo poſt ab eodem Pontifice ad Archiepiſcopatum Compoſtellanum aſſumptus; quem acceptans, onus Magiſterij depoſuit. Poſt Generalatum ſuperuixit Be-

rengarius aliquot annos, ac tandem dum præſens adeſſet in exercitu Chriſtiano, contra Saracenos dimicante, lethali vulnere confoſſus, in Conuentu Cordubenſi ſpiritum Deo reddidit anno 1325.

Claruerunt his temporibus Doctores inſignes in Ordine, Fr. Albertus de Brixia Doctor præcipuus, cui reuelata fuit a Divo Auguſtino gloria Sancti Thomæ illis verbis: *Thomas mihi par eſt in gloria, virginali præſtans munditia*. Hic cum eſſet apprime doctus, *Summam de Officio Sacerdotis* valde vtilem, & bonam compilauit, & dies ſuos in ſanctitate vitæ, & commendatione S. Thomæ compleuit. Item Frater Robertus Holkcot Anglicus, qui ſcripſit.

Super Librum Sapientiæ. Item *Moralitates pulchras.* *Super 7. prima Capitula Eccleſiaſtici.*

Floruit quoque Frater Ioannes de Sancto Geminiano, qui Sermones pulcherrimos conſcripſit *de Tempore, tam pro Dominicis, & Ferijs Quadrageſimæ*, quam etiam *de Sanctis, & pro Defunctis ad omnem ſtatum*. Item ſcripſit *Librum de Similitudinibus*. Frater Hugo de Prato compoſuit *Sermones Dominicales, & Quadrageſimales, ac communes pro diuerſis ſolemnitatibus*. Frater Henricus de Arimino compilauit egregie *Summam de quatuor Virtutibus*. Fr. Gratiadeus de Aſculo, qui in *Logica, & Philoſophia* multa compoſuit. Frater etiam Dominicus Gronier de Conuentu Toloſano, Doctor Pariſienſis, qui ex Magiſtro Sacri Palatij creatus fuit Epiſcopus Appamienſis, *in Diuinam Scripturam commentaria magna* dictauit. Circa hæc quoque tempora floruerunt Frater Bartholomæus, & Frater Raynerius vterque Piſanus, quorum primus *Summam Piſanam*, & nonnulla alia volumina, alter vero *Summam magnam Theologiæ* compilauerunt.

Tempore dicti Berengarij Magiſtri Ordinis, obijt Foroliuij anno 1314. Beatus Iacobus Salomonius Venetus annum ætatis agens 83. Hic, dum viueret, multis virtutibus, & gratijs adornatus, omnibus exemplar ſanctitatis fuit: poſt mortem vero magnificis continue miraculis coru-

coruſcauit, & coruſcat. Hunc ſecuta eſt ad gloriam anno 1317. Beata Agnes de Monte Politiano, Virgo Deo dilectiſſima, miraculis innumeris effulgens. Cuius Corpus venerabile aliquando liquorem ſudat, valentem ad multorum ſalutem, qui deuote ad eam accedunt. Corpus eius nunquam ſepultum fuit, ſed nec humanitus perunctum: ſed ſolo liquore ex ſe defluente, ita eſt conſeruatum; vt integrum adhuc per omnia perſeueret. Huius ſanctæ Virginis admirabilem vitam Magiſter Raymundus de Capua diligenter conſcripſit.

Clementis V. Papæ corpore Carpenctorati ſepulto, poſtquam Apoſtolica Sedes annis duobus, & vltra ſuo viduata Paſtore manſiſſet, tandem anno 1316. eligitur, & conſecratur in Conuentu Lugdunenſi Fratrum Prædicatorum Ioannes Papa XXII. ſeditque annis 18. menſibus tribus, diebus 28.

Biennio poſt hanc Pontificis electionem, ſecuta eſt electio Fratris Heruei Natalis Armoricis Britanni in Decimoquarto Magiſtrum Generalem Ordinis, in Capitulo Lugdunenſi anno 1318. Fuit Herueus, dum aſſumeretur ad Generalatum Vicarius Generalis Ordinis, Prouincialiſque Franciæ: eratque præſtantiſſimi ingenij vir, Doctor Pariſienſis, communitque voce omnium ſui temporis ſapientiſſimus habebatur. Multa ſubtiliter ſcripſit tam in Phyſicis, quam in Theologicis, doctrinam Diui Thomæ acerrime propugnando contra Henricum Gandauenſem, & Durandum Scripſit proinde:

Super 4. libros Sententiarum.
Super 8. Quodlibeta.
De Verbo.
De peccato Originali.
De Beatitudine.
De ordine ſecundæ intentionis ad primam.
De paupertate Chriſti, & Apoſtolorum.
De æternitate Mundi.
De cognitione primi principij.
De virtutibus moralibus.
De ſecundis intentionibus.
De Sacramentis.
De Poteſtate Papæ.

 & plu-

& plura alia Opuſcula. Eodem tempore ſcripſit etiam Frater Durandus ſenior Tractatus diuerſos. Duos *ſuper Sententias*, & *duo Quodlibeta*. Item Tractatum contra Ioannem Vigeſimoſecundo Papam *de Viſione Diuina eſſentiæ*. Aderant quoque his temporibus, & alii Scriptores, videlicet: Frater Nicolaus Triuet Anglus, qui ſcripſit *ſuper Boetium de Conſolatione*. *Super Declamationes Senecæ*, & ſuper Auguſtinum *de Ciuitate Dei*. Fr. Paganus ſcripſit:

Poſtilla ſuper Pentatheucum.
Super Ruth.
Super Regum.
Super Ioſue.
Super Iudicum.
Super Paralepomenon.
Super Eſdram.
Super Tobiam.
Super Parabolas Eccleſiaſten, & Cantica.
Super 4. Prophetas maiores.
Super Nehemiam.
Super Iob.
Super librum Sapientiæ.
Super Pſalterium.
Super Euangelia.
Super Apocalypſim.

Circa hæc tempora, feliciſſime in Cælum euolauit Beata Margarita de Caſtello Virgo, Tertiaria Ordinis noſtri, quæ innumeris a Deo affecta beneficiis, miraculiſque clariſſima, migrauit e vita anno 1320. die xiij. Aprilis ætatis ſuæ anno 33. Cuius Corpus adhunc integrum, & incorruptum in eadem Ciuitate apud Fratres Prædicatores, cunctis viſendum patentur oſtenditur.

Contigit autem anno 1323. die 29. Iulij, vt Sancti Thomas Aquinam procurante idipſum Magiſtro Generali Herueo, a Ioanne Vigeſimoſecundo Pontifice inter Sanctos reponeretur annis 50. a ſuo obitu: peracto ſolemni Canonizationis ritu in Eccleſia Cathedrali Aueniohenſi, aſſiſtentibus huic functioni Rege, & Regina Franciæ, & Rege Siciliæ. Quamprimum enim prædictus Pontifex famam, miraculorum, vitæ, doctrinæ Sancti Thomæ ſubaudiuit, deputauit ſolemnes Inquiſitores, qui inquirerent de prædictorum veritate: omnibuſque canonice probatis, de Prælatorum omnium tunc in Curia exiſtentium conſilio, & aſſenſu, eum Sanctorum Confeſſorum Cathalogo adſcri-

ſcripſit. In die Canonizationis ipſius prædicauit primo Dominus Papa Ioannes Vigeſimus ſecundus in palatio ſuo, aſſumpto themate: *Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum*: & in eo mirabiles commendationes dixit, tam de Ordine, quam de ipſo Sancto Doctore. Inter alia propalauit hoc, quod Sanctus Thomas, in Ordine noſtro geſſerat vitam Apoſtolorum, qui Ordo nihil habet in proprio, licet habeat, & viuat in communi: ſubiunxitque, quod credebat iſtam eſſe vitam Apoſtolorum: & quod nullus habere t pro malo, quod iſte Sanctus Doctor poſt Apoſtolos, & Doctores primos, plus illuminauit Eccleſiam Dei.

Poſtmodum prædicauit Frater Petrus Graterei. Tertio loco Rex Siciliæ. Quarto loco prædicauit Archiepiſcopus Capuanus vir excellentiſſimus. Quinto loco alius quidam Epiſcopus. Sexto prædicauit Archiepiſcopus Arelatenſis. Septimo Epiſcopus Vintonienſis. Octauo loao prædicauit Epiſcopus Londonenſis de Ordine Minorum. Hi Sermones facti fuerunt idibus Iulij. Poſtea dictus Pontifex 14 Kalendas Auguſti, in feſto Sancti Alexij, Miſſa Cantata, eloquenti Panegyri Sanctum Thomam laudauit, ab hoc themate exorſus: *magnus es tu, & faciens mirabilia*: & tunc vltro per Reges, Reginam, Comitemque, Sancti Seuerini feſta ſunt celebrata, apparatu permagnifico, confluentibus velut agmine facto religioſis, Prælatis, Principibus ad Conuentum Prædicatorum.

Interea Magiſter Generalis Herueus diffluebat præ gaudio, videns lucernam poſitam ſuper candelabrum Eccleſiæ, illudque Simeonis ſæpius ingeminabat; *Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*. Compleuitque Deus deſideria eius: nam poſt paucos dies, nempe 10. Auguſti eiuſdem anni, ſatis ceſſit Narbone, florenti adhuc ætate, poſtquam præfuiſſet Religioni annis 5. & menſibus 3.

Anno ſequenti Canonizationem Sancti Thomæ Aquinatis, Dominus Stephanus Epiſcopus Pariſienſis, de conſilio Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum, ac 23. Magiſtrorum

in Theologia, & 29. Baccalaureorum, quoſdam articulos, qui videbantur tangere doctrinam Sancti Thomæ condemnatos per Vniuerſitatem Pariſienſem, per litteras publicas retractauit. Immo in Indice librorum prohibitorum Concilij Tridentini, reperitur littera L. *Liber continens errores damnatos a facultate Pariſienſi, contra doctrinam Diui Thomæ.* Hæ autem litteræ Epiſcopales reuocatoriæ, in feſto Sancti Thomæ coram Vniuerſitate per ſermonem publicatæ fuerunt, cum omnium gaudio, & lætitia, ad laudem Saluatoris.

C A P V T X I I.

De Fratre Barnaba Vercellenſi XV Ordinis Generali: aliiſque ſeptem Magiſtris, in Officio Generalatus eidem ſuccedentibus.

ANno Domini 1324. in Capitulo Generali Burdigalenſi electus eſt in Magiſtrum Ordinis XV. Frater Barnabas de Vercellis, Prouincialis Lombardiæ ſuperioris, qui Doctor famoſus exiſtens in Iure Canonico Ordinem intrauit, in eoque multis annis docuit. Erat vir aſpectu venerandus, affabilis auditu, geſtu humilis, in obſeruantia aſſiduus, in gratijs concedendis ſatis liberalis. Annis ſeptem, totidem menſibus Ordinem rexit laudabiliter, minus tamen feliciter; nam ſub eo perſecutiones multas, & malas paſſus eſt Ordo a Ludouico Bauaro, hoſte Eccleſiæ. Sed & ipſe Barnabas Generalis pati debuit indignationem Pontificis Ioan. XXII qui eidem reditum ex Hiſpania in Italiam omnino interdixit. Quo exilio dum ſummopere affligeretur, reuerſus in Gallias, Pariſijs quieuit in pace anno 1333. ibidem ſepultus. Celebratis tempore ſui Generalatus ſeptem Capitulis Generalibus.

Acceſſit Ordini noſtro ſub Generalatu Barnabæ Vercellenſis vnus Cardinalis, a præfato Pontifice Ioanne Vigeſimoſecundo creatus Frater Matthæus Vrſinus Romanus ſacræ Theologiæ Magiſter; qui cum prius fuiſſet Prouincialis Romanus, factus fuit poſtea Epiſcopus Agrigentinus, tandem Archiepiſcopus Sipontinus, ac vltimo Præsbyter Cardinalis tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli, ac Epiſcopus Sabinenſis renunciatus fuit, anno Domini 1327. die 18. Septembris. Obijt Auenione anno 1340. xv. kalendas Septembris. Corpus Romam relatum, in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam conditum eſt.

Anno Domini 1333. ſedente adhuc Ioanne Vigeſimoſecundo Pontifice, in Capitulo Generali apud Diuionem in Gallia congregato, aſſumptus eſt in Magiſtrum Ordinis Decimumſextum Frater Hugo de Vanſſeman, Campanus, natione Gallus, Doctor Pariſienſis, Prouincialis Franciæ, ac Ordinis Vicarius, Gubernauit Ordinem annis octo, & vltra, difficillimis ſane temporibus, totidemque Generalia Capitula celebrauit. Obijt Auenione anno Domini 1341. poſt feſtum Sancti Dominici, dum apud Curiam moraretur pro ſedandis grauiſſimis procellis, quibus Ordo noſter agitabatur. Interea Ioannes Pontifex breui ſe moriturum ſentiens, ſuam doctrinam de animabus ſeparatis non videntibus clare Diuinam eſſentiam ante expectationem nouiſſimi iudicij, retractauit, totumque correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiecit. Mortuus anno Domini 1334. nonagenario maior.

Defuncto Ioanne Pontifice, ſucceſſit in locum illius Benedictus Duodecimus ex Ordine Ciſtercienſium, electus Auenione in Conuentu Prædicatorum anno Domini 1334. viij kalendas Ianuarij. Seditque annis ſeptem, menſibus 4. diebus 6. Viuebat hac ætate Frater Venturinus de Bergamo Prædicator excellentiſſimus, qui fructum mirabilem per totam Italiam fecit: adeo, vt innumeras paces fecerit inter capitales inimicos. Et licet iniuſte multas tribulationes patienter ſuſtinuerit

rit, ex ſuſpicionibus Benedicti Papæ; conſolatus tamen ab eius ſucceſſore Clemente Sexto ſanctiſſime obijt in Nigroponte, ſeu Euboea inſula, in Eccleſiaſtico exercitu contra Turcas. Eius quoque præcipue meritis, exemplis, prædicationibus, & miraculis motus creditur ad renunciandum mundo, & Religionem noſtram amplectendam Princeps Delphinatus Imbertus, qui ea conditione inter cœteras Principatum ſuum ceſſit Regi Franciæ, vt deinceps Regni Primogenitus Delphinus diceretur.

Sub Generalatu Hugonis anno Domini 1340. tranſlatum eſt Corpus Sancti Petri Martyris in arcam pretioſiorem, ſumptus exhibente Rege Cypri: præſentibus Archiepiſcopo Mediolani, Ioanne de Vicecomitibus, ac tota nobilitate; nec defuerunt miracula ad inuocationem glorioſi Martyris.

Paulo ante hæc tempora anno videlicet 1339. ex hoc ſeculo migrauit Beata Maria de Venetis, Tertiaria, virtutibus, ac bonis operibus locupletiſſima.

Benedicto XII. Pontifice ex hac vita migrante, paucis mortem eius deflentibus, iterum Cardinales in noſtro Auenionenſi Conuentu pro Conclaui recluſi, ad Pontificatus gloriam deportauere anno Domini 1342. ix. Kalendas Maij, Fratrem Petrum Rogerij, Monachum Benedictinum, qui nomen Clementis Sexti ſibi aſſumpſit. Sedit annis 10. menſibus 7.

Eodem anno, & menſe electus eſt in Magiſtrum Ordinis XVII. in Capitulo Generali apud Carcaſſonam Frater Gerardus de Adaumario, Prouinciæ Toloſanæ, Magiſter in Theologia, & Clementis Sexti Pontificis ex ſorore nepos, vir non minus doctus, quam Religioſus. Vix tribus menſibus præfuit Ordini, nam menſe Septembri eiuſdem anni aſſumptus eſt a dicto Pontifice ſuo auunculo ad Cardinalatum tituli Sanctæ Sabinæ, in qua dignitate duobus tantum annis ſuperuixit, ſepultus Auenione apud Fratres ſuos, vbi & e uiuis abijt.

Anno ſequenti 1343. in Capitulo Generali Pariſijs congregato, electus fuit in Magiſtrum Ordinis XIV.

Fra-

Frater Petrus de Palma, natione Gallus, Patria Biſuntinus, Magiſter Theologiæ, Prouincialis Franciæ, atque Ordinis Vicarius; vir Religionis zelo, prudentiæque virtute prædìtus. Biennio ſuſcepti muneris necdum peracto, moritur Pariſiis Kalen. Martij 1345.

Frater Guarinus de Giaco, Campanus, Doctor Pariſienſis, Prouincialis Franciæ, atque Ordinis Vicarius, eligitur in Magiſtrum Ordinis Decimonono in Capitulo Generali apud Briuam anno 1346. celebrato. Hic vix biennio, & duobus menſibus Ordinem rexit, nam anno 1348. in Conuentu Montis Peſulani deceſſit, peſte percuſſus, quæ per totam Europam ſæuiſſime graſſabatur, prout 30. annis ante prædixerat Pater Robertus Domus Auenionenſis vti ſupra dictum eſt, ad finem Capitis 9.

Anno 1349. electus eſt in Capitulo Generali Barcinonenſi, in Magiſtrum Ordinis Vigeſimo Frater Ioannes de Molendis Lemouienſis, ſacri Palatij Apoſtolici Magiſter, vir doctrina, dono prædicationis, alijſque virtutibus ornatiſſimus. Hic biennio in Generalatus Officio necdum exacto, renunciatus eſt Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Sabinæ, ab eodem Clemente Sexto in qua dignitate vixit vſque ad annum 1353. quo mortuus eſt Auenione die 23. Februarij, ſepultus apud Fratres ſuos. Edidit complures *de tempore, Sanctiſque* ſermones, & Librum *de Reparatione hominis lapſi*.

Vicarius Ordinis a Clemente VI. Pontifice Maximo inſtitutus interea fuit Frater Simon Lingonienſis, Doctor Pariſienſis, ac Prouincialis Franciæ, quo munere defungebatur, vſque ad annum 1351. Quo anno, dum Capitulum Generale apud Caſtras congregaretur, idem ipſe Simon Lingonienſis vnanimiter in Magiſtrum Ordinis XXI. acclamatus eſt. Erat etenim vir doctiſſimus, tantum eloquentia, rerumque experientia præſtans; vt communi elogio *Piſcator hominum*, ſeu alter Simon Petrus diceretur. Hic annis 13. cum dimidio Magiſterium tenuit, ſingulis annis Capitula Generalia in diuerſis Prouincijs intimando.

Fa-

Factus deinde Eccleſiæ Nannatenſis Epiſcopus, illamque annis duodecim prudentiſſime gubernans, meritis tandem cumulatus ſuperos adijt, anno 1375. in noſtro Templo Nanneti tumulatus.

Tempore ſui Generalatus dictus Simon Magiſter, duorum Summorum Pontificum electionem aſpexi. Prima fuit anno 1352 xv. kalend. Ianuarij, qua die poſt mortem Clementis Sexti euectus eſt ad Summum Pontificatum Innocentius Sextus Seditque annis 9. menſibus 8. diebus 26. Altera electio peracta eſt in anno Domini 1362. v. kalend. Octobr. vbi electus eſt in Pontificem Maximum Vrbanus Quintus Monacus Claniacenſis, abſens, & extra Collegium Cardinalium. Seditque annis 7. menſibus 2. & 24. diebus.

Vterque hic Pontifex, Ordinis noſtri amantiſſimus fuit, Primus Sanctum Thomam Aquinatem Salomoni prætulit, hoc addens in commendationem doctrinæ illius, *vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur a Veritatis tramite deuiaſſe: & qui eam impugnauerit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus*. Alter Pontifex Vrbanus Quintus mandauit Corpus Sancti Thomæ Aquinatis, quod 75. annis ſub depoſito in Monaſterio Foſſæ nouæ iacuerat, ad Conuentum Toloſanum Ordinis Prædicatorum transferri: quod quidem magnis, & multiplicibus corruſcans miraculis, cum magna ſolemnitate translatum eſt anno 1369. Innocentius Sextus Pontifex in ſignum ſuæ in nos propenſionis, in ſecunda creatione anno 1356. Purpura Cardinalitia ſuperueſtiuit Fratrem Nicolaum Roſelli Hiſpanum, olim Prouincialem Aragoniæ, eiuſdemque Regni Inquiſitorem. In qua dignitate annis 5. ſuperuixit, ſepultus Maioricis in Eccleſia Prædicatorum. Vrbanus quoque Papa Quinto Prædeceſſoris ſui erga nos amorem imitatus, prima creatione creauit Cardinalem anno 1366. die 18. Septembris Fratrem Guilhelmum Sudre Gallum Lemouicenſem, prius ſacri Palatij Apoſtolici Magiſtrum, deinde Epiſcopum Maſſilienſem; qui in Cardinalatu, & inſuper Epiſcopatu Oſtienſi, & Veliterno, ſuperuixit vſque ad annum Domini 1373.
ſe-

ſepultus Auenione inter ſuos Fratres. Scripſit *nonnulla de Myſterijs S. Crucis. Epiſtolas plures in Cauſa Fidei, & quædam pertinentia ad Logicæ ſubtilitatem.*

Sub Generalatu Simonis Lingonienſis floruerunt plures Viri ſanctitate, ac doctrina præſtantes. Quorum primus Beatus Henricus Suſo, cuius Corpus quieſcit in Eccleſia Vlmenſi in Germania. Frater Ioannes Thaulerus Teutonicus, cuius opera ſpirant diuinitatem. Alter Henricus de Erfordia Mindenſis, Prouinciæ Saxoniæ, qui ſcripſit *Chronicon glorioſum* ab origine Mundi vſque ad annum 1352. in quatuor magnis voluminibus. Item ſcripſit *Catenam auream* in pulchro volumine. Item *Tractatum de Conceptione Virginis Glorioſæ*, & alia multa.

Floruit etiam hac ætate ſacratiſſima, & admirabilis Virgo Catharina de Senis, Tertij Ordinis *de Pœnitentia S. P. Dominici*, cuius excellentiſſima vita, & doctrina profundiſſima, eam multipliciter commendant. Hæc obijt anno 1380. ætatis ſuæ tertio circiter & trigeſimo: quam Pius II. Pontifex Maximus Sanctarum Virginum Cathalogo adſcripſit. Vitam vero illius virtutibus admirandam, B. Raymundus de Capua Magiſter Generalis Ordinis deſcripſit.

Eiuſdem Inſtituti, cuius erat Sancta Catharina Senenſis, fuere quamplurimæ Sorores Deo deuotiſſimæ, diuerſis temporibus, quæ miraculis claruere. Et in primis in Ciuitate Vrbeuetana fuere duæ Virgines glorioſæ, & innocentes: videlicet B. Vanna, & Beata Daniela, quæ in vita, & in morte miraculis claruere. In Ciuitate Florentiæ fuit Soror Joanna nuncupata, vitæ continentiæ, & miraculis celeberrima. In Ciuitate Piſana fuit Soror Pina, eximiæ pietatis, & conuerſationis ſanctiſſimæ. In Ciuitate Senarum eſt alia Soror Catharina, magnæ virtutis adoleſcentula, quæ iacet in Eccleſia Campi Regij in Capella S. Dominici.

Anno Domini 1397. in Capitulo Generali Auenionenſi electus eſt in Magiſtrum Ordinis XXII. Fr. Elias Toloſanus Petracoricenſis, Magiſter in Theologia, qui primum

fuit

fuit Romanæ Curiæ, Pœnitentiarius, deinde Procurator, ac Vicarius Generalis Ordinis. Vir doctrinæ pariter, ac ſolertiæ ſingularis, zelo ardens Religionis, cum non modico vtilitatis, & gloriæ obuentu. Hic Religioni iura dedit annis 13. ſi autem etiam numeretur tempus, quo in Schiſmate aliquas Prouincias Elias ſuſtinuit, præfuit Ordini anni 23.

Mortuo Vrbano Papa V. poſt reditum in Gallias ex Italia, electus eſt Auenione in Pontificem Maximum Gregorius XI. natione Prouincialis, anno 1370. iij Kalendas Ianuarij. Sedit annis 7. menſibus 2. diebus 29. Hic Diuina reuelatione, per Beatam Virginem Catharinam Senenſem ſibi facta (vt iam ſupra, inſinuauimus) Curiam a tempore Clementis V. ad illam vſque diem, ſpatio 70. annorum vltra montes detentam Romam reduxit. Hoc tempore Florentini ſuis machinationibus peſſimis, fecerunt rebellare omnes terras Eccleſiæ ab obedientia Pontificis, & bona omnium Eccleſiarum ſui potentatus immobilia abſtulerunt, & vendiderunt; vt contra Eccleſiam dimicarent. Propter quod graui anathemate a Papa Gregorio fuerunt innodati, & diuinis interdicti.

Huic pientiſſimo Pontifici e viuis ſublato anno 1378. eodem anno ſucceſſit in Pontificatum Vrbanus VI. ſeditque annis ij. menſibus 6. diebus 7. Hic Pontifex cum Cardinales Gallos, & Vltramontanos malis moribus aſſuetos corriperet, ab eis derelictus eſt: vnde elegerunt alium Antipapam, quem Clementem VII. appellauerunt. Et ſic factum fuit ſchiſma in Eccleſia Dei omnium peſſimum, quod durauit annis 52. ſub quatuor Summis Pontificibus. Hoc ſchiſma tunc deſeuiens, ſciſſa Eccleſiæ pulchra vnitate, fuit occaſio, vt & Ordo Prædicatorum (aliorum Ordinum exemplo) bifariam diuideretur: cuius vna pars Fratrem Raymundum Capuanum Magiſtrum Generalem ſibi delegerat, cum eoque Vrbano Pontifici adhærebat, vtpote Italia, Germania, Anglia, Portugallia, Hybernia, Dacia, Polonia, Bohemia, & Vngaria: ſola Hiſpa-

ſpania, & Gallia cum Magiſtro Elia Toloſano, Clementis VII. partium erant.

Et tunc Vrbanus Papa VI. prima Creatione anno 1378. duos Cardinales ex Ordine noſtro creauit. Primum, tituli S. Cyriaci in Thermis, Fratrem Nicolaum Miſquinum e Caracciola nobiliſſima Neapolitani Regni familia. Qui ab ineunte ætate Sacrum Prædicatorum Ordinem profeſſus, in pietate, & eruditione mirum in modum profecit: Sacræ Theologiæ Magiſter, Inquiſitor Generalis Regni Neapolitani renunciatus, ſtrenuam nauauit operam pro Romana Eccleſia, ut illam a ſchiſmate liberaret. Meſſanenſis Archiepiſcopus, Presbyter Cardinalis tituli S. Cyriaci factus, multas geſſit Legationes. Romæ e vita exceſſit iv. Kal. Auguſti, anno 1389. ſepultus in æde S. Mariæ ſuper Mineruam. A nonnullis Bretus poſt mortem nuncupatus fuit. Scripſit *Summam de Pœnitentia*: eumque Sacrarum Litterarum Interpretem nominat Leander Arbetus, de Viris illuſtribus Ordinis noſtri.

Alterum ex Ordine Prædicatorum Cardinalium Collegio, ſub titulo Sanctorum Gabini, & Suſannæ, Vrbanus Papa VI. adſcripſit, Fr. Philippum Gezza de Rufinis (non de Vrſinis) Hic dum eſſet Legatus Vrbani Papæ. VI. diſertiſſime concionando, populos in Italia in fide Pontificis nutantes, retinuit. Scripſit *in Libros Phyſicorum Ariſtotelis*. Ad Superos euolauit anno 1364. ſepultus humili loco ad Sanctam Sabinam in Eccleſia Fratrum Prædicatorum abſque vlla ſepulchrali inſcriptione.

CAPVT XIII.

De Beato Raymundo de Capua, XXIII. Ordinis Generali; alijſque tribus Magiſtris, in Officio Generalatus eidem ſuccedentibus.

CVm defeciſſet Magiſter Elias Toloſanus (vt dictum eſt) ab obedientia Vrbani Pontificis, conuenientibus

bus ad Capitulum Bononienſe Patrum illarum Prouinciarum , quæ a Generali Elia defecerant : electus fuit in Magiſtrum Ordinis XXIII. anno 1380. Frater Raymundus de Vineis Capuanus , Magiſter in Theologia , vir ſanctus , & eruditus , qui fuit Sanctæ Catharinæ Senenſis Confeſſarius cœlitus deſignatus . Hic ſtatim facta ſui electione manum miſit ad lapſi Ordinis reformationem : cœpitque reformare Conuentum Sancti Dominici Venetiarum , & conſequenter eodem modo Lombardiam , Thuſciam , Siciliam , Trinacriam , Holandiam , Vngariam , Alemaniam , Hiſpaniam , & Franciam ipſe reformauit . Rexit Ordinem annis 19. Capitula tamen Generalia nonniſi quinque celebrauit : tandem totus ſenio contractus , migrauit in Cœlum in Conuentu Nurimbergenſi , in Germania anno 1399.

Poſt Vrbanum Papam VI. electus eſt in Pontificem Maximum Anno Domini 1389. iv. Nonas Nouembris , Bonifacius IX. , ſeditque annis 14. menſibus 2. Huius anno Pontificatus xi. Domini vero 1401. electus fuit vnanimiter in Capitulo Generali Vtini , in Magiſtrum Ordinis XXIV. Frater Thomas de Firmo , Sacræ Theologiæ Doctor ; vir ſummæ prudentiæ , & in Regulari obſeruantia enutritus . Moderatus eſt Ordinem annis 13. aliquibus Generalibus Capitulis intimatis . Multa præterea priuilegia Ordini a Bonifacio Papa IX obtinuit , voluitque , quod Prouincia Lombardiæ inferiori nominaretur Prouincia Sancti Dominici , ſuperioris vero Sancti Petri Martyris ; & hoc fuit per tria Capitula approbatum . Denique Magiſter Thomas abſoluto Ianuæ Capitulo , ibidem perpetuo quieuit anno 1413. fluctuante adhuc Eccleſia .

Hoc tempore claruit Sanctiſſimus Pater Beatus Vincentius Ferrerius Valentinus , Ordinis noſtri , vir eximiæ ſcientiæ , vitæ ſincerrimæ , Apoſtolico ſpiritu plenus , a Deoque pro gentium , ac peccatorum conuerſione in mundum miſſus . Hic per annos 40. quotidie prædicauit , celebrauit , & alia præclariſſima opera fecit . Ex cuius

præ-

prædicatione, quod 25. millia Iudæorum, & 8. millia Saracenorum, ad Fidem Catholicam fuerint conuerſa; veriſſime comprobatum fuit. Inſuper vltra 100. millia hominum peruerſorum, & deſperatorum, ac publicorum peccatorum, ad vitam bonam venerunt. Inter cætera Apoſtolorum dona, quæ habuit, linguarum gratiam habere promeruit: nam prædicans in ſuo idiomate Cathalano, ab omnibus quarumcumque linguarum intelligebatur. Migrauit ad Chriſtum, quem futurum Iudicem prædicauit, Venetijs in Britania anno 1419.

Anno Domini 1404. xvi. Kalendas Nouembris, electus eſt in Papam Innocentius VII. non minori, quam Prædeceſſor ſuus charitate in Fratre Prædicatores exeſtuans: qui tertium Ordinem Fratrum & Sororum *De Pœnitentia Sancti Dominici*, necnon eorum Regulam, ſeu viuendi Formulam, quam prius Generalis munio præſcripſerat, denuo confirmauit, inſtante Fratre Thoma Senenſi, qui magna ſanctitatis opinione obijt Venetijs. Sedit hic Pontifex annis duobus, & diebus 21. Eius tempore claruit Foroliuij Dominus Marcolinus vir eximiæ ſanctitatis, & miraculorum gratia inſignis.

Anno 1406. electus fuit in Papam Gregorius XII. natione Venetus, vir eximiæ ſanctitatis. Sed poſtea Papatui ſponte renunciauit in Concilio Conſtantienſi, propter vnionem Eccleſiæ faciendam. Hic Pontifex in prima Creatione fecit Cardinalem, tituli Sancti Xiſti Fratrem Ioannem Dominici de Florentia, Archiepiſcopum Raguſinum, Ordinis noſtri, qui peracta Legatione tum ad Sigiſmundum Imperatorem, tum ad Conſtantienſe Concilium, in quo in perſona Gregorij Papæ, ceſſionem Pontificatus coram Patribus executus eſt; obijt Budæ in Conuentu noſtro Sancti Pauli primi Eremitæ anno 1420. ſcripſit.

Commentarios in Eccleſiaſticum.
In Cantica Canticorum.
In Euangelium S. Matthæi.
Notationes ſuper Magnificat.

In Epiſtolam Diui Pauli ad Romanos.
De Amore Charitatis.
Sermones Quadrageſimales.
Librum de Poſſeſſionibus.
Itinerarium deuotionis.
Et Sermones de Sanctis.

Anno Domini 1409. convenerunt Cardinales duorum Pontificum; Gregorij ſcilicet, & Benedicti XII. & facto Conſilio Piſis, elegerunt in Papam Alexandrum V. qui Ordinem Minorum profeſſus, prius Magiſter in Theologia famoſiſſimus, deinde Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis fuit. Sed menſibus 10. diebus 8. obijtque ætatis ſuæ anno 71. ſepultus Bononiæ in Conuentu Sancti Franciſci. Hic glorioſum priuilegium Fratribus Mendicantibus conceſſit, quod incipit: *Regnans in excelſis, &c.* quale nimio zelo Pariſienſes, & alij in Concilio Conſtantienſi impugnare voluerunt, ſed minime potuerunt: cœpitque hoc Pontifice cooperante ſchiſma in Ordine diminui, dum non ſolum Generalem Thomam de Firmo in Magiſtrum Ordinis confirmauit, ſed etiam datis Apoſtolicis litteris, & in Capitulo Bononienſi publicatis, demandauit; vt illi ſoli omnes obediant, & ſubijciantur.

Succeſſit Alexandro Quinto in Pontificatum Joannes XXIII. antea vocatus Balthaſar Coſſa. Hic electus Bononiæ anno 1410. xvj. Kalendas Iunij, ſedit annis quinque, diebus 15. Concilium Conſtantienſe ille indixit, in Ciuitate Conſtantiæ apud Rhenum, in Moguntina Germaniæ Prouincia; in eoque Concilio e Pontificatu depoſitus, & primo in Caſtro Ceilis, deinde in Gellobes per triennium recluſus, ac ſequeſtratus fuit.

Sub tempus triennalis Sedis Apoſtolicæ vacationis, poſt depoſitionem jam dicti Joannis XXIII. electus fuit in Magiſtrum Ordinis XXV. in Capitulo Generali Florentino, celebrato anno 1414. Frater Leonardus de Datis Florentinus, primo Bononiæ Inquiſitor, dein Prouincialis Romanus, Procurator Generalis, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter, inſuper Ordinis

dinis Vicarius : Hic adfuit Concilio Conſtantienſi, fuitque vnus ex Electoribus conſtitutus ; & ſuffragium tulit pro Martino V. Pontifice (de quo mox dicetur) ab eoque incomparabilia pro Ordine Priuilegia ſuſcepit . Præfuit Ordini annis 10. & vltra , celebratiſque ſui regiminis tempore quatuor Generalibus Capitulis , obijt Florentiæ anno 1426. xvij. Kalendas Aprilis . Nondum accepta eius obitus relatione Martinus V. Papa , eodem anno quo obijt , die 23. Iunij , eum Presbyterum Cardinalem declarauit : verum Nuntij a Summo Pontifice Florentiam miſſi , hominem , quem de ſua promotione ad Cardinalatum certiorem reddere voluerunt , ſatis ceſſiſſe inuenerunt .

Eius tempore claruit doctiſſimus Frater Ioannes Capreolus Toloſanus , qui ſcripſit ſuper *Quatuor Libros Sententiarum* egregie in defenſionem doctrinæ Sancti Thomæ , contra eam impugnantes . Item Franciſcus de Rethſa , in Vniuerſitate Viennenſi ſupra annos 12. Sacræ Scripturæ Lector : de Beatiſſima Virgine plurima volumina congeſſit, reiterando , & ſemper applicando illud thema ; *Primi , & puriſſimi fructus eius*. Scripſit etiam ſuper *Salue Regiva* integrum volumen , & multa alia .

Claruit etiam hoc tempore Frater Iacobus de Suſato Magiſter Conuentus Colonienſis , ibidem Inquiſitor contra hæreticos , qui ſcripſit .

Quatuor Libros Sententiarum ad litteram .
Super Epiſtolam ad Hebræos.
Super Epiſtolam ad Titum .
De Veritate Conceptionis B. M Virg.
De hora mortis Chriſti .
Mappam Mundi .
Collatioues breues , & Latinos Sermones .
Super Librum Sapientiæ .
Super Matthæum tria volumina :
Super Miſſam vnum volumen .
De origine , & vnitate Eccleſiæ .
Item Chronicam vnam .
Diſtinctiones pro arte colligendi .

Coordinauit etiam *Priuilegia Ordinis , cum defenſione*

ne eorundem : combinauitque *Chronicon breue Ordinis* ex quo pro maiori parte illa, quæ hic habentur excerpta ſunt. Hoc eodem tempore facta eſt diuiſio Prouinciarum aliquarum Ordinis, ſcilicet, ampla Prouincia Hiſpaniæ, diuiſa fuit in Prouinciam Hiſpaniæ, & Sancti Iacobi Portugalliæ: aſſignatis cuilibet illarum proprijs Conuentibus, contentis in Bulla diuiſionis Prouinciæ Hiſpaniæ, data in Concilio Conſtantienſi, anno 1. Pontificatus Martini V.

Qui præfatus Pontifex Martinus, natione Romanus ex nobiliſſima Columnenſium familia anno Domini 1417. tertio idus Nouembris vnanimiter in Pontificem acclamatus fuit; renunciante Pontificatui Gregorio XII. ac pro Legato Marchiæ declarato: abſolutiſque per Concilium Ioanne XXIII. (vt jam ſupra diximus) & Benedicto XIII. tanquam ſcandalizantibus Dei Eccleſiam. Hic ſedit annis 13. menſibus tribus, diebus 10. creauit Cardinalem ex Ordine Prædicatorum Fratrem Ioannem Caſanova Aragonenſem, Theologum famoſiſſimum, qui primo Sacri Palatij Magiſter, deinde Epiſcopus Boſanus, & Eluenſis, ac tandem in Purpuratorum cœtum translatus fuit cum titulo Sancti Xiſti: quamquam pileum rubrum non receperit, niſi ab Eugenio IV. Martini Papæ ſucceſſore. Scripſit *de Poteſtate Papæ ſupra Concilium*, & alia multa in Sacra Theologia. Exceſſit e viuis anno 1434. Barcinonæ ſepultus.

Anno Domini 1426. in Capitulo Generali Bononienſi, abſens per compromiſſum aſſumptus fuit in Magiſtrum Ordinis XXVI. Frater Bartholomæus Texerius, natione Gallus, Prouincialis Prouinciæ. Pariſinæ Vniuerſitatis Doctor, & egregius Concionator. Hic gubernauit Ordinem annis 24. cum fama ſanctitatis, Conuentum Bononienſem, alioſque multos in Italia reformauit, obtentis multis pro Ordine priuilegijs; præſertim impetrauit diſpenſationem a Martino Papa V. quod Fratres habere poſſent poſſeſſiones. Octo Capitula Generalia celebrauit, ac demum in ſenectute bona migrauit ad

Do-

Dominum in Conuentu Lugdunenſi anno Domini 1449.

Defuncto Martino Pontifice, quem luxit totus Chriſtianus Orbis, ſtatim anno Domini 1434. v. nonas Martii eligitur in Pontificem Maximum, Romæ in Sacrario Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam Ordinis noſtri, Eugenius IV. natione Venetus, homo ſingularis prudentiæ, & religioſiſſimæ vitæ. Sedit annis 15. menſibus 11. diebus 21. Hic Pontifex Ordinem noſtrum plurimum dilexit, ac proinde tertia creatione, Fratrem Ioannem de Turrecremata Hiſpanum ſac. Theologiæ Doctorem, ac ſacri Palatij Magiſtrum, Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Sixti recunciauit. Erat autem Ioannes infracti ſemper animi, ita, vt nec precibus, nec minis ab ijs, quæ fidei, quæ veritatis, ac Religionis erant, vnquam auerti, vel deterreri potuiſſet. Egregie in Concilio Baſileenſi authoritatem Pontificiam defendit, aliaque plura in Eccleſiæ vtilitatem in Concilio Florentino præſtitit. Quapropter *Fidei Defenſor* eſt appellatus. Templum Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam teſtudine, clauſtrumque a fundamentis erexit, ac picturis exornauit. In eadem Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam Societatem Sanctiſſimæ Virginis Annunciatæ fundauit, cum copioſiſſimis reditibus pro Virginibus quotannis Sponſo terreſtri, vel Cœleſti copulandis: quos ipſimet Pontifices eodem die, in dicta Eccleſia poſt ſolemnem Cappellam Pontificiam, in ſchedula propriijs manibus diſtribuere non dedignantur. Fuit dictus Ioannes vir doctiſſimus ſcripſit:

In Gratiani Decreta. volumina 4.
De Conceptione Domini libros tres.
De Corpore Chriſti contra Bohemorum errores.
Contra Iſmaelitas.
De Animæ Salute.
De Pœnitentia.
De Conſecratione.
De Concilijs.
De aqua luſtrali.
Meditationes in vitamChriſti
De Vnitate Græcorum.
De Sacramentis librum unum
Summam Eccleſiæ libri ſex.
De authoritate Romanæ Eccleſiæ.

In Regulam Sancti Benedicti.

Poſtillam in totius anni Euangelia.

Sermones de Tempore, & de Sanctis.

De Conceptione Deiparæ, libros 13.

Præterea *Commentaria*, *ſeu Phraſim breuiſſimam, locupletiſſimam, lucidiſſimamque*, ſimplici, & aperto ſermone ad Pium II. dictatam *in omnes Dauidicos Pſalmos*, & alia quædam. Toſtati Theologicas quaſdam Theſes impugnauit. Laudabiliter, ac ſanctiſſime vixit, de Eccleſia Benemeritus. Anno ætatis ſuæ 79. vel, vt alij volunt, 80. maior, multis glorioſiſſime functus Legationibus, die 26. Septembris anno Domini 1468. Romæ in Conuentu Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam ſpiritum Deo reddidit; & in Sacello a ſe conſtructo ſepultus eſt. Cum in Concilio Florentino egregie diſputaſſet, a Græco Scriptore *Philoſophus Latinorum, & Dialecticæ peritiſſimus* appellatur. Nemini vnquam obtrectare viſus eſt; alijs plurimum tribuens, ſibi autem nihil arrogans.

Hac etiam ætate floruerunt, & alii Viri ſanctitate, & doctrina clariſſimi; inter quos Magiſter Ioannes de Monte Nigro, qui publice in Concilio Florentino diſputauit contra Græcos, & eos ſuperauit. Hic multa compoſuit, & præcipue *Tractatum de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis*. Magiſter quoque Leonardus de Vtino, Vir excellentis doctrinæ hoc tempore claruit. Hic compoſuit *Sermones Dominicales, & Quadrageſimales*, valde notabiles; *& Sermones aureos de Sanctis*. Fecit etiam alia quamplurima Opuſcula tam in Philoſophia, quam in Logica, quæ in ſuo Conuentu habentur,

Item Frater Ieremias Siculus, qui Bononiæ ad Ordinem receptus eſt; poſtmodum ad Siciliam profectus, magnam partem illorum Conuentuum reformauit. Hic pijſſimus Pater multos doctos, & pulchros ſermones compilauit, & ſancte in Domino obdormiuit.

Frater Manfredus excellentiſſimus, & fructuoſiſſimus Prædicator, & hæreticæ prauitatis in Germania Inquiſitor.

ſitor, Vir bonus, & Sanctus, qui magnum fructum prædicando fecit, & poſtmodum Romæ ſancto fine quieuit.

Hoc tempore etiam floruit Sanctus Antonius Archiepiſcopus Florentinus, Vir doctus, & Sanctus, qui *Summam in quatuor partes diſtinctam* compilauit. Inſuper *Confeſſionalia tria*, vnum latinum, & duo vulgaria. Item *Sermones plurimos*, & præcipue *Chronicon ab initio mundi, vſque ad tempora ſua*. Miraculis viuens, & poſt mortem conſpicuus, Sanctorum numero adſcriptus eſt ab Adriano Papa VI. Anno Domini 1523.

CAPVT XIV.

De Fratre Petro Roſchini XXVII. Ordinis Generali: alijſque octo Magiſtris, in Officio Generalatus eidem ſuccedentibus.

ANno Iubilæi 1450. in Capitulo Generali Lugdunenſi electus eſt in Magiſtrum Ordinis XXVII. Frater Petrus Roſchinus, Gallus, Narbonenſis, Prouincialis Prouinciæ Prouinciæ, & Vicarius Ordinis, Vir doctrina clarus; ſed morte præmatura correptus, nonniſi quindecim dies in Magiſterio ſuperuixit.

Illo mortuo electus eſt Romæ anno immediate ſequenti 1451. in Magiſterum Ordinis XXVIII. Frater Guido Flamochettus, Gallus, cum eſſet Ordinis Procurator, & Vicarius: certe Vir ſingulari prudentia, ſolertia, & morum elegantia ornatus. Sed & hic infra primum annum ſuæ promotionis obijt Neapoli in Conuentu Sancti Dominici, ibique eſt reconditus.

His duobus Ordinis Magiſtris, modico tempore in Officio ſuo viuentibus, ſucceſſit Frater Martialis Auribelli, Auenionenſis, Prouincialis Prouinciæ, & Vicarius Ordinis, electus in Magiſtrum Ordinis Vigeſimumnonum in Capitulo Generali Nannetis in Britania

anno Domini 1453. celebrato . Hic fuit Magiſter in Theologia doctiſſimus , ac prudentiſſimus , & quod maius eſt , feliciſſimæ memoriæ . Præfuit Ordini annis octo , multoſque Conuentus in Italia , Flandria, & alijs Prouincijs reformauit . Tandem a Pio Secundo Pontifice a Generalatu fuit abſolutus , ſtudio quorumdam , eius depoſitionem quærentium.

Tempore eius Generalatus Sanctus Vincentius Ferrerius in Sanctorum Confeſſorum numerum a Calixto III anno Domini 1455. die 29. Iunij relatus eſt ; magno Cleri , ac populi Romani apparatu . Claruit enim Sanctus Vincentius virtutum multitudine , & in vita , & poſt mortem tanta miraculorum gloria , vt prolatum fuerit , poſt mortem 28, mortuos ſuſcitaſſe.

Anno Domini 1447. pridie nonas Martij electus eſt in Pontificem Maximum Nicolaus Quintus Vir doctiſſimus , & Ordinis noſtri amicus , qui Bononiæ apud noſtros Philoſophiam , & Theologiam diſcerat . Sedit annis 8. diebus 19. Illo mortuo ſucceſſit in Pontificatum Callixtus Tertius electus anno Domini 1455. vj. idus Aprilis ; & cum ſediſſet annis tribus , menſibus 4. obijt Romæ anno 1458.

Eodem anno xiv kalendas Septembris electus eſt in Pontifiicem Pius Secundus Senenſis , qui contra Turcas multa facere tentauit , ſed morte præuentus non perfecit . Idem Pontifex poſt diligentem inquiſitionem (vt moris eſt) factam Beatam Catharinam Senenſem Sanctorum cathalogo adſcripſit , magna cum ſolemnitate . Sedit annis ſex , minus tribus diebus.

Quarto anno Pontificatus Pij Papæ II. Domini vero 1462. in Capitulo Generali Senis celebrato , electus eſt in Magiſtrum Ordinis XXX. Frater Conradus Aſtenſis , Lombardus , ſacræ Theologiæ Magiſter , Procurator , & Vicarius Ordinis , Vir obſeruantia regulari præpollens . Præfuit Ordini annis tribus , poſtea officio ſponte ceſſit : totuſque orationibus , ac ſtudijs deditus , mortuus eſt in ſuo Aſtenſi Conuentu anno 1470.

Hoc tempore orta eſt Prædicatores inter & Minores non

leuis

leuis controuerſia, de Sanguine Chriſti: num videlicet Diuinitas fuerit ſeparata a Chriſti Sanguine in Cruce effuſo? Affirmabant Minores innixi authoritate Franciſci Mayroni; Prædicatores negabant, adducentes rationes, & authoritates Sanctorum Doctorum, & etiam contrariæ opinionis condemnationem, factam in Eccleſia Cathedrali Barcinonenſi, de mandato Clementis Papæ VI. Poſt longum tandem certamen; concluſum eſt in fauorem Prædicatorum; ſed ob euitanda ſcandala vtrique parti ſilentium impoſitum.

Hoc tempore claruit doctiſſimus Vir Frater Gabriel Caſſaſages, Barcinonenſis, Bononiæ Regens; qui in dicta controuerſia publice coram Summo Pontifice diſputans, maxime inclaruit. Eius coætanei fuerunt Frater Iacobus Brixienſis, ſacræ Theologiæ Magiſter, Inquiſitor Hæreticæ prauitatis, & Frater Vercellinus de Vercellis, Vir apprime doctus, & eruditus: & hi erant miſſi a Conuentu Bononienſi, ad faciendam diſputationem iam inſinuatam. Floruerunt etiam eo tempore Frater Ioannes de Neapoli Magiſter, & Frater Ioannes de Piſtorio, vterque famoſiſſimi Prædicatores: quorum prior S. Catharinæ Senenſis præconia, poſterior vero S. Vincentii miracula prædicando, magnum fructum fecerunt in populis.

Anno Domini 1464. electus eſt in Pontificem Paulus Secundus Venetus, ſeditque annis 6. menſibus 10. diebus 26. Eius Pontificatus anno primo, reaſſumptus eſt eſt iterum ad Generalatum Frater Martialis Auribelli (de quo ſupra egimus) in Capitulo Generali Nouariæ anno 1465. celebratum; qui poſt reaſſumptionem rexit Ordinem annis circiter octo, triaque Capitula Generalia celebrauit. Demum ſenio, & laboribus fractus, obijt Auenione anno Domini 1473. Circa hæc tempora felici fine quieuit Beatus Alanus de Rupe, qui collapſum Sanctiſſimi Roſarii inſtitutum reparauit, auxit, dilatauit

Anno Domini 1471. v. idus Auguſti electus eſt in Pontificem Sixtus IV. ex Ordine Minorum, ſeditque annis 13.

His

Hic priuilegia Ordinis noſtri ampliauit, & gratias multas conceſſit. Inter alia hic Pontifex *Mare magnum* effudit, & *Bulam auream*, in qua liberam facultatem conceſſit, recipiendi, conſeruandi, & poſſidendi bona immobilia. Eius Pontificatus anno tertio electus fuit in Magiſtrum Ordinis Trigeſimoprimo in Capitulo Generali Romæ celebrato anno Domini 1474. Frater Leonardus de Manſuetis, Peruſinus, ſacri Palatij Apoſtolici Magiſter, & Vicarius tunc Ordinis; qui cùm ſexennio exercuiſſet ſuam adminiſtrationem, Romæ obijt. Hic dicitur valde fuiſſe remiſſus, maxime in cauſa Stigmatum Sanctæ Catharinæ Senenſis: quam vere habuiſſe Stigmata Chriſti, tam deſerte, tamque authentice declarat, qui eam ſacris feſtis adſcripſit Pius II. Pont. Max. in Hymno Veſperarum Officij a ſe in honorem ipſius Sanctæ Virginis editi.

Anno Domini 1481. electus eſt in Magiſtrum Ordinis Trigeſimoſecundo Frater Saluus Caſſetta, Panormitanus, ſacri Palatij Apoſtolici Magiſter, procurante hanc ipſam eius electionem Sixto Quarto Pontifice. Hic biennio tantum, & menſibus 4. Ordinem gubernauit; nam iuſſu Pontificis Legatione in Teutoniam ſuſcepta, omnibuſque pro voto Pontificis peractis, Romam reuerſus, Purpura donandus, obijt anno 1483. Dum in Germania Legatione fungeretur, Corpus Beati Alberti Magni repertum integerrimum, poſt 200. ab eius obitu annis, in loco pulchriori collocauit, brachiumque ad Pontificem detulit, quod nunc extat in Conuentu Bononienſi.

Saluo e vita migrante, factus eſt Magiſter Ordinis XXXIII. Anno 1484. Frater Bartholomæus Comatius Bononienſis, ſacræ Theologiæ Magiſter, & Vicarius tunc Ordinis. Hic menſe decimo ſui Generalatus Peruſij peſte ſublatus eſt. Eodem anno 1484. iv. kalendas Septembris electus eſt in Summum Pontificem Innocentius VIII. ſeditque annis 7. menſibus 10. diebus 27.

Hoc tempore in Ordine Prædicatorum claruit Magiſter Iacobus Sprenger, Prouincialis Teutoniæ, qui poſt

Beatum

Beatum Alanum Britonem Roſarij Inſtauratorem , incredibili cum vtilitate , idem inſtitutum plurimum dilatauit. Item floruit Frater Dominicus de Flandria , vir doctiſſimus , qui ſuper *Metaphiſicam Ariſtotelis* magnum volumen compoſuit . Scripſit etiam ſuper *Libros Poſteriorum* , *Libros de Anima* , & multa alia . Claruerunt pariter , & alij viri doctiſſimi , videlicet Magiſter Petrus de Bergamo , vir inter omnes ſui temporis doctiſſimus , qui primus *Tabulam Auream in omnia opera Diui Thomæ Aquinatis* miro ingenio , & labore contexuit . Dum fuiſſet multis annis Bononiæ Regens , multos præclaros diſcipulos reliquit : vtpote Fratrem Bartholomæum Comacium (de quo ſupra egimus) Fratrem Vincentium Bandellum Generales Ordinis , Fratrem Paſchaſium Hiſpanum Epiſcopum Burgenſem , Fratrem Thomam Brixienſem , Fratrem Ambroſium de Alemania , Fratrem Paulum Soncinatem , qui quæſtiones acutiſſimas in *Libros Metaphiſicæ* compoſuit , ac plura alia eleganter dictauit .

Item Magiſter Franciſcus de Neritono , vir ſapientiſſimus , ac doctiſſimus , qui Paduæ plurimis annis docuit , multoſque inſignes diſcipulos reliquit : vt Dominum Cardinalem Dominicum Grimanum Venetum : omnium doctrinarum genere eruditiſſimum , & Dominum Antonium Pizamanum Feltrenſem Epiſcopum , alioſque Archiepiſcopos , Epiſcopos , ac Doctores plurimos . Magiſter etiam Valentinus Camers magnæ ſcientiæ vir , hoc tempore floruit .

Anno Domini 1486. in Capitulo Generali Veneto , electus eſt in Magiſtrum Ordinis Trigeſimoquarto Frater Barnabas Saxonus de Neapoli Procurator , ac Vicarius Ordinis , ſed hic vix vnum menſem in officio ſuperuix . Vnde ſequenti anno Domini 1587. ibidem Venetiis electus manſit in Magiſtrum Ordinis Trigeſimoquinto Frater Ioachinus Turianus Venetus , Prouincialis Lombardiæ , & Ordinis Vicarius , vir linguæ Græcæ , & Latinæ peritiſſimus , inſigniſque Theologus .

Hic

Hic Pater dulciſſimus, & humaniſſimus in begnitate, & charitate Ordinem gubernauit annis 13. menſibus duobus, nulli moleſtus niſi malis, omnibus bonis bonus. Tempore huius Patris, multa officio Diuino ſunt addita, & quatuor octauæ Solemnes inſtitutæ, & memoriæ Sanctorum, quæ erant in Kalendario, in Feſta 3. Lectionum ſunt permutatæ. Hic etiam multa bona reliquit officio Generalatus, & Conuentui ſuo multos libros Græcos, & Latinos magni pretij, ac in ornatum Eccleſiæ pelpulchros pannos, & pretioſos. Obijt anno Domini Iubilæi 1500.. Romæ cum magna Ordinis mœſtitia, qui Patrem Fratrum ſe amiſſe dolebat, & ibidem ſepultus quieſcit. Huius tempore floruit Magiſter Vincentius Merlinus Venetus, præclaræ ſcientiæ vir, qui annis pluribus in Vniuerſitate Patauina, ſumma cum laude Metaphyſicam docuit.

Anno Domini 1492. Alexander VI. electus fuit in Papam, & ſedit annis 11. Hoc etiam tempore floruit Frater Thomas Donatus Venetus origine, & eiuſdem Ciuitatis Patriarcha: qui laudabiliter in Ordine anno 44. percurrens, in officio prædicationum, & Prioratum, ac multorum aliorum laborum exercitijs; tandem per annos 12. Patriarcatu non ſine magnis curis, & corporis languoribus, ac diuturna cœcitate laudabiliter adminiſtrato, migrauit a ſeculo ſeptuagenarius, toti Clero, ac Ciuitati optimam ſuæ adminiſtrationis famam relinquens.

Claruit quoque hoc tempore R. Pater Frater Antonius de Brixia, Brixienſis Inquiſitor, magnæ prudentiæ vir, qui præclaros ſermones a ſe editos poſteritati reliquit. Hic Pater prædicationis tuba, per totam Italiam per multos annos gratioſe intonuit, & multorum Conuentuum Prior extitit. Floruit hoc tempore etiam vir præclariſſimus, & doctiſſimus Magiſter Paulus de Monelia Ianuenſis: qui cum poſt Prouincialatum Lombardiæ ſuperioris, ſacri Palatij Magiſter effectus, plures annos in dicto officio cum magna gloria, & omnium Prælatorum

Cu-

Curiæ gratia peregiſſet per Alexandrum VI. Epiſcopus Chij effectus, in Legatione eiuſdem Pontificis Budæ in Hungaria ad Dominum deuotiſſime migrauit.

Hoc etiam tempore floruit Sanctiſſima Virgo Columba, apud Peruſium, Tertij Ordinis *de pœnitentia Beati Dominici*, cuius miri actus leguntur. Anno 1498. non minori ſanctitatis apud multos, & doctrinæ apud omnes opinione floruit Fr. Hieronymus Sauonarola Ferrarien. qui e Congregatione Lombardiæ, Congregationem Tuſciæ, ſeu S. Marci de Florentia erexerat, ac regularem obſeruantiam promouerat. Hic poſt reformatos mores, & regimen Ciuitatis Florentiæ, facinoroſum rabie, cum duobus, Dominico videlicet & Syldeſtro, noſtri Ordinis Fratribus, in publica platea (ſicut ipſe prædixerat) crematur, ſparſis poſtea in Arnum amnem eorum cineribus. Multa prædixit futura. Complura ad Catholicæ Fidei confirmationem, & morum reformationem doctiſſime, ac religioſe ſcripſit. Conciones eius, vel ex ore prædicantis exceptæ, vel ex annotatis ab ipſo ſummatim, & per capita, per alios extenſæ fuerunt, apud multos adhuc habentur in pretio; quod contra tepidos, quendam ad amorem Dei, & ſui contemptum, vitalem ſpiritum ſpirare videantur. *Rationalem*, *Moralem*, *ac Naturalem Philoſophiam* ad compendium exacte, clariſſimeque reduxit. Huius opus eſt *Liber de Triumpho Crucis*, ſeu Chriſtianæ Fidei. Item *de Simplicitate Chriſtiana*, & alia complura. Cuius opera, cum a quibuſdam æmulis examinanda ad Pontificem delata fuiſſent, S. Philippus Nerius Ordinis noſtri amantiſſimus, dum pro felici illius negotij in Eccleſia noſtra Sancta Maria ſuper Mineruam ſucceſſu oraret, in extaſim raptus, vidit Chriſtum manu ſua omnes, qui pro eadem re preces fundebant benedicentem: vnde præ cordis iubilo exclamauit: *Victoria, victoria, exaudita eſt oratio noſtra*. Apud Ferrariam celebris habita eſt Soror Lucia Narnienſis, cuius obtentu Illuſtriſſimus Dux Ferrariæ Monaſterium ſolemniſſimum conſtruxit.

CAPVT XV.

De Fratre Vincentio Bandello XXXVI. Ordinis Generali; alijſque tribus Magiſtris, in Officio Generalatus eidem ſuccedentibus.

ANno Domini 1501. in Capitulo Generali Romæ celebrato, electus fuit vnanimiter, & concorditer, nemine diſcrepante Fr. Vincentius Bandellus de Caſtro nouo Terdonenſis Diœceſis, Lombardus, in Magiſtrum Ordinis XXXVI. & Ordinem rexit annis 5. & menſibus duobus. Hic in adoloſcentia ſua Prædicatorum Ordinem ingreſſus religioſiſſime vixit; ac litteris intentus, magnum ſapientiæ, & doctrinæ culmen conſcendit. Quam cum per 20. annos legendo, diſputando, & ſcribendo, charitatiue, & ſine inuidia communicaſſet, Cathedram Magiſtralem ſumma cum laude Bononiæ eſt conſecutus, ibidem per plures annos Regens exiſtens: quo tempore multos diſcipulos apprime eruditos reliquit. Inter quos fuit Ordinis noſtri monile præcipuum Fr. Paſchaſius Hiſpanus, Epiſcopus Burgenſis Hiſpaniæ, vir doctus, ſanctus, eleemoſynarius, & omni virtute adornatus. Scripſit autem prædictus Pater Generalis, *de Conceptione Beatiſſimæ Virginis* tria volumina ſucceſſiue, & *Tractatum de Poteſtate Papæ*, & quædam alia, quæ quidem omnia ſapientiam eius oſtendunt. Item fecit declarationem *ſuper Conſtitutiones Ordinis*, ex Actis Capitulorum Generalium excerptam, quæ per Capitulum Mediolanenſe 1505. fuit acceptata, & approbata. Dictauit quoque, vt Beatæ Virginis deuotiſſimus, Officia eiuſdem *de Feſto Sanctificationis, & de Viſitatione eiuſdem*. Dehinc Prior Bononiæ bis, & totidem vicibus Generalis Vicarius Congregationis Lombardiæ, Prior Mediolani factus, ac Principi, & omnibus Curialibus gratiſſimus, talia non requi-

quirens, Diuino nutu Generalis Ordinis, omnibus unanimiter conſentientibus Electoribus, electus eſt. Quo in Magiſtratu iuſtitia, rectitudine, & humanitate, ſubditis mirum in modum ſatisfecit.

Hic igitur piiſſimus Pater, poſt labores diuturnos in Ordine; tam in ſtudendo, quam in legendo, & gubernando toleratos, poſt viſitationem Prouinciarum Romanæ, Lombardiæ, Sabaudiæ, Franciæ, Holandiæ, Flandriæ, Hiſpaniæ, Prouinciæ Prouinciæ, & nouiſſime Regni Siciliæ: tandem in Vigilia S. Auguſtini anno 1506. in Conuentu Montis alti Calabriæ, ſeptuagenarius migrauit ad Dominum, corpus ſuum Neapoli in Conuentu Sancti Dominici mandans tumulari.

Fecit duo Capitula Generalia, quibus ſanctiſſimas ordinationes pro vtili Ordinis reformatione ſtatuit: Conuentum Pariſienſem, & alios multos, præcipue autem in Prouincijs Vltramontanis, reformauit. Sub eius etiam Generalatu emanauit Bulla a Domino Iulio Papa II. *De Temporalitate Prælatorum Ordinis*. Floruit hoc tempore vir doctiſſimus, Magiſter Dominicus de Mortario eiuſdem Generalis Socius, qui poſteaquam per 15. annos, & ultra in Ordine legiſſet, & multos excellentes diſcipulos inſtituiſſet, Bononiæ plenus virtutibus, & bonis operibus beato fine quieuit.

Anno 1503. Alexandro VI. ex hac luce ſubtracto, Pius III. Senenſis, Pij II. Nepos, electus Summus Pontifex, vixit tantum dies 27. cui Iulianus de Ruere Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, Sixti IV. ex Fratre Nepos ſuffectus eſt, ac Iulius II. vocatus, ſeditque annis 9. menſibus 3. diebus 21. *Bullam de Temporalitate Prælatorum Ordinis* edidit, ſuggerente Illuſtriſſimo Cardinali Oliuerio Caraffa, noſtri Ordinis Protectore. Qui vt magnificus, & Ordinis amator erat, ita omnem affectum, & operam ad ejus impendebat profectum, & Romæ Conuentum S. Mariæ ſuper Mineruam, ædificijs, & annuis redditibus ornauit.

Anno 1506. die Sancti Auguſtini, defuncto Magiſtro Vincentio Bandello, opera eiuſdem Illuſtriſſimi Protectoris

ris inſtitutus eſt Vicarius Ordinis Frater Ioannes Clereus Nortmannus, Doctor Pariſienſis, qui Chriſtianiſſimo Francorum Regi Ludouico XII. a confeſſionibus erat: vir vitæ regularis zelantiſſimus, & anno 1507. apud Ticinium, ſeu Papiam 6. Iunij. Sabbato videlicet poſt Feſtum Trinitatis, ſecundis ſuffragijs, Magiſter Ordinis XXXVII. electus fuit: magna bonorum expectatione, quod reformationem Ordinis, quam Pariſij Fratribus, & Piſſiaci Monialibus induxerat, in cæteris Conuentibus, ac domibus proſecuturus eſſet. Quod quidem fecit in Ciuitate Parmenſi, Conuentum, ac Monaſterium ad Regularia Inſtituta reuocando, itidem facturus in reliquis, niſi eodem anno in Vigilia Diui Laurentij, ex vrbe a Summo Pontifice reuerſum Papiam, mors rapuiſſet. Triſtitiam porro quam de illius obitu boni conceperant, ſolata eſt præſtantiſſimi tam ſcientia, & prudentia, quam religione, & charitate prædìti viri Fratris Thomæ de Vio, Caietani, promotio.

Qui anno 1508. in Feſto Pentecoſtes, in Generali Capitulo Romæ habito, ſummo omnium conſenſu, & gratulatione in Magiſtrum Ordinis XXXVIII. electus eſt. Huius Viri acutiſſimum ingenium, ac doctrinæ profunditatem probant, & manifeſtiſſime conteſtantur ſcripta per eum doctiſſime tam in humana, quam in Diuina Philoſophia. In Librum quippe Sancti Thomæ *de Ente, & Eſſentia* ſubtiliſſima Commentaria edidit, adhuc adoleſcens. Iuuenis vero *Libros Prædicabilium, Prædicamentorum, ac Poſteriorum, & Libros Ariſtotelis de Anima*, Commentarijs, & Quæſtionibus illuſtrauit. *Summam* deinde *S. Thomæ*, jam vir, & Magiſter Theologiæ commentatus eſt. Cumque *in primam partem* doctiſſimus, & admirabilis in ſpeculabilibus haberetur, tam acute deinde *in ſecundam partem* Moralia tractauit, tam copioſe, exacteque Martini de Magiſtris argutias, & ratiocinationes enucleat, refellit, elidit; vt neſcias in qua parte eum magis admireris. Iam grandior natu, & a Leone X. inter Cardinales renunciatus, ſacras litteras, & Sacramenta adorſus, *in tertiam partem*

pro-

proſecutus eſt Commentaria. *Librum Pſalmorum*, *&* *nouum teſtamentum* præter *Apocalypſim*, *Pentatheucum*, Hiſtoriales, ac Sapientiales libros explanauit ad litteram. Prophetas expoſiturus, tria tantum Iſaiæ capita explicuit, reliqua præpeditus expectata morte, abſoluere non potuit. *Opuſculorum quatuor Tomos*: *Summam quoque de Caſibus*, de ſuo cognomine *Caietanam* nuncupatam compendioſam, ac reſolutam, tanquam memoriale quoddam pro doctis edidit.

Eius porro prudentiam, ac religioſum zelum videre licet ex his, quæ Magiſterium Ordinis per annos 10. gerens, tam prudenter, quam ſancte diſpoſuit. In ſingulis Prouincijs habere ſtudebat viros probos, communis bonis, regulariſque vitæ zelatores, quorum opera, & conſilijs vteretur ad cognoſcendum, & diſponendum, quæ authoritatem eius expoſcerent. Nihil negligebat, minima quæque curabat, ſed tanta dexteritate, ut ordinarijs Prælatis non eſſet oneri, neque moleſtiæ: cumque ipſe omnia faceret, nihil tamen facere videretur. Illud idem probant Conſtitutiones, ipſius ſollicitudine in Capitulo Ianuenſi 1513. inchoatæ, quæ Neapoli anno 1515. confirmatæ, in Capitulo demum Romæ 1518. inter alias relatæ fuerunt. Quamquam ipſe eo Capitulo non præfuerit Ordini, quippe qui anno præcedente, ſcilicet 1517. Kalend. Iulij a Leone X. Presbyter Cardinalis tituli S. Sixti, & poſtea Epiſcopus Caietanus, ac poſt Archiepiſcopus Panormitanus creatus fuerat. Perfunctus eſt etiam officio Legati a latere ad Maximilianum Imperatorem, ibique perfidum Lutherum (de quo plenius infra) ut cauſam coram ſe diceret die illi præfixo coegit. Pedibus ſuis prouolutum benigne ſuſcepit, & ad errores execrandos efficaciſſimis induxit argumentis. Conuictus ille pœnitentiam ſpopondit, at noctu aufugiens, ob ignoratam fidem eluſit non reſipiſcens. Cuius rei cauſa, inſtante Caietano Romæ damnatus eſt.

Superuixit Cardinalis Caietanus vſque ad annum 1534. quo die 9. Septembris, Romæ laneis interulis, vt ſemper antea more Ordinis veſtitus, defunctus eſt: atque ad Miner-

uam præ foribus Eccleſiæ, in tumulo quem ſibi viuens ſub terra parauerat, conditus.

Interea Concilium Lateranenſe, quod ſub Leone Decimo conſummatum eſt Iulius II. inchoauerat, & ſi non ob aliud, hac ſaltem ratione, vt Conciliabulum Piſanum labefactaret, ſupprimeretque: iurauerat namque Summus Pontifex Concilium Generale, pro reformatione Eccleſiæ, & pace inter Chriſtianos Principes componenda ſe habiturum; dumque cunctatur, & rem trahit in longum, quidam Cardinales, contra eius voluntatem, & authoritatem, Epiſcopos, & Chriſtianos Principes ad Generale (quod dicebant) Concilium Piſas conuocarunt. Vbi Fratrum noſtri Ordinis fides, & erga Sedem Apoſtolicam obſeruantia emicuit. Requirentibus namque illius ſathanicæ Congregationis, Prælatis: Clericos, Parochos ac Religioſos eiuſdem Ciuitatis, vt ſecum ſentirent, & communicarent: Faciemus, reſpondebant, illi quod Fratres S. Catharinæ (id enim noſtræ ibidem Eccleſiæ nomen eſt) facere videbimus.

Incolebant eo tempore Cœnobium illud Fratres Congregationis Tuſciæ, ſeu Sancti Marci, caputque eiuſdem Congregationis (quem Vicarium Generalem nuncupabant) vir per omnia laudabilis, Theologiæ, Canonicique Iuris doctiſſimus Frater Bartholomæus Rundininus Fauentinus, illo ſe cum pluribus doctis viris contulerat, contra prædictos futurus, & Fratres ſuos confirmaturus. Hunc illi blandis, & mollibus verbis tentant, promiſſis ingentibus pulſant, aſperis demum, ac minimis urgent, vt in ſuam ſententiam trahant. Sed ille fundatus, & in Apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidatus, ratiocinationum iacula in auctores retorſit, conuincit, & confudit aduerſarios: erectoſque in expectationem animos Clericorum confirmauit, ſummum quoque Pontificem, diuerſijs vijs, clam per litteras, certiorem de omnibus fecit. Intercipiuntur quædam litteræ ab his, qui Ciuitati Piſarum, præereant, indeque de patria, & vita Fratres periclitari cœperunt: ſed inualeſcente lumine fidei, & vincente veritate expulſi illi, qui Conciliabulum agebant, Mediolanum

num ſe contulerunt, ſicque laqueus contritus, & Fratres liberati ſunt.

At non minori virtute, fideique conſtantia paulo ante ſe geſſerant Fratres noſtri in Ciuitate Bononiæ, cum idem Summus Pontifex contra Bentivolos, qui ſibi tyrannidem in ea vſurpauerant anathemati, ac interdicto eam ſubieciſſet: paratos enim ſe exibuerunt, inde exules, & extorres potius fieri, quam rem Diuinam publice facere, aut Eccleſiaſtica cenſura notatos ad diuina recipere.

Floruerunt hoc tempore viri litteris, vitæ ſanctitate, & regiminis prudentia inſignes, inter quos Frater Matthias de Pace in Studio Salmantino. Frater Didacus de Aſtudillo in Hiſpanijs. In Galijs Frater Guilhelmus Pepinus Ebroicen. Guilhelmus alter parui, quem Chriſtianiſſimus Francorum Rex Franciſcus, ob vitæ integritatem, & rectitudinem, prudentiamque in conſulendo, & concionando facundiam, & efficaciam, ſuæ iuuentutis adſciuit moderatorem. In Italia Frater Chryſoſtomus Iauellus, cuius laboribus, & ſcriptis *in Logica, & Philoſophia* etiam nunc fruuntùr ſtudioſi. Pater Siluelter Prierias, qui S. Thomæ doctrinam ex diuerſis eius libris, & locis, in duo conflauit volumina, conflatamque vocauit *Summam de Caſibus* de ſuo nomine *Syluestrinam*. Compoſuit *Auream roſam* in Euangelia totiuś anni cum caſibus, & quæſtionibus nonnullis. *Sermones Quadrageſimales*. *Opus de ſtrigibus*, & alia quædam, quæ manifeſte docent, quanta ſiti hauſerit ille copiam è fonte Thomiſticæ doctrinæ. Claruit in Teutonia Frater Conradus Koeilinus, qui totam *ſecundam partem Summæ S. Thomæ*, in clariſſimam formam digeſſit magnis Commentarijs, ſed maxime probatur *in Prima ſecundæ*. Fecit etiam, & reſoluit doctiſſime nonnullas *Quodlibetales quæſtiones*.

His eroibus annectere non verebor Virginem in Hiſpanijs, opinione ſanctitatis admirabilem Sororem Mariam de Sancto Dominico, tantæ apud ſuos æſtimationis, tantæque famæ; vt nemo ſe putaret illo tempore nobilem, qui filiam, aut aliam quampiam ſibi neceſſitu-

 dine

diue iunctam, regularibus inſtitutis erudiendam illi non commendaſſet. Quo factum eſt, vt in ſolitudine prope Oppidum Petræfixæ Monaſterium erexerit, in quod vltra trecentas, & circiter quadringentas Virgines, eaſdemque nobiles adduxit: tanta Religionis obſeruantia, tantoque ſpiritus feruore, victuſque, & veſtitus auſteritate, & ſimplicitate; vt priſcum illum naſcentis Eccleſiæ feruorem referre viderentur. Mirabile prorſus erat, ibi videre tot nobiles tenere, ac molliter educatas puellas, cibi, potuſque horrere delicias: panis, & aquæ prandia, cinere prælibato, in delicijs habere: potum compunctionis lachrimis temperare. Veſtium ſuarum ipſaſmet, linum, ac lanam pectere, ipſas nere, ipſas texere, ac proprijs manibus ſuo vſui coaptare.

Huius Magiſtri tempore anno videlicet 1513. defuncto Iulio II. Leo X. Medices, patria Florentinus, Cathedram Petri tenuit annis octo. Hic inchoatum ſub Iulio Lateranenſe Concilium proſequutus eſt, & clauſit, in quo Mendicantium priuilegia, nonnihil perſtricta fuerunt, & quædam adempta: ſed paulo poſt idem ipſe Pontifex (vt erat facilis ingenij) eadem per partes reſtituit, & alia ſuperaddidit. At quies, & vnio Chriſtiani populi, ex Concilij celebratione ſperata, & parta, paruis, ſed prauis initij interturbata eſt, authore (cuius ſupra meminimus) Martino Luthero, ab Ordine Eremitarum S. Auguſtini primum apoſtata, deinde hæreſiarcha. Hic primo circa Indulgentiarios, & Indulgentias, & (quod Hæreticis familiare eſt) contra Summi Pontificis poteſtatem dogmatizare cœpit: deinde tantum fidei, ſeu fiduciæ, ſeu verius præſumptioni humanæ in Chriſtum inniti conceſſit, vt bonis operibus, & libero hominis arbitrio detraheret. Inde proceſſu temporis, hæreſum, & dogmatum tanta lues, Hæreticorum, & dogmatizantium tanta colluuies, & in tot ſciſſa capita ſubſecuta eſt; ac in tot partes vnica Chriſti tunica ſciſſa, & lacerata, tantumque profecit impietas, vt in quibuſdam partibus eliſa, funditusſque ſit euerſa Religio.

Ex Ordine noſtro coniecturamur cæteros. Nam in Anglia,

glia, Dacia, Scotia, Hungaria, Saxonia penitus interijt vix conſeruatur in Bohemia, Polonia, Teutonia in Prouincia, & inferiore Germania, laborabat in Toloſana, & Francia, interijt in Græcia, & Terra Sancta: in Prouincijs Italiæ, & Hiſpaniarum necdum plene reſtituta ſanctioris vitæ diſciplina. In Tridentino Concilio (quod anno 1564. clauſum fuit) Ordo noſter præ alijs pollere viſus eſt, vt ſuo loco fuſius. Verum enimvero, quemadmodum in naturalibus euenit, vt vnius corruptio, ſit alterius generatio, & (Juxta Paulum) fractis per infidelitatem Iudaicis ramis, inſertæ ſunt Gentes, radiciſque, & pinguedinis olearum ſociæ factæ: ita caſus quarumdam Prouinciarum, Nouarum fuit natiuitas. Nauigatio ſiquidem Hiſpanorum duce Chriſtophoro Columbo Ianuenſi, nouum per Oceani vaſtitatem aperuit Orbem ad polum Antarcticum, & Antipodas, vbi tam magnæ ad meſſem repertæ ſunt ſegetes, vt in Capitulo Generali Salmaticenſi anno Domini 1551. in quinque Prouincias diſtributa ſit illius amplitudo Regionis, ibi adnotatur.

Anno Domini 1518. Frater Thomas de Vio Caietanus, qui Magiſterium cum Cardinalatu Summi Pontificis iuſſu tenuerat, Capitulum Generale Romæ habendum indixit vbi Magiſterio ſe abdicaturum declarans, Vocales vt ad electionem libere procederent hortatus eſt. Quorum communibus ſuffragijs electus eſt Magiſter Ordinis Frater Garzias a Loyaſa Prouincialis Hiſpaniæ, qui reformationi per prædeceſſorem in quibuſdam Prouincijs inchoatæ, in quibuſdam promotæ; animum adijciens: nonnihil profecit in Hiſpanijs, quorum ingenia callebat Hiſpanus. At minus feliciter ſucceſſit in Italia, vbi Congregationes minus in Regularis vitæ rigore confirmatæ, alijs vitæ laxioris admixtæ, eas non modo non prouexerunt ad optimum, ſed ne quidem in bono confirmare potuerunt; quin potius in ſuo ipſe ortu conciderunt, & in partu extinctæ ſunt.

Habuit dictus Magiſter Ordinis Capitulum Gene-

rale Valliſoleti in Hiſpania anno Domini 1523. , & paulo poſt a Carolo Quinto Auguſtiſſimo Romanorum Imperatore , & Hiſpaniarum Rege in Confeſſorem adſcitus , Oxomenſem Epiſcopatum in Hiſpanijs accepit , & Ordinis Magiſterium depoſuit , quem geſtauit annis 6. & amplius . Demum a Summo Pontifice Clemente Septimo anno 1530. inter Cardinales ad titulum Sanctæ Suſannæ renunciatus , deinde ex Epiſcopatu Oxomenſi ad Saguntinum , e Saguntino demum ad Hiſpalenſem promotus , Regij Conſiliarij Præfectus : obijt in Hiſpanijs anno 1546.

Huius Magiſtri tempore , anno videlicet 1522. v. idus Ianuarij , Adrianus Quintus Flandrus Petri Cathedram Vir eruditus , & pius moderatus eſt , anno vno , menſibus 8. diebus 3. cui , anno 1523. ſuffectus eſt Clemens Septimus Medices , Florentinus , atque annos 10. menſeſque totidem , ac dies 7. ſedit : ſi tamen ſediſſe dici potuit , qui tot agitationibus affectus , & afflictus fuit . Primo quidem ſeditione quorumdam ſpoliato Palatio Vaticani , vix euaſit in Adriani Molem , quam dicunt Arcem Sancti Angeli : deinde ab exercitu Cæſareo capta Roma , atque direpta , in eadem Arce , quo cum multis abſque commeatu confugerat , ſeſe dedere , ac è Militum manibus pecunia ſe redimere coactus fuit Chriſti Vicarius . Sed hæc alijs relinquamus , nos noſtri Ordinis , & æri incidentia percurramus .

Hoc tempore Frater Franciſcus de Victoria , eximius doctrinæ vir , Cathedram Salmaticenſem claram fecit , Hiſpanornm ingenia ad Theologica ſtudia prouocauit , excitauitque ad veram Philoſophiam : cuius ſtudium æmulatus eſt Frater Didacus ipſi carne Germanus , ſed concionibus aptior , & magis intentus , qui Confraternitatem Sanctiſſimi nominis DEI inſtituit . Quorum Religionem ſectatus eſt Frater Dominicus a Monte Maiori , qui dum reſtitutioni vitæ Regularis impenſius incumbit , a facinoroſis occiſus fuit .

Bonorum quoque ſtudiorum æmula Gallia , dedit nobis

Fra-

Fratrem Raymundum Iolinum Toloſanum, reformationis parentem, & fidei zelantiſſimum defenſorem, qui munus cenſuræ Hæreticorum, ſiue Inquiſitionis fideliter exequens apud Toloſates, coactus eſt exulare, & patria, domeſticis, & amicis relictis, mori. Dedit & Fratrem Ioannem de Fenario, teſtimonio Caietani doctiſſimum. Fratrem Carolum quoque Pinellum Britonem, cuius doctrinæ fluuidam vbertatem, Roma mirata eſt. nec defuit Italia mater Ingeniorum proferre Fratrem Martinum Iuſtinianum Ianuenſem, Fratrem Gaſparum Peruſinum, Gymnaſii Patauini Metaphyſicum, cui collegas adiunxerunt ſe Frater Nicolaus Columbus, & Frater Sebaſtianus, ambo Peruſini; ſed ille Philoſophus, iſte Aſtrologus.

CAPVT XVI.

De Fr. Franciſco Silueſtro Ferrarienſi XL. Ordinis Generali; aliiſque quatuor Magiſtris, in Officio Generalatus eidem ſuccedentibus.

ANno Iubilæi 1525. in Capitulo Generali Romano electus eſt vnanimiter in Magiſtrum Ordinis XL. Frater Franciſcus Sylueſter Ferrarienſis, tunc Vicarius Ordinis, Vir egregia forma, Principibuſque, ac Magnatibus ſumme gratus. Hic plures annos Bononienſe Studium rexit, & ſolemniſſimis diſputationibus clarum ſe fecit. Illuſtrauit clariſſimis Commentariis Libros Sancti Thomæ contra *Gentes*, Libros quoque *Phiſicorum*, & *Poſteriorum Ariſtoteli*. Præfuit Ordini toto triennio, & licet corpore grauis, Prouincias tamen Ordinis viſitando luſtrauit ex officio, reſtituendæ vitæ Regularis, quam in Congregatione Lombardiæ a teneris imbiberat, pro viribus intendens. Et cum ex Gallijs in Hiſpaniam pertranſire meditaretur, in Conuentu Rhedonenſi mortuus eſt anno Domini 1528. Adſtitit morienti D. Iuo Mayeux eiuſdem Vr-

bis Epiſcopus, ex Ordine noſtro, (cuius Beatificationis Cauſa in Sac. Rituum Congregatione hoc tempore agitatur) eidemque ſuis manibus Sacramenta vltima miniſtrauit.

Secuta morte Magiſtri Syluestri, vacauit Magiſterium per totum Interregnum, vſque ad annum 1530. quo anno, in feſto Pentecoſtes, in Capitulo Generali Romano, factus eſt omnium ſuffragijs Magiſter Ordinis XLI. Frater Paulus Butigella, Papienſis, ex Congregatione Lombardiæ, tunc Procurator, & Vicarius Ordinis exiſtens, Vir in regendis, ac moderandis Cœnobijs famoſus, Ordinis tamen gubernio parum intendere potuit, infirmitate, & celeri morte præpeditus; quippe qui anno ſequenti die 9. Octobris obiit Neapoli.

Eo tempore duæ Congregationes in Italia, Religionis, opinione celebres, & vitæ Regularis obſeruantia conſpicuæ, in Prouincias erectæ ſunt; ſuppreſſo nomine, & titulo Congregationis. Huius præcipua cauſa hæc affertur. Clemens Settimo in ſuis quas paſſus erat tribulationibus, inter cætera vouiſſe fertur, ſi Deus illi quietem præſtitiſſet, ac libertatem, daturum ſe operam, vt Ordines Mendicantium ad antiquam viuendi formam reuocarentur. Perſuaſumque illi fuerat, id facile ſe conſecuturum, ſi Capita Ordinum, ex reformatis, ſeu (quod dicebant) ex Obſeruantibus aſſumerentur; Caput vero, & Magiſtrum in Ordine Prædicatorum ſemper eiuſmodi futurum, ſi Electores illius ex reformatis fuiſſent: quod tunc futurum ſperabatur ſi titulus Prouinciæ illis Congregationibus datus fuiſſet. Propterea Summus Pontifex Congregationem vtriuſque Lombardiæ in duas Prouincias partitus eſt: Prouinciæ Sancti Dominici, ſeu Lombardiæ inferioris, & Prouinciæ Sancti Petri Martyris; ſeu Lombardiæ ſuperioris titulum conferens. Congregationem vero Tuſcæ, ſeu Sancti Marci, in Prouinciam Romanam reformatam erexit, atque his tribus Prouinciis tunc primum Priores Prouinciales, Apoſtolica poteſtate præfecit: hac lege; vt ſuos Conuentus, ideſt Fratrum Obſeruantium per ſe immediate regerent, Conuentus vero cæte-

cæteros per Vicarios moderarentur, quoad reformationem, quam Pontifex intendebat ipſi etiam apprehenderent. Alij aliam hujus Apoſtolicæ diſpoſitionis cauſam aſſignabant, ſed mihi hæc maxime probatur vera.

Congregationis Lombardiæ Proceres, & Patres, præfatam viſionem Regularis vitæ detractiuam, & deſtructiuam arbitrantes, egerunt cùm Sancto Pontifice, vt Congregatio integra remaneret, Prouinciæ tamen titulo gauderet: ſicque duæ præfatæ Prouinciæ in vnam vtriuſque Lombardiæ Prouinciam coierunt, ſub vno Priore Prouinciali; quem ex ſuis tantum eligerent, excluſis Fratribus Conuentuum non reformatorum, qui olim gaudebant, & titulo, & priuilegiis Prouincialium. Idem etiam factum eſt in Romana Prouincia: indeque ſecutum eſt, quod Fratres Conuentuum non reformatorum, tam in dictis duabus Prouincijs Lombardiæ, quam in Romana, ubi ſenſerunt ſe excluſos, ſubiectionem a Prouincialibus declinauerint: & caput cuius cura dirigerentur, ſibi ex ſuis præfici petierint, & obtinuerint, quem Vicarium nuncuparunt. Qui ex illis & ab illis eiectus, inſtar Prioris Prouincialis ſuis Conuentibus præeſſet, omnibuſque priuilegiis gauderet, quibus Priores Prouinciales, præter vocem in electione Magiſtri Ordinis, & in Capitulo Generali. Ita nouum nomen Vicariarum inuectum eſt in Ordinem: eratque tres in Italia, videlicet Sancti Dominici, Romana, & Sancti Petri Martyris,

Anno Domini 1532. in Generali Capitulo, Romæ habito ad feſtum Pentecoſtes, Fr. Ioannes de Fenario, Gallus, Conuentus Morlanenſis, Prouinciæ Toloſanæ, communi voto, ex Procuratore, & Vicario Ordinis, in Ordinis Magiſtrum Quatrageſimoſecundo electione peruenit. Hic reformationi, quam Summus Pontifex intendebat vehementer fauit, habuitque Generale Capitulum Lugduni anno Domini 1536. Deinde Franciſco Chriſtianiſſimo Regi Francorum, vel propter verbum (vt dicebatur) liberius prolatum, & repetitum ſuſpectus, vel propter depoſitionem Prioriſſæ Prulliani,

contra

contra quorundam Procerum Regni voluntatem infenſus, vel ob aliam, quæ nos latuit cauſam, iuſſus eſt non exire ſepta Conuentus Toloſani. Sicque ſextum a ſua promotione annum complens, die 6, Iulij anno Domini 1538: Toloſæ, paulo ante libertate donatus, diem clauſit extremum.

Interea Clemente Septimo ad Patres relato anno Domini 1534. Alexander Farneſius, patria Somanus, ad Summum Pontificatum euectus, Paulus hoc nomine Tertius dictus eſt, feditque annis 15. diebus 29. Vir certe ſuo ſeculo omnium prudentiſſimus, qui rem Eccleſiaſticam, & Pontificiam dignitatem magna ſemper maieſtate ſeruauit. Concilium Tridentinum primo Mantuæ, poſtea Vincentiæ, tertio Tridenti indixit, ac celebritate magna inchoari fecit anno Domini 1545. Quod tandem anno 1563. iv. Decembris abſolutum, & clauſum eſt, ſub Pio Quarto Hic Paulus Ordinem noſtrum præcipua dilectione complexus eſt, & fouit ſemper: illeque Fratrem Nicolaum a Scomperg, quem Leo Decimo anno 1520. Archiepiſcopum Capuanum inſtituerat, Cardinalitio galero donauit anno 1563. Virum ſummæ virtutis, qui liberales artes ſub diſciplina Fratris Hieronymi Sauonerollæ didicit. Multas obivit Legationes, a Clemente Settimo Pontifice commiſſas, quas ſumma prudentia in Eccleſiæ honorem expleuit. Clemente Papa mortuo, necdum Cardinalis, parum abfuit, quin in Comitijs Adriani Papæ Sexti Summus Pontifex ſit renunciatus. Scripſit plures Epiſtolas, & quinque edidit Orationes, *De Chriſti pugna cum diabolo*, Virtutibus, & doctrina clarus, v. idus Septembris anni 1537. defunctus, in humili loco, quem elegerat, Romæ ante fores Eccleſiæ Conuentus Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam tumulatus eſt.

Idem Pontifex Paulus III. anno Domini 1538. die 20. Decembris, retulit inter Cardinales Fratrem Ioannem Aluarez, Hiſpanum, ex nobiliſſima Toletana familia, Albæ Ducis filium, Ordinis noſtri Alumnum: qui primo Cordubenſis Epiſcopus, deinde Burgenſis, ac tandem

Archie-

Archiepiſcopus Compoſtollanus factus, à dicto Pontifice, primò Sancti Sixti, deindè Sancti Clementis, tandem Sancti Pancratii Presbyteri Cardinalis titulo decoratus; inde Epiſcopus Albanus, & demùm Tuſculanus factus, mortuus eſt anno 1557. & ſub depoſito ad Minervam commendatus. Idemmet Fratrem Thomam Badia Mutinenſem, qui multis annis Magiſter ſacri Palatii multos, & gravas labores pro fidei Catholicæ defenſione pertulerat, honorare volens, non ſemel tantùm, ſed etiam ſecundò, duobus diverſis Generalibus Capitulis pro electione Magiſtri habitis propoſuit: vt ad Magiſterium Ordinis eligeretur. Cumque Capitulum ſuis petitionibus parum morigerum in hac parte fuiſſet expertus, vim inferre noluit Ordinis libertati, ſed aliunde remunerationem honeſtiſſimam viro parauit, eumque fecit Præsbyterum Cardinalem tituli Sancti Silueſtri anno Domini 1542. Qui ſuæ profeſſionis non immemor, ſimplicitatem victus, veſtituſque, & morum, quam in Ordine ſemel imbiberat, etiam Cardinalis retinuit. Obijt autem anno Domini 1547. viij. idus Septembris. Scripſit *Commentaria in octo Libros Phyſicorum*, *In Libros de Anima*. *In Libros Metaphyſicos* *De prouidentia Dei*, & *Librum quæſtionum Phyſicarum, & Metaphyſicarum*. Sed dum Pauli Tertij dilectionem, & affectum erga Ordinem proſequor, aliquantiſper euagatus ordinem hiſtoriæ prætergreſſus ſum, ad ipſam ergo regredior.

Anno Domini 1539. in Capitulo Generali Romæ, in feſto Pentecoſtes habito, Frater Auguſtinus Recuperatus, Fauentinus, Procurator, & Vicarius Ordinis factus eſt Magiſter Ordinis XLIII. Vir ſagax, & acris ingenij, qui reformationem in Conuentu Sancti Dominici Neapoli tentauit, & quamdiu ipſe ibidem fuit profecit nonnihil: ſed eo diſcedente, poſt non multum temporis, res in deterius lapſa eſt, & defecit. In Vrbem reuerſus, & in febrim prolapſus in vigilia Sancti Thomæ Apoſtoli anno 1540. Magiſterium cum vita depoſuit. Indictum fuerat Generale Capitulum Barcinonæ in Pronio-

uincia Arragoniæ, ac propterea Pater Prouincialis eiuſdem Prouinciæ, tanquam Ordinis Vicarius, Ordinis regimen iuxta Conſtitutiones aſſumpſit: ſed Summi Pontificis authoritate, translatum fuit Capitulum ad Conuentum Mineruæ, Romanæ Prouinciæ; atque hanc ob cauſam Frater Angelus Cataneus Diacetus Florentinus, illius Prouinciæ Prouincialis, & iure Conſtitutionum, & litteris Summi Pontificis, factus eſt Vicarius Ordinis: ſtetitque toto interregno, ad annum 1542. quo anno in feſto Pentecoſtes Romæ in Generali Capitulo, concordi obedientia, & communi ſubiectione Frater Alber-Caſaus Hiſpalenſis Prouinciæ Bethicæ, egregius apud Hiſpanos Concionator ex Procuratore Ordinis electus eſt XLIV. Ordinis Generalis. Is paulo poſt ex Vrbe in Hiſpanias, viſitando reuerſus eſt. Cumque Ianuam prætergreditur Sancti Dominici Ianuenſe famoſum Cænobium, Fratribus vitæ regularis Prouinciæ vtriuſque Lombardiæ noſtri Ordinis, tradidit incolendum. Ipſe vero languens, Valliſoleti ſubſtitit, vbi 16. Nouembris 1544. migrauit ad Chriſtum, Eius Corpus illo defuncto delatum Hiſpalim honeſtiſſimo conditum eſt loco ad Sanctum Paulum. Vacauit Magiſterium Ordinis poſtmodum ad annum 1546.

Hoc interregno celeberrimus Conuentus noſter Sancti Marci Florentiæ, datus fuit Fratribus Congregationis, Lombardiæ, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini expulſis ex eo Fratribus noſtri Ordinis, abſque beneplacito, aut conſenſu, immo etiam ſine ſcitu Sedis Apoſtolicæ. Quam rem egerrime tulit Paulus Papa Tertius ſuſpicatuſque eſt (vel quod ſuſpicatus fuiſſet videri voluit) negotium illud Religionis, & fidei cauſa factum eſſe, quod in oculis eius, in portis Vrbis, Fratres noſtri Ordinis, qui fidei propugnatores, & acerrimi Sedis Apoſtolicæ poteſtatis aſſertores habiti ſemper fuerunt, nulla ipſorum (quæ allegaretur) culpa e domo propria, & domo tam inſigni pulſi eſſent, ac Fratres illi alienam domum occupaſſent. Nec diſſimulauit, quin etiam minis, cenſuris Eremitanos abire iuſſit; noſtris

noſtris vero domum, & Conuentum ſuum reſtitui omnibus ſcilicet, qui inde eiecti fuerant; vt videlicet, qui contumelia, aut ignominia affecti fuerant, ijdem ipſi honore afficerentur. Quod magno Dei beneficio factum eſt ſexageſima quinta die, poſtquam inde extruſi fuerant: expertuſque eſt Ordo noſter, in quanta apud Prælatos Eccleſiæ, & Principes ſæculi eſſet opinione, quantoque coleretur affectu, & reuerentia. Fauit huic cauſæ præſentia Fratris Bartholomæi Spina Piſani, religioſiſſimi viri, & rerum fidei ardentiſſimi zelatoris, tunc Magiſtri ſacri Palatij: cuius ſinceritate, zelo, & eruditione delectatus Paulus Pontifex, familiariſſime illo vtebatur, & libentiſſime quidquid hac in cauſa ſuggeſiſſet, audiebat.

Noua autem cœpit hac ætate Dominicana Religio in Romana Curia dignitate ſplendeſcere. Cum enim Paulus Papa III. Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Congregationem anno 1542. erexiſſet, illique Petrum Cardinalem Caraffam præcipuum, vna cum noſtro Cardinali de Toleto iam ſupra memorato arbitrum præfeciſſet; primus eiuſdem Inquiſitionis Commiſſarius promulgatos fuit Frater Theophilus de Tropela Calaber: quo vita functo, ſuffectus fuit in idem officium Frater Michael Ghislerius, ex Prouincia Lombardiæ ſacræ Theologiæ Magiſter (de quo infra redibit ſermo.) Sed cum & hic paulo poſt propter officium Generalis Commiſſarij Inquiſitionis probe adminiſtratum a Paulo Papa IV. ad Epiſcopatum Nepeſinum veheretur; ſucceſſit in eius locum Frater Thomas Scotus ex eadem Prouincia Lombardiæ, vir doctiſſimus; ſicque ex tunc vſus inualuit, & conſuetudo in legem tranſiſſe videtur, fauente Romana Sede; vt Fratres Prædicatores ex Prouincia Lombardiæ Commiſſarij Sancti Officij denominarentur. Et quamquam aliorum Ordinum quidam hoc officium ambiuerint, petierint, & forte meriti fuerint; non tamen illud vnquam obtinere potuerunt.

His etiam temporibus floruerunt in Ordine doctiſſimi viri,

viri, Frater Ioannes Benedicti Pariſienſis Academiæ lumen, & decus: cui indiuiduus comes, ex eodem Conuentu Ebroycenſi Gallicanæ Congregationis adiunctus eſt Frater Thomas Laurentij. Sed quantum iſte in regimine valuit, tantum ille Ioannes doctrina præcelluit. Hunc Henricus Francorum Rex Ordini Vallis ſcholarium Generalem præfecit. Cœpit hic Ordo cum noſtro ſub eadem Auguſtini Regula, eodemque Habitu; ſed ille intra vnam vallem ſeſe in duodecim Cœnobijs, aut Monaſterijs coercuit, noſter vero in Orbis latitudinem ſe diffudit. Floruit & Frater Stephanus Paris Aurelianenſis, qui poſtquam Prouinciam Franciæ multis annis religioſe rexerat, vir in dicendo facundiſſimus, & efficax, ad Epiſcopatum Abelonenſem aſſumptus eſt, Rothomagenſique Eccleſiæ Suffraganeus datus: quam Ciuitatem, quamdiu vixit: in Catholicæ Fidei communione continuit; ſed eo per mortem ſublato, Rhotomagum, vi hæreticorum ceſſit, & armis. Duos adhuc ex eadem Congregatione recenſebo, doctrina præcellentes Viros, Fratrem Matthæum Ori Inquiſitorem Generalem Franciæ, qui Sanctum Ignatium Fundatorem Societatis Ieſu tum Pariſijs, vbi apud noſtros in Conuentu S. Jacobi Theologiæ operam dedit, tum Romæ ab aduerſarijs egregie defendit: & aureæ linguæ Fratrem Petrum Deaurati.

Protulit & Hiſpania Viros doctrina, & religione inſignes, Fratrem Petrum Soto, ſed præ eo tanquam luminare maius Fratrem Dominicum Soto, vtrumque Carolo V. Romanorum Imperatori ſucceſſiue a confeſſionibus, vtrumque doctrinam ſuam Concilio Tridentino, ſcriptis quoque toti Orbi declarantem. Nec deſijt Italia dare nobis Fratrem Vitum a Mathera, ſyduſque alterum longe clarius, Fratrem Vincentium Vincentinum, Studij Bononienſis Moderatorem: cui adde Collegam nominis, & officij Fr. Vincentius Placentinum. Sed & in Romana Prouincia, obijt Fr. Jacobus Siculus, ſanctiſſimæ Vir exiſtimationis.

C A P V T XVII.

De Fr. Franciſco Romeo XLV. Ordinis Generali; alijſque duobus Magiſtris in Officio Generalatus eidem ſuccedentibus.

ANno Domini 1546. in Capitulo Generali Romano electus eſt in Magiſtrum Ordinis XLV. Frater Franciſcus Romeus Reatinus Caſtilionenſis, ex Procuratore, & Vicario Ordinis. Hic exiſtens Prouincialis Terræ Sanctæ, & Ioannis de Fenario olim Magiſtri Ordinis in peregrinationes comes apud Gymnaſia Galliarum, & Hiſpaniarum, quæ cum dicto Magiſtro Ordinis viſitando attigit, doctrinæ profunditate, & eleganti facilitate diſſerendi, literatiſſimi hominis famam ſibi comparauit. Sed & rigor auſterioris vitæ, illum non minus commendabilem faciebat. Sex annis integris Ordinem gubernauit, aliquando Concilio Tridentino detentus, alias autem luſtrandis Prouincijs ſemper intentus. Celebrauit Capitulum Generale apud Salmanticam anno Domini 1551. vbi authoritate Summi Pontificis decreta eſt reformatio Breuiarij, in quo aliqua expuncta, addita multa, caſtigata ſunt omnia, præſertim in lectionibus Sanctorum, in quibus incerta, dubia, & apocripha quædam dicebantur ineſſe. Hocque onus iniunctum eſt Reuer. Patri Fr. Angelo Bettino Florentino in Magiſtri Generalis ſocietate, Prouinciali Angliæ: qui vt Vir erat ingentis induſtriæ, præſtitit egregie, quod ab vno homine in hac re poterat expectari. Eadem authoritate additum eſt Commune vnius Sanctæ nec Virginis, nec Martyris, & dies Dominica, quæ prius ſub Simplici officio celebratur, iuſſa eſt pro ſolemnitate ſub Duplicis officio celebrari. In Capitulo vero immediate ſequenti hoc idem confirmatum eſt, & decretum, vt Officium Beatæ Virginis

a Mu-

a Matutinis Dominicæ per totam diem intermitteretur. Multa quoque alia circa Diuinum Officium mutata ſunt ibibem, quorum qui cupit habere notitiam, videat Acta eiuſdem Capituli Salmantini. In eodem quoque Capitulo decretæ ſunt Vniuerſitates pro exercitatione, & curſu graduandorum, extra quas non liceat ad gradus promoueri.

Ibi etiam diſcretæ, & ſuis limitibus determinatæ ſunt quinque Prouinciæ Indiarum Maris Oceani: quarum quædam prius erectæ, quædam tunc deſignatæ, & inſtitutæ fuerunt. Harum omnium prima eſt Sanctæ Crucis, cui data eſt Inſula Hiſpaniola, cum adiacentibus: videlicet, de Cuba Sancti Ioannis, Portus diuitis, & Iamaica. Secunda Sancti Iacobi de Mexico, quæ habet nouam Hiſpaniam a terra Tequantepeque excluſiue, vſque ad Floridam. Tertia S. Io. Baptiſtæ del Perù, a Portu nominis Dei incluſiue, & vltra quouſque terminetur quarta S. Vincentij de Chiappa, a Tequantepeque incluſiue vſque ad Oppidum de Nata Hiſpanorum per littus antarcticum, & littore Arctico, ad Oppidum de Guazaqualco incluſiue. Quinta Sancti Antonij de nouo Regno Granatæ, cum Regno Popayan, vſque ad Prouinciam de Quito excluſiue, & per terram interiorem quouſque terminetur: per littus vero maris, ab Oppido de Acla quouſque terminetur.

Nec prætereundum ſilentio eſt, quod huic Magiſtro Generali, per Gallias iter facienti, & Conuentus ex officio viſitanti, Rex Francorum Henricus per litteras inhibuit, ne vlterius progrederetur. Perſuaſus namque fuerat (licet falſo) Generalem Romeum cum pompa, & familia multa grauare Conuentus, qui in veritate ſunt pauperes. Cæterum eam calumniam confixerant illi, qui iuſtiſſime formidabant viſitationis examen: cum reuera Magiſter Ordinis præfatus, maxima cum ſimplicitate, & exigua familia comitante procederet. Hanc tamen veritatem aperuit, & ſuggeſſit Regi Dominus Michael a Turre Cenedenſis Epiſcopus, tunc in Regno Galliæ Nuncius Apoſtolicus: cui cum propter affectum, & beneuolentiam multum

cum debeat Ordo noſter, vel ex hoc maxime debet, quod eius opera, & inſtantia Rex ipſe certior factus, ſuis litteris ampliſſimam facultatem, & poteſtatem in toto Regno fecit Magiſtro Ordinis ſuper Conuentus, & perſonas. Poſt hæc Generalis Romeus ex Tridentina Synodo (cui poſt Salmaticenſe Capitulum interfuit) reuerſus, Romæ obijt anno 1551. die 20. Iulij, graui tactus apoplexia, eſtque conditus ad Mineruam ſub marmoreo lapide; ante Aram maiorem.

Tempore eius Generalatus, Sedem Petri conſcendit Iulius Tertius Pontifex Maximus electus anno 1550. vi. idus Februarij, antea vocatus Ioannes Maria de Monte, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus. Hic pro Iubilæo magno portas de more aperuit, & facultatem exeundi Italia, (quam Paulus Tertius Magiſtro Ordinis propter Concilium noluerat impertiri) facile conceſſit. Sedit annis quinque, menſe vno, diebus ſexdecim. Hic Pontifex, anno ſui Pontificatus ſecundo, tertia creatione, promouit ad Cardinalatum tituli Sanctorum Petri, & Marcellini; Fratrem Petrum Bertanum Mutinenſem, ex Ordine Prædicatorum: virum magnis in Eccleſiam meritis, & laboribus perhonorificum, qui a Paulo Papa Tertio Epiſcopatu Tanenſi donatus, ab eoque ad Concilium Tridentinum miſſus, mox a Iulio Pauli ſucceſſore ad Carolum Quintum Imperatorem Nuntius deſtinatus fuerat. Immo parum abfuit, quin a Cardinalibus Conclaue ingreſſis, in Iulij Tertij ſucceſſorem omnium conſenſu nominaretur. Obijt anno ætatis ſuæ 57. Domini vero 1558. viij. Idus Martij; ſepultus in Eccleſia ſui Ordinis Romæ apud Sanctam Sabinam, in Monte Auentino.

Anno 1553. ad feſtum Pentecoſtes indictum fuerat Capitulum Generale, celebrandum Romæ per Fratrem Stephanum Vſuſmaris Ianuenſem, tunc Procuratorem Ordinis, & Vicarium authoritate Apoſtolica factum: in quo idem ipſe maxima pace, ſummo omnium conſenſu, & gratulatione aſſumptus eſt ad Magiſterium Ordinis,

 factuſ-

factuſque Generalis XLVI. Vir profecto eo munere dignus, quippe qui ad regendum Fratres videretur natus; tanta illi comitas, tanta facilitas, tanta erga omnes beneuolentia; vt omnes tanquam pater filios admitteret: tantus deinde zelus, & legum obſeruantia, & grauitas, vt ab omnibus reuereretur, ſicque & timeretur a malis, & coleretur a bonis. Eccleſiaſticarum cæremoniarum callentiſſimus. Chorum continuo frequentabat. Apud doctos eruditus, ſimplicioribus vero non moroſus, apud magnates honorabilis, apud minores humilis. Delicta rationibus, non contumelijs, aut conuitijs arguebat: efficax in dicendo, promptus & argutus in reſpondendo, in decernendo ſolidus, omnibuſque numeris adeo abſolutus fuit; vt in eo nihil, quod ad regimen Fratrum ſpectat, deſiderari poſſet tantum autem commodum inuidit Ordini mors præpropera, quæ illum die 3. Martij 1557. ſuſtulit. Corpus eius ſolemni pompa ſub marmoreo lapide ad Mineruam, præ gradibus Presbyterii conditum eſt. Non deſiit autem hoc breui tempore regularem vitam promouere, viſitatis ex officio Italiæ Prouinciis, & Florentino Sanctæ Mariæ Nouellæ illuſtri Cœnobio regulari vitæ reſtituto. Quin etiam ſuæ diſciplinæ, & inſtituti reliquit alumnum, & ſucceſſorem Fratrem Vincentium Iuſtinianum, qui ſibi ſex annis, quibus Procuratorem, vel etiam Vicarium Ordinis egit, quatuor quibus Magiſterium geſſit, amanuenſis, & a ſecretis, comeſque indiuiduus fuit, de quo mox infra.

Interea vero Iulio III. per mortem ſubtracto, ſucceſſit Marcellus Papa II. electus anno 1555. v. Idus Aprilis, & nonniſi 22. diebus Cathedram Petri tenuit: ad quam poſt eius mortem eodem anno, x. kalendas Iunij aſſumptus eſt Paulus Papa IV. Ioannes Petrus Caraffa antea nominatur, vnus ex Neapolitanis Proceribus. Seditque annis 4. menſibus duobus diebus 27. Hic Pontifex in adoleſcentia ſua, animo accipiendi Habitum Ordinis noſtri Conuentum Sancti Dominici de Neapoli ingreſ-

ſus

ſus eſt: ſed antequam eo indueretur, vi inde abreptus fuit. Deinde Caroli V. Hiſpaniarum Regis, & Romanorum Imperatoris Curiam, inde Romanam coluit, ingenio, & memoria pollens: non fruſtra literis Græcis, & Latinis operam dedit, ita vt græce, ac latine, hiſpanice quoque, atque italice ex tempore dicere poſſet, ac perorare. Humanam Philoſophiam, ſed longe magis Theologiam calluit, Iuris vtriuſque non ignarus. Epiſcopatum Theatinum aliquandiu tenuit, cui tempore Clementis Papæ VII. ſub ſpecie ſanctitatis, & quietioris vitæ vale fecit: alijs quibuſdam ſe comitantibus, qui ſimili ſtudio, beneficijs Eccleſiaſticis, & non tenuibus redditibus renunciauerant. Ex his Clericorum in communi ex oblatis viuentium conflata eſt Congregatio Theatinorum, è qua primus ipſe Inſtitutor prodijt, a Paulo Tertio inter Cardinales relatus. Tum vero Theatinum Præſulatum, non iam Epiſcopali, ſed a Clemente VII. Archiepiſcopali titulo cohoneſtatum reaſumpſit, & Marcello defuncto, Summi Pontificatus munus adeptus eſt.

Regebat interea Ordinem noſtrum poſt obitum Magiſtri Stephani Vſuſmaris, Frater Petrus Martyr de Lugano, quem idem Summus Pontifex Paulus Quartus ob eximiam de illius prudentia, religione, & ſanctitate opinionem, Ordini Vicarium præfecerat, ſibique in Confeſſarium delegerat; & in Palatio Apoſtolico commorantem, de ſuo penu alebat. Vtque operi poſſet ſufficere, Fratrem Vincentium Iuſtinianum Prouincialem Angliæ, rerum, perſonarum, & ſtatus Ordinis apprime gnarum, ei dedit adiutorem. Sed hic Vincentius in Capitulo Generali Romano, ad feſtum Pentecoſtes anno 1558. celebrato omnium conſenſu, primo ſuffragio Magiſter Ordinis Quadrageſimoſeptimo electus eſt, & a Summo Pontifice conprobatus. Erat ille natione Græcus e Regulis Chio, in Conuentu de Caſtello Ianuæ Profeſſus, ingentis vir animi ſummæ prudentiæ, totuſque ad regendum natura com-

 para-

paratus: dignus denique ſui in Magiſterio Prædeceſſoris Alumnus, & hæres. Hic ſuo Officio, & muneri intentus, Prouincias Franciæ, Hiſpaniæ, & aliquas in Italia inuiſit, ac pro poſſe Ordinem antiquo candori reſtituere curauit. Celebrauit in diuerſis locis Capitula Generalia, primum quidem Auenioni anno 1561. Inde reuerſus Oecumenicum, ac Generale Concilium Tridentinum adijt, vbi magnum ſibi doctrinæ, prudentiæque nomen comparuit, omniumque ibidem præſentium Religioſorum, ac Prælatorum animos ſibi conciliauit. Magna conſtantia, ſed & modeſta libertate ſtabat, & loquebatur pro Religioſis, Religioſorumque Ordinibus, ac eorum Priuilegijs, & exemptionibus; quas ex toto quidam moliebantur auferre. Contra quos (deſpondentibus animo cæteris) ille ferme ſolus acriter ſeſe oppoſuit. Si tamen ſolus reputandus erat, qui tot, tantorumque ex Ordine ſuo virorum multitudine, & dignitate fulciebatur. Erant quippe illi præſto ex Prædicatorum familia, octodecim Antiſtites, illique doctiſſimi: vltra hos viginti ſeptem Theologi inſignes, e quorum numero vnus fuit ille Frater Franciſcus Forerius Luſitanus, qui deputationi ad Cenſuram Librorum Secretarius in eodem Concilio datus, Indicis Librorum ordinandi, & in eam formam, qua legitur edendi auctor fuit. Hicque conſuetudo inualuit, vt officium Secretarij Indicis, ad hæc uſque tempora, nonniſi Fratribus ex Ordine Prædicatorum conferatur. Eidem etiam Fratri Franciſco Luſitano Pius Papa Quarto iam poſt Concilium Tridentinum commiſerat, vt cum duobus alijs ex Ordine noſtro aſſumptis Antiſtitibus, Breuiarium, & Miſſale Romanum reformarent, Catechiſmumque ſelectiſſimum conficerent.

Concilio Tridentino (quod per annos 27. ab indictione protrahebatur) cum Pius Papa IV. finem impoſuiſſet, ſtatim e veſtigio celebrauit Capitulum Generale Bononiæ, Magiſter Ordinis ſupranominatus: vbi abolita quædam priuilegia intimauit, promptaque obedientia obſeruantiam

tiam Statutorum eiuſdem Concilij præcepit. Et hoc deſeruiuit pro norma, & exemplo alijs etiam Religioſorum Ordinibus: qui dum in Curia Romana in contra reclamare aliquantulum attentarent, ijs ſtatuta, & decreta Capituli noſtri Bononienſis a Iudicibus obijciebantur; vt nimirum obtemperarent Concilio, ad exemplum Fratrum Prædicatorum. Aliud Capitulum Generale Romæ celebrauit Magiſter Iuſtinianus anno Domini 1569. in quo Cangregatio Franciæ erecta eſt in Prouinciam cum titulo Prouinciæ Occitanæ. Peracta tandem honorifica Legatione ad Philippum Secundum Hiſpaniarum Regem pro negotijs Eccleſiæ Mediolanenſis, conſumptiſque in gubernio Ordinis annis duodecim, aſſumptus eſt Magiſter Generalis Iuſtinianus a Beato Pio Papa Quinto (de quo mox dicemus) ad Cardinalatum, primo tituli Sancti Nicolai inter Imagines, & poſtmodum tituli Sanctæ Sabinæ anno 1570. xij. Kalendas Iulij; in qua dignitate cum annos xj. laudabiliter exegiſſet, fractus infinitis pro Eccleſia Dei ſuſceptis laboribus, migrauit ad Dominum Romæ anno 1582. v. Kalendas Nouembris. Sepultus in Eccleſia Sanctæ Mariæ Super Mineruam, in qua & Sacellum in honorem Sancti Thomæ Aquinatis, & Bibliothecam in proximo Cœnobio, ac vicinas ædes extruxit.

Tempore huius Magiſtri Generalis protulit Ordo noſter Viros doctrina claros, & Eccleſiæ pugiles. Hæreſum namque, ac Hæreticorum occaſione, quorum ſolent feruere præcordia, & pacem turbare Sanctorum, (iuxta Diui Auguſtini ſententiam proficit Eccleſia: nam multa ad Fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine exagitatur, vt aduerſus eos defendi poſſint; & conſideratur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur: & ab aduerſario mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio. Hinc ergo Ordini noſtro, duæ datæ ſunt occaſiones claritatis, vna ſcilicet literario ſtylo cum Hæreticis congrediendo, altero cenſuram in Hæreticos propter ſancti Officij Con-

gregationem inſtitutam, Commiſſarioſque in ea ex Ordine noſtro deſignandos (vt ſupra ad finem Capitis 16. retulimus) exercendo. Qui ad Magiſterium ſacri Palatij Apoſtolici vocati ſunt, neruos omnes intenderunt contra hæreſes: & vires expenderunt Hæreticis impugnandis, expugnandiſque. Quorum labores etiam temporaliter remuneraturi, vel induſtria eorum ad commune Eccleſiæ bonum, & altiorem gradum vſuri Summi Pontifices, ad Præſulatus, & Inſulas promouerunt complures. Hinc Frater Hieronymus Mozzarellus Bononienſis, a Sacri Palatij Apoſtolici Magiſterio ad Archiepiſcopatum Compſanum promotus eſt. Inde etiam Frater Ægidius Foſcariarius, nobilis Bononienſis. Epiſcopatum Mutinenſem iuſſu eſt gubernare, fidemque Catholicam in eo ſtatuere, & confirmare. Quod ſanctiſſimis exemplis, & Catholica prædicatione præſtitit, Vir pius, & doctus. Nec eo minus fecit Frater Iacobus Naclantus in Epiſcopatu Clugienſi; niſi quod etiam ſcriptis Eccleſiam ædificauit, in quaſdam *Apoſtolicas Epiſtolas* editis *Commentarijs*. Item *ſuper Pſalmum* 90. Dedit etiam *ſacræ Scripturæ Medullam*: ita enim opus ab ipſo editum inſcribitur. Alia etiam meditatus non minus ſancte, quam docte. Promotus eſt ad Præſulatum Canarienſem Frater Melchior Canus Vir doctiſſimus, & paulo ante quam fuiſſet ſacratus, Epiſcopatui libere ceſſit; & inter Fratres tamquam vnus e Fratribus degens, Prouinciæ ſuæ Hiſpaniæ factus eſt Prior Prouincialis, in quo munere mortuus eſt. Si omnes qui hac occaſione promoti ſunt recenſere voluiſſem, in immenſum creſceret volumen.

Nec tamen laborum ſuorum glorioſo fructu fraudandi ſunt, qui non promoti ad altiorem gradum, in laboribus perſtiterunt. Quales fuerunt Frater Petrus Paulus Aretinus, gracili quidem, & exigua corporis habitudine, ſed magna ſcientia, & ardenti zelo: & Frater Daniel Cremenſis, quem ſecutus eſt Frater Thomas Manrique, auito genere illuſtris, ingenio ſolers, doctrina clarus, judicio ſolidus, & propoſiti prudenter admiſſi tenaciſſimus; qui

primo

primo Procurator Ordinis ad Vrbem vocatus, inde Magiſter ſacri Palatij Apoſtolici factus, in opere, & officio deceſſit.

CAPVT XVIII.

De Fr. Seraphino Caballo XLVIII. Ordinis Generali: & ſimul reliquis omnibus Magiſtris Ordinis, quotquot ad hæc vſque tempora fuerunt.

INeunte anno Domini 1560. vij. Kalendas Ianuarij, electus eſt Summus totius Eccleſiæ Pontifex Pius IV. ex Medicea familia. Seditque annis 5. menſibus 2. diebus 15. Succeſſorem illius in Sede Petri læta aſpexit, & in hanc vſque diem deuotiſſima colit, ac ſupplex inuocat Dominicana Religio: Summum Pontificem, filium ſuum inclytum, vitæ ſanctitate, & miraculis clariſſimum Beatum Pium Papam V. ex familia Ghisleria, Michaelem Cardinalem Alexandrinum antea vocitatum: qui poſt obitum Pii Papæ IV. anno ſalutis 1566. vij. idus Ianuarij, Diuino potius, quam humano nutu, præter ſuam, & omnium expectationem, Eccleſiæ Dei gubernaculis admotus fuit: hoc ipſo tempore, quo Religioſorum Ordines peſſundati, deiecti, & ſemiſepulti videbantur.

Iam Beatus hic Pontifex, antequam eligeretur, annos fere xj. in Cardinalatu exegerat, ad quem a Paulo Papa IV. poſt triennalem, & amplius Eccleſiæ Nepeſinæ, & Sutrinenſis adminiſtrationem aſſumptus fuerat: renunciatuſque anno 1557. idibus Martij Presbyter Cardinalis, primo tituli Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam, & poſtea tituli Sanctæ Sabinæ, ac demum ad priſtinum Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam titulum translatus, quem & retinuit, vſque dum in Pontificem Maximum acclamaretur. Michael igitur, qui *quaſi Deus*

(juxta nominis interpretationem) vel *humilitas Dei*, quæ celvor eſt hominibus, admonit manum Petri nauiculæ, tot hæreſum fluctibus agitatæ, infidelium armis tam dire vexatæ, tot malis Chriſtianorum moribus labefactatæ, iam iamque mergendæ; vt priſtinæ libertati reſtitui, & in optatum tranquillitatis portum reduci poſſit. In huius rei certiſſimam ſpem erigebantur, qui eius inculpatos mores, vitæ integritatem, rectitudinem, ſimplicitatem, & pietatem, quam ſemper coluit, contuebantur. Sedit in Pontificatu annis 6. menſibus 3. diebus 2;.

Hic Beatus Pontifex duos Cardinales ex Ordine Prædicatorum ſucceſſiue creauit (vltra promotionem Cardinalis Iuſtiniani, prout ſuperiori Capite retulimus.) Prima quidem creatione habita anno 1566. Pridie nonas Martij, fecit Cardinalem tituli Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam, Fratrem Michaelem Bonellum Pronepotem ſuum, quem etiam Cardinalem Alexandrinum cognominari voluit. Sed vel in ipſa hac noui Cardinalis creatione ſumma B. Pij V. iuſtitia, & integritas conſpiciebatur, quod nimirum carni, & ſanguini nihil concederet, ſed totum virtuti, ac probitati. Cum [et]en im complures Proceres, & Cardinales, apud Pontificem inſtarent, vt dictum Fratrem Michaelem Bonellum ſuo Cardinalitio pileo donaret, & ornaret; Epiſcopumque, ac Legatum crearet: vt ſibi eſſet in quo confidenter arcana deponeret, & ad quem (vt illi allegabant) alijs facilior pateret acceſſus. Huiuſcemodi petitiones non exaudiuit, nec eum ad Epiſcopatum ob defectum legitimæ ætatis promouit (primo enim tunc Michael Bonellus 25. annum agebat) nec prius Cardinalem fecit; donec de illius moribus, religione, ſcientia, & ingenio ab his, qui eius familiarem conſuetudinem habebant, eumque penitus nouerant, certior fieret. Tunc demum illis aſſenſit, fecitque eum Eccleſiaſtici regiminis quaſi conſortem, & in agendis executorem, ac ſuæ baculum ſenectutis: vt quæ ipſe Pontifex ſancte, prudenterque meditatus eſſet, Cardinalis Pronepos induſtriæ,

ac

ac fortiter exequeretur: data illi in ſpiritualibus, temporalibus, ac mixtis ampliſſima poteſtate. Ac ne vel errore, vel ob rerum magnitudinem, ac nouitatem terrore deficeret, aut deflectaret, ſed haberet ſemper ad quem in arduis, & dubijs confidenter recurreret, quemne conſuleret; graues, & peritiſſimos viros illi adjunxit: præſertim Reuer. Patrem Fratrem Euſtachium, Locatellum, doctrina, induſtria, & rerum agendarum experientia præſtantiſſimum, ſuique inſtituti Religioſum tunc in Romana Curia totius Ordinis Procuratorem. Superuixit Michael Bonellus in Cardinalitia dignitate annis fere 32. religionis, prudentiæ, integritatis, eximiæque virtutis laude præſtantiſſimus. Legationibus ſacri Fœderis ineundi cauſa ad Reges in Galliam, Hiſpaniam, & Luſitaniam perfunctus, multiſque pro Eccleſia ſuſceptis, laboribus obijt Romæ anno ſalutis 1598. ætatis 57. ſepultus in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam.

Alterum ex Ordine Fratrum Prædicatorum Cardinalium Collegio idem Beatus Pius Papa V. adſcripſit Fratrem Archangelum de Blanchis, ſacræ Theologiæ Magiſtrum, qui prius ſanctæ Inquiſitionis Commiſſarius fuit. Aſſumptus poſtea ad Epiſcopatum Theanenſem, annis nouem illam Eccleſiam rexit: ac tandem in tertia creatione anno 1570. habita; Presbyter Cardinalis tituli Sancti Cæſarij in Palatio renunciatus; dum magna de illo apud multos expectatio eſſet, inopinata febre affectus Romæ anno 1580. è vita abijt, ſepultus in Eccleſia Sanctæ Sabinæ.

Anno Domini 1571. in Capitulo Generali Romano, electus eſt in Magiſtrum Ordinis XLVIII. Frater Seraphinus Caballus Brixienſis ſacr. Theol. Magiſter prius terræ Sanctæ Prouincialis, ac Socius, fiduſque Comes Prædeceſſoris ſui Magiſtri Vincentij Iuſtiniani, Hiſpaniarum Prouincias viſitantis, ac poſtmodum Procurator Generalis Ordinis. Vir ſane integerrimus, & de Romana Eccleſia optime meritus. Præfuit Ordini annis ſeptem, & vnum Capitulum Generale Barcinonæ celebrauit. Prouincias

Italiæ

Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, & Flandriæ viſitauit, in eiuſque Religioſam diſciplinam ſtabiliuit. Cumque iam ſecundo in Hiſpaniam regrederetur, Hiſpali in Conuentu Sancti Pauli cum magna ſanctitatis opinione defunctus eſt anno Domini 1578. in ipſo feſto Præſentationis Beatæ Mariæ Virginis, cuius Roſarij deuotiſſimus Promotor fuerat.

Anno ſequenti 1572. poſt mortem Beati Pij Papæ V. (quem poſt decurſam integram 100. annorum periodum, Clemens Papa X. in Beatorum Album ſolemni ritu retulit) renunciatus eſt Summus Pontifex Gregorius XIII. Hugo Boncompagnus antea vocatus. Seditque annis 12. menſibus 10 diebus 28.

In Capitulo etiam Romano anno Domini 1580. celebrato, electus eſt in Magiſtrum Ordinis XLIX. Frater Paulus Conſtabilis Ferrarienſis, ſacri Palatij Apoſtolici Magiſter, natalibus, atque doctrina illuſtris: cuius electioni Gregorius Papa XIII. benigne annuit: illum etenim Vocalibus Capituli primum inter Candidatos propoſuerat, cuius inſignes virtutes, & religionis zelum optime nouerat. Hic viſitatis Prouincijs Regni, & Siciliæ, cum Venetias perueniſſet, curſum ſuum iubente Domino conſumauit, ibidem migrans ad Chriſtum die 17. Septembris anno ſalutis 1582.

Hoc tempore floruerunt ſanctiſſimi Viri: in Aragonia Frater Ludouicus Bertrandus, cuius habetur multa præclara opera, (ob quæ Sanctorum Faſtis, a Clemente Decimo Summo Pontifice, adſcriptus eſt) eiuſque feſtum celebratur die 10. Octobris. Item, Frater Ludouicus Granatenſis, multorum Librorum Scriptor illuſtris: non ſolum in Prouincia Bethicæ, & Portugalliæ, ſed & in toto terrarum Orbe clariſſimus. Frater etiam Bartholomæus de Martyribus, Archiepiſcopus Bracarenſis in Portugallia, qui cum annis 23. concreditum ſibi gregem pauiſſet, ſponte cedens dignitati, quam inuitus ſuſceperat, in pauperem cellulam ſe abdidit in Vianenſi Cœnobio, a fundamentis per ſe conſtructo. Etiam Frater Alexander Capocius, Florentinus,

alij-

alijque complures; quorum geſta non poſſunt tam breui compendio enarrari, ſed in maioribus Chronicis requirenda erunt Lectori.

Anno Domini 1583. in Capitulo Generali Romano, electus eſt in Magiſtrum Ordinis L. Frater Sixtus Fabri, Lucenſis, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter. Rexit Ordinem annis ſex, viſitationi Prouinciarum intentus. Interea dum in Hiſpania viſitatione Ordinis detineretur, electus fuit in Pontificem Maximum Sixtus V. Picenus, ex Ordine Conuentualium Sancti Franciſci, anno Domini 1585. die 12. Aprilis. Seditque annis 5. menſibus 4. diebus 3. Hic Pontifex Magiſtrum Generalem præfatum, ex Hiſpania Romana ad ſe accerſiuit, ibique futurum Generale Capitulum celebrandum indixit. Reuerſus Romam Magiſter Sixtus, a Generalatu per Pontificem deponitur. Cauſa depoſitionis credebatur infirma Sixti valetùdo, multis enim corporis infirmitatibus, & potiſſimum podagra diuexabatur. Depoſitione facta in Conuentu S. Sabinæ de Vrbe ſe recepit, in quo quadriennium poſt ſuperuixit. Quieuit in pace anno Domini 1594. die 16. Iunij: ibidem ſepultus prope Fratrem Munionem Zamorenſem, etiam a Generalatu depoſitum per Nicolaum Papam IV. Franciſcanum pariter.

Idem Pontifex Sixtus Quintus tertia creatione anno Domini 1586. habita, ex Ordine Prædicatorum creauit Cardinalem tituli Sancti Thomæ in Parione, Fratrem Hieronymum Bernerium de Corrigio Sacræ Theologiæ Magiſtrum, Virum doctrina celebrem, vitæque exemplo admirabilem. Hic dum iuſſu Sixti Pontificis in Conuentu Sanctæ Sabinæ de Vrbe Priorem ageret, ad Epiſcopatum Aſculanum aſſumptus fuit; demum eius exigentibus meritis, & in gratiam Alexandrini Cardinalis, in Purpuratorum numerum cooptatus extitit. A diuerſis Summis Pontificibus, diuerſos Epiſcopatus ſucceſſiue ſibi oblatos habuit, vtpote Albanum, Præneſtinum, ac Portuenſem, illoſque ſumma laude adminiſtrauit. Superuixit in Cardinalatus vſque ad annum

num 1611. quo & mortuus eſt. Tumulatus in Ædem Sanctæ Sabinæ in Sacello Sancti Hyacinthi.

Anno 1589. facta depoſitione Sixti Fabri a Generalatu, in eius locum in Capitulo Generali Romano ſalutatus eſt Magiſter Ordinis LI. Frater Hippolytus Maria Beccaria Pedemontanus, nobilibus in Monte Regali parentibus ortus, vir doctrina, ac deuotione inſignis; cum pro tunc Commiſſarius Sancti Officij, & Prouinciæ Lombardiæ Definitor fuiſſet. Hic terminato Capitulo vniuerſum fere Ordinem percurrere ſtatuit: quod & præſtitit, viſitando non ſolum Prouincias Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, ſed in totam Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Morauiam, Sileſiam, Poloniam, Ruſſiam, & Pruſſiam excurrere non neglexit. Annis 11. multa charitate, ſollicitudine, & iuſtitia Ordinem gubernauit. Celebrauit tria Capitula Generalia in diuerſis Regnis, vltimum Neapoli habuit anno 1600. vbi eodem anno e viuis exceſſit, in Eccleſia S. Dominici tumulatus. Ante, & poſt obitum miraculis fulſiſſe traditur,

Eius tempore excitata percrebuit magna illa, & celebris *de Auxilijs* controuerſia in qua Ordo noſter efficaciam Diuinæ gratiæ, ſine leſione liberi arbitrij inuictiſſime propugnauit. Tuncque plures Ordinis noſtri Viri extitere doctiſſimi. Inter quos Frater Thomas de Lemos Hiſpanus, ex Galleciæ Regno, vir doctrinæ ſingularis, ac in Sanctorum Patrum Auguſtini, & Thomæ operibus adeo verſatus, vt in referendis eorum ſententijs, nec minimum iota mutari permiſerit, minimos librorum apices ita memoriæ affixos habere videretur. Studiorum, & Scholarum vmbris innutritus, ad publica certamina Romæ in celeberrimis illis 47. Congregationibus, duobus coram Pontificibus Clemente Octauo & Paulo V. præ cæteris delectus eſt. Irrefragabilem eorumdem Sanctorum Patrum Auguſtini, & Thomæ, de gratia Sententiam, etiam ſcriptis comprobauit, *Panopliam gratiæ* Tomis 4. comprehenſam, futuris ſeculis reliquit: vbi de rationalis Creaturæ in finem ſuper-

natu-

naturalem, gratuita, Diuina ſuaui-potente ordinatione, ductu, medijs, liberoque progreſſu Theologice diſſerit. E viuis exceſſit magna cum Ordinis iactura anno 1629. octogenario maior; in tanta ſanctitatis opinione habitus; vt ad illius funus tota concurrente Roma, aliquam eius veſtium particulam exſcindere quiſque conaretur, proſtante per triduum inſepulto eius cadauere.

Floruit etiam hoc tempore Valentiæ in Aragonia, Frater Dominicus Anadon, eximiæ charitatis erga pauperes, cuius habentur inſignia opera typis excuſſa, Floruit & Frater Melchior Moſticenſis Polonus, Conuentus Cracouienſis filius, ibidemque hæreticæ prauitatis Inquiſitor, hæreticorum omnium malleus fortiſſimus: vir nunquam ſatis commendatus Scriptorum calamo, qui aliquot millia hæreſi infectorum, Catholicæ Religioni reconciliauit.

Anno Domini 1590. xvij Kalendas Octobris electus eſt in Summum Pontificem Vrbanus Septimo Romanus, Ioannes Caſtanea prius dictus: qui poſt duodecimum a ſua electione diem, antequam coronaretur, obijt. Illi ſucceſſit Gregorius Papa Decimoquarto Mediolanenſis, cui antea Nicolai Sfondrati nomen erat: ſed & hic nonniſi menſes 10. & dies totidem Eccleſiæ præfuit. Deuoluta tandem eſt Sedes Petri ad Innocentium Papam Nonum Bononienſem, prius Antonium Facchinettum vocatum, ſed & ille non plus, quam duos menſes in Pontificatu ſuperuixit. Clementi igitur Octauo Petri Nauicula gubernanda traditur anno 1592. iij. Kalendas Februarij, quam tenuit annis 13. menſe 1. diebus 4.

Anno Domini 1601. congregatum eſt Romæ Generale Capitulum pro nouo Magiſtro Ordinis eligendo, in quo aſſumptus eſt in Quinquageſimoſecundo Generalem Frater Hieronymus Xauierre Cæſarauguſtanus, ex Prouinciali Aragoniæ: vir doctus, & pius, ac vere ad magna natus. Hic viſitatis Etruriæ, & Lombardiæ Conuentibus, tranſiit in Hiſpaniam; ibique anno 1605. Generale Capitulum celebrauit Valliſoleti, ipſius Regis Hiſpaniæ Philippi III. & Reginæ, multorumque Principum præſentia illuſtratum

Exin

Exinde factus eſt eidem Regi a ſacris confeſſionibus, illiuſque opera renunciatus eſt inter Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ a Paulo Papa Quinto ad titulum Sancti Xiſti anno 1607.

Sed in hac dignitate exiguo tempore ſuperuixit, ſequenti etenim anno 1608. die 12. Septembris deuote ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis, Valliſoleti migrauit ad Chriſtum, depoſitis omnibus bonis, quæ temporaliter eidem arridere videbantur: quæ tamen a tam ingentis animi viro, ſemper fuiſſe contempta, ſatis oſtendit eiuſdem epiſtola, quæ ipſius Actis Capituli Generalis præpoſita eſt. Cadauer eius delatum eſt ad Conuentum Sancti Dominici Cæſarauguſtanum, & ibidem in Capitulo marmoreo ſepulchro honorifice conditum, opera Illuſtriſſimi Domini Fratris Ludouici de Aliaga, olim eius Socij, poſtea Archiepiſcopi Valentini, ac Generalis Hiſpaniarum Inquiſitoris, & Regij Confeſſoris, atque de Conſilio Status Philippi III. Hiſpaniarum Monarchæ.

Sub hoc Generali Vicaria Sancti Petri Martyris erecta creuit ie Prouinciam, pariter Congregatio Aprutina Sanctæ Catharinæ Senenſis. Plures etiam hoc tempore floruerunt Viri ſanctitate inſignes: inter quos Frater Antonius Vincentius Domenech Cathalanus, ex Conuentu Barcinonenſi, qui in Monaſterio Sancti Dominici Gerundæ miraculorum gloria nitet, Alter Frater Petrus Ioannes Guaſch, Magiſter in Theologia, obſeruantia Religionis præclarus, qui in Conuentu Sancti Raymundi de Pennafort, a ſe fundato, ſepultus manet. Horum Virorum magnalia, in maioribus Chronicis Ordinis requirenda erunt.

Mortuo Clemente Papa Octauo prouectus eſt ad Apoſtolicæ Sedis apicem Leo Vndecimo ex Mediceorum familia anno Domini 1605. ſed hic ne vnum quidem in Pontificatu menſem expleuit: creatus enim Pontifex die 1. Aprilis, eſſe deſijt 27. eiuſdem. Poſt illum Paulus Quintus Burgheſius Summi Pontificatus thronum conſcendit, electus die 16. Maij eiuſdem anni. Seditque annis 14. menſibus fere 8.

Sub

Sub hoc Pontifice, Magiſtri ſacri Palatij munere fungebatur, Frater Auguſtinus Galaminius Brixichelenſis, Prouinciæ Lombardiæ, vir multiplici litterarum doctrina, vitæque integritate commendatiſſimus. Hunc Patres ad Capitulum Generale Romanum anno 1608. congregati, vnanimiter in Quinquageſimotertio Ordinis Magiſtrum elegerunt. Electus ad luſtrandum Ordinem ſeſe contulit, viſitatiſque Italiæ, & Galliæ Prouincijs, in eis collapſam Religionem reformavit, ac regularem obſeruantiam excitauit. Celebrato deinde Capitulo Generali Pariſijs anno 1611. dum maiora moliretur, & profectionem ad alias Prouincias pararet; Romam reuocatus eſt a Paulo Papa Quinto ab eoque factus Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Mariæ de Ara-cœli, & poſtmodum Epiſcopatu primo Lauretano, deinde Auximenſi donatus. Fuit ſui Ordinis decus, Epiſcoporum ſpeculum, lumen Senatus, & Purpuræ. Cumque Cardinalis vixiſſet annos octo ſupra 20. moritur Auximi 1639. ibique in Eccleſia Cathedrali ſepultus.

De ſucceſſore illius in officium Generalatus, tractatum eſt in Capitulo Generali Romano anno 1612. congregato, placuitque Vocalibus acclamare vnanimiter in Magiſtrum Ordinis Quinquageſimoquarto Fratrem Seraphinum Siccum Papienſem, Vicarium Generalem Ordinis: virum regularis obſeruantiæ amatorem, ſed quodammodo auſterum, & in gratijs concedendis reſtrictum. Annis 16. Ordinem moderatus eſt, pluresque Prouincias Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ perluſtrando viſitauit. In 4. Capitulis Generalibus, quæ celebrauit, multa ad regularem obſeruantiam promouendam vtilia, pie, prudenterque ordinauit. Præſertim vero in Capitulo Vlyſſiponenſi anno 1618. celebrato, curauit diligentiſſime, vt Conſtitutiones Ordinis noſtri, cum ſuis gloſſis denuo Typis ederentur; expunctis pluribus non neceſſarijs, etiam reuocatis, & adiectis declarationibus ex Capitulis Generalibus per annos retro 50. celebratis, vt pleraque clariora haberentur. Ipſe etiam Corpus Diui Thomæ proprijs manibus tranſtulit, in arcam ex auro, argentoque conflatam, gemmis quaquauerſus con-

contextam, & irradiantem. His peractis, cum ex Gallijs Romam reuerteretur, e uiuis exceſſit prope Auenionem anno 1618. die 24. Septembris.

Sub hoc Generali anno 1617. Sancta Roſa de Sancta Maria, Tertij Ordinis, primus floſculus ſanctimoniæ in Indijs Occidentalibus, inſeritur amænis cœli viridarijs. Floruit etiam Soror Hyppolita e nobili Domo de Rocaberti, cœleſti ſapientia plena, multorumque auctrix librorum. Etiam Soror Theodora de Roſatis Romanæ Prouinciæ, miraculis clara, quæ Sancti Hyacinti apparitione ab inſanabili morbo conualuit. Floruerunt etiam his temporibus Antiſtites ex Ordine noſtro aſſumpti, in ſola Aragoniæ Prouinciæ ſuperſtites (omiſſis alijs Viris Illuſtribus, ne opus in immenſum excreſcat) numero quinque: videlicet Illuſtriſſimus Dominus Frater Iſidorus Aliaga Archiepiſcopus Valentinus. Reuerendiſſimi Domini Fr. Simon Bauca Epiſcopus Maioricenſis, Frater Andreas Balaguer Epiſcopus Oriolæ: Frater Ioannes Baptiſta de la Nuza Epiſcopus Barbaſtrenſis, & Fr. Raphael Riphoz Epiſcopus Helnenſis.

Sed & Gallia non caruit viris doctiſſimis, qui eloquentia, & eruditione inſignes, ſcriptis tam vernacula, quam Latina lingua editis, in defenſionem Eccleſiæ, aduerſus hæreticos decertarunt, Vnum meminiſſe ſufficiat, Fratrem Nicolaum Coeffetæum multorum librorum authorem: qui a Ludouico Decimotertio primo ad Lombatienſem, & Santonenſem Eccleſias nominatus, eaſque acceptare renuens, poſtmodum ad Dardanienſem Epiſcopatum, & ſucceſſiue ad Maſſilienſem promotus fuit, de quo plura in *Gallia Chriſtiana*.

Nec omittenda memoria Fratris Deſiderij Scaliæ Cremonenſis, qui ex Generali Romanæ Inquiſitionis Commiſſario a Paulo Papa V. Presbyter Cardinalis (abſque titulo) renunciatus fuit; ſimulque Epiſcopus Melphienſis deſignatus anno 1621. Quem poſtmodum Gregorius XIV. ad Comenſem Eccleſiam tranſtulit, aſſignato illi titulo primum Sancti Clementis, poſtea Duodecim Apoſtolorum, ac deinde Sancti Caroli in via Curſus. Erat vir in conſultationibus

bus acer, viuidique ingenij, & rectæ mentis: in benefactores gratus, in amicos officioſus. Deceſſit Romæ ſeptuagenarius, Anno ſalutis 1639. ſepultus in Eccleſia Sancti Caroli de Curſu.

Interea dum Paulus Papa V. fatis ceſſiſſet, à Cardinalibus Conclaue ingreſſis anno 1621. v. Idus Februarij renunciatus eſt Romanus Pontifex Gregorius XV. Alexander Cardinalis Ludouiſius antea appellatus. Vixitque in Pontificatu vſque ad annum 1623. Quo mortuo, electus fuit in Papam Vrbanus VIII. Barberinus, die 6. Auguſti, eiuſdem anni 1623. Seditque vnum & viginti annos, octo diebus exceptis.

Hic Pontifex anno 1641. in octaua Cardinalium creatione, inter Purpuratos repoſuit ex Ordine Prædicatorum Fratrem Vincentium Maculanum de Florenzuola, diuerſis prius officijs in Ordine ſumma cum laude perfunctum: vtpote qui & Inquiſitoris, & Procuratoris, ac Vicarij Generalis, & Sancti Officij Commiſſarij, & Magiſtri Sacri Palatij munus exercuit. Nec ſufſecit dicto Pontifici facere eum Cardinalem tituli Sancti Clementis, etiam Archiepiſcopatu Beneuentano eundem exornauit. Superuixit Maculanus in Cardinalatu vſque ad annum 1667. expletoque ætatis ſuæ anno 89. felici fine quieuit, die 15. Februarij, ſepultus in Eccleſia Sanctæ Sabinæ in Auentino.

Anno 1629. in Capitulo Generali Romano, electus eſt in Magiſtrum Ordinis Quinquageſimumquintum Frater Nicolaus Rodulphius Florentinus, Leonis Papæ XI. ex Sorore Pronepos: qui tunc Magiſtri Sacri Palatij; & Vicarij Ordinis munere fungebatur. Vir ſummis animi dotibus exornatus, ac verus Parens Ordinis: quem cùm zelo ſingulari moderaretur, & Encyclicis, ſiue circularibus Epiſtolis, vnctione deuotiſſima delinitis, tum Prouincias, tum Congregationes ad Profeſſionis ſcopum efficaciter excitaret; ipſemet in perſona Galliam, Siciliam, Regnumque Neapolitanum viſitando, inuidorum quorumdam calumnijs exagitatus, poſt 15. annos Magiſterij, ab Vrbano Papa Octauo à Generalatu

H depo-

ſitus eſt. Sed deinceps eius cauſa iuſſu Innocentij X. reuiſa, innocens declaratus, cum quinquennio poſt, extincto eius in officio ſucceſſore Fratre Thoma Turco, inſtantibuſque Capituli Generalis initijs anno 1650. ad Generalatum reuocaretur, morte precioſa Ordini ereptus eſt, ſepultuſque in Eccleſia Mineruæ.

Floruit hoc tempore Frater Dominicus Grauina Neapolitanus, ex Congregatione Sanitatis, ſacræ Theologiæ Magiſter, Prouinciæ Regni Prouincialis, & in Vniuerſitate Neapolitana publicus Theologiæ Profeſſor, qui ſcripſit:

Tomos 4. Controuerſiarum aduerſus omnes veteres: & nouos Hæreticos.

Apologeticum pro depoſito Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ.

Opuſculum de indiuiſa, & vnanimi Euangelij prædicatione.

Vindicias Orthodoxas pro Sacramento Ordinis.

Lapidem Lydium viſionum, & reuelationum.

Et Librum in commendationem doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis, cui titulus: *Cherubim Paradiſi*.

Poſt abdicationem Magiſtri Rodulphij, Vocales ad Capitulum anno 1644. Romam congregati, elegerunt in Magiſtrum Ordinis Quinquageſimoſexto Fratrem Thomam Turcum Cremonenſem, de Prouincia vtriuſque Lombardiæ, Procuratorem Generalem Ordinis: virum doctiſſimum, qui viſitatis Prouincijs Italiæ, Galliæ, Flandriæ, & Hiſpaniæ, celebratoque Generali Capitulo anno 1667. Valentiæ in Hiſpania pro translatione Corporis Sancti Ludouici Bertrandi, poſt 60. ab eius obitu annos integri reperti; & procurata impreſſione operum Beati Alberti Magni, Hugonis Cardinalis Petri de Tharantaſia, alias Innocentij Papæ V. Maluendæ, & aliorum ex Ordine Scriptorum, dum in bonum Religionis maiora molieretur, Romam reuerſus, ibidem anno 1649. deuotiſſime vitæ curſum expleuit, cum dolore totius Ordinis, cui præfuit annis 5.

Hoc tempore anno videlicet 1644. deceſſit in Hiſpania magnus ille Magiſter Frater Ioannes a Sancto Thoma, in

Com-

Complutenſi Academia primarius Theologiæ Profeſſor, Supremus Fidei Cenſor, & Philippo IV. Magno Hiſpaniarum Regi a confeſſionibus, qui ſcripſit: *Tomos 3. in primam partem Sancti Thomæ, & 1. 2.* Item *Tractatum de Incarnatione Verbi Diuini. Diſputationes abſolutiſſimas de Sacramentis in genere.* Et ſpecialiter *de Sacramentis Eucharistiæ, & Pœnitentiæ.* Inſuper, & *Curſum Philoſophicum*, vno volumine comprehenſum.

Eodem anno 1644. die 14. Septembris eligitur in Summum Pontificem Innocentius X. Pamphilius: ſeditque annis decem, menſibus 3. diebus 23.

Hic Pontifex duos ex Ordine Prædicatorum Cardinalium Collegio aggregauit. Et primum quidem anno 1647. in quarta Creatione renunciauit Cardinalem tituli S. Cæciliæ Fratrem Michaelem Mazzarinum Romanum, quem prius Archiepiſcopatu Aquenſi exornauerat. Hic dum a Rege Chriſtianiſſimo Orator Romam mitteretur, ex aeris mutatione, graui morbo correptus, obijt anno 1648. die 31. Auguſti. Sepultus in Æde Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam ad pedes Fratrum ſuorum.

Alter ex Ordine Prædicatorum promotus ad Cardinalatûm, tituli Sancti Siluestri de Capite, fuit Frater Dominicus Pimentellus Hiſpanus, Comitis Beneuentani filius, qui de Eccleſijs Oxomenſi, Cordubenſi, & Archiepiſcopali Hiſpalenſi, ad quas regendas aſſumptus fuerat optime meritus, abſolutaque inſigni Legatione ad Vrbanum Papam Octauum a Philippo Quarto Hiſpaniarum Rege, ad eiuſdem Regis inſtantiam Sacra Purpura ab Innocentio huius nominis Decimo ſuperueſtiri meruit anno 1652. ſed vix biennium purpuratus vixit. Calculi enim dolore preſſus ſupremum diem obijt Romæ anno 1653. die 2. Decembris, in eadem Eccleſia Mineruæ ſepultus.

Anno Domini 1650. electus eſt in Capitulo Generali Romano, in Magiſtrum Ordinis LVII. Frater Ioannes Baptiſta de Marinis, Ianuenſis, cuius nobiliſſima familia ab antiquo Ordini noſtro addictiſſima, eximios eidem Viros

ſuppeditauit. Fulgiebatur tunc officio Secretarij Indicis: & quamvis manſuetiſſimi fuerit pectoris, magno tamen zelo, & Regularem obſeruantiam fouit, & iura Ordinis propugnauit.

Floruit Ordo ſub eius Magiſterio (quod annis 19. perdurauit) & Viris ſanctiſſimis, & Præſulibus digniſſimis, & Doctoribus inclytis, & Prædicatoribus verbi Dei clariſſimis, quorum præconia tam reſtrictum Chronicon dare non poteſt. Nam plus minus 40. Patres ad Inſulas aſſumpti ſunt, & qui ex iam aſſumptis, illuſtrem ſui memoriam reliquerunt. Tot, tantaque præclara geſſit Illuſtriſſimus Petrus de Tapia, a Cordubenſi Eccleſia, translatus ad Metropolitanam Hiſpalenſem, vt vita eius integro volumine deſcripta, ipſum exhibeat priſcis Eccleſiæ Patribus, ac Paſtoribus comparandum. In Facultate Pariſienſi, vt ſydus luciddiſſimum effulgebat Pater Ioannes Nicolai, Vir omniſcius, qui vltimum Summæ Sancti Thomæ ornamentum adiungens, primum, & ſecundum ſcriptum Diui Thomæ, *in* 4. *Libros Sententiarum*, ſimulque Catenam Auream ex varijs authoritatibus SS. Patrum, quas Angelicus Doctor adducit, fideli collatione illuſtrauit. In Hiſpania effulgebat pietatis, & ſapientiæ iubar ſingulare, Illuſtriſſimus Dominus Petrus de Godoy, in Salmaticenſi Vniuerſitate per complures annos primariæ Cathedræ Moderator, Recius Concionator, ac demum ad Epiſcopatum Oxomenſem aſſumptus. Hic ſcripſit Diſputationes Theologicas, *in primam partem, & primam ſecundæ, & tertiam partem Summæ Sancti Thomæ*. In Gallijs pariter celebris habitus eſt Frater Ioannes Baptiſta Gonet Biterenſis, Prouinciæ Toloſanæ, in Vniuerſitate Burdigalenſi publicus Theologiæ profeſſor, cui ſingulari ſtudio, & ingenij ſui felicitate, confecit *Clypeum Theologiæ Thomiſticæ, contra nouos eius Impugnatores*; quod opus plane inſignie nunc omnium Scholaſticorum manibus tractatur, & territur. Item edidit *Manuale Thomiſticum*, ſeu breuem Theologiæ curſum, admirabili claritate intertextum. Floruit etiam hoc tempore

pore Romæ Frater Petrus Maria Paſſerinus de Sextula, ſacræ Theologiæ Magiſter, Procurator Generalis Ordinis, & in Romana Sapientia publicus Profeſſor, (qui & Vicarius Generalis Ordinis poſt demortuum Magiſtrum Generalem de Marinis vſque ad ſubſequens Capitulum fuit) hic ſcripſit:

Commentaria in 1.2.*&* 3. *Librum decretalium.*

Tractatum de Electione Summi Pontificis.

Commentaria in 3.*par. Summæ Diui Thomæ.*

Tractatum de Indulgentijs.

Inſpectiones Morales de Statibus Hominum, & officijs.

Regulare Tribunal, ſeu Praxim formandi Proceſſus.

Et Tractatu de Electione Canonica.

Hoc eodem tempore Doctrina Angelica, controuerſiarum omnium Lydius Lapis, nouam a Sede Apoſtolica approbationem accepit. Cum enim Vniuerſitas Louanienſis Conſtitutionem Innocentij Papæ Decimi qua quinque Propoſitiones Ianſenij damnauerat, (quamque Conſtitutionem Summus Pontifex Alexander VII. confirmauerat) ea qua par eſt in Sedem Apoſtolicam reuerentia ſuſcepiſſet, ſimulque propoſuiſſet circa materiam *de Auxilijs* ſequi fideliter doctrinam Sanctorum Auguſtini, & Thomæ, quos in ſpeciales Magiſtros elegerat; commendauit proinde præfatus Summus Pontifex ſuo reſcripto eorum obedientiam, & velum; eo maxime, quod *præclariſſimorum Eccleſiæ Doctorum, Auguſtini, & Thomæ Aquinatis, inconcuſſa tutiſſimaque dogmata, ſequi ſemper, ac impenſe venerari ſe velle aſſererent quorum profecto Sanctorum Virorum penes Catholicos ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina, noui præconij commendatione plane non egent.*

Succeſſerant etiam his quæſtionibus aliæ *De opinionum probabilitate*, ſed ne in animarum perniniciem cederent, plures ex Ordine noſtro ſcripſere iuxta genuinam Sancti Thomæ doctrinam: in Italia quidem Frater Iulius Mercorus Inquiſitor Mantuanus. In Hiſpania Frater Ioannes Martinez de Prado multis voluminibus. In

Gallia Frater Ioannes Baptiſta Gonet, & Frater Vincentius Contenſon, & alij plures.

Anno Domini 1655. renunciatus eſt Summus Pontifex Alexander VII. Chiſius, ſeditque vſque ad annum 1667. quo e viuis exceſſit die 22. Maij Eodem ſtatim anno die 20. Iunij creatus eſt Pontifex Maximus Clemens IX. Roſpiglioſus, qui in Pontificatu ſuperuixit vſque ad annum 1669. Cui poſtmodum ſucceſſit Clemens X. ex familia Alteria.

Hoc Pontifice feliciter regnante, & Magiſtro Generali de Marinis morte pretioſa ſublato, electus fuit in Capitulo Generali Romæ anno 1670. celebrato in LVIII. Magiſtrum Ordinis Frater Ioannes Thomas de Roccaberti, Prouincialis Aragoniæ, ex nobiliſſima, & antiquiſſima Familia Comitum de Perolada, qui totum ſeſe ad ea, quæ ſanctitatis ſunt applicans non multo poſt ſolemnem Canonizationem Sancti Ludouici Bertrandi, &.Sanctæ Roſæ Limanæ, ſimulque extenſiionem cultus Beatorum Gundiſalui, Alberti Magni, Pij V. Iacobi de Meuania, ac Beatarum Margaritæ de Caſtello, & Margaritæ de Sabaudia per totum Ordinem a dicto Clemente Papa X. Impetrauit. Idem etiam Pontifex Beatum Ioannem Colonienſem, vt Martyrem ab omnibus colendum declarauit. Feſtiuitatem omnium Sanctorum, & Sanctarum Ordinis noſtri ſub vna celebritate die 9. Nouembris in toto Ordine recolendi auctoritatem dedit, & ſequenti die 10. Nouembris Commemoratio omnium Fratrum, & Sororum defunctorum Ordinis noſtri, vt haberetur benigne indulſit.

Sub hoc Generali duos ex Filijs ſuis Cardinalium Collegio coaptatos lætus aſpexit Ordo Dominici (& vtinam quam diutiſſime adhuc eos ſuperſtites haberet) videlicet Fratrem Vincentium Mariam Vrſinum Romanum, ex Grauinenſium Ducibus ætatis ſuæ tunc annorum 23. dum Philoſophiæ Lectorem in Conuentu Brixienſi ageret: qui tamen nonniſi Pontificis præceptis adactus honorem hunc admiſit, obſeruantiæ regularis retinentiſſimus. Alterum Fratrem Thomam Philippum Houuardum. Anglum, Ducis Norfolciæ, perpetui Angliæ Mareſcalci germanum fratrem

trem. Virum non minus Religione, ac fidei zelo, quam parentela, & indole ſublimen. Hic dum in Anglia apud Sereniſſimam Britanniæ Reginam primi Sacellani, & Eleemoſynarij fungeretur officio, eo quod inconcuſſa animi conſtantia Catholicorum partes apud Regem, & Magnates ſuſtineret, adeo vt in eorum fauorem de libertate conſcientiæ in cunctis Anglicæ Coronæ partibus concedenda decretum obtinuerit, edicto Parlamenti exulare Bruxellas vſque coactus fuit: dumque ibi a Magiſtro Ordinis licentiam veniendi in Vrbem expectaret, præuentus fuit benigna eiuſdem Summi Pontificis clementia, qui eum vniuerſalis Eccleſiæ Senatui, cum titulo Cardinalis Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam adſcriptum eſſe voluit.

Eodem quoque tempore recipit condignum laborum ſuorum præmium Frater Hyacinthus Libellus, promotus ad Archiepiſcopatum Auenionenſem poſt exercitum honorifice Magiſtri ſacri Palatij Apoſtolici munus.

Rexit Ordinem Reuerendiſſimus Generalis Rocaberti vſque ad annum 1676. quo a Rege Hiſpaniarum nominatus ad Archiepiſcopatum Valentinum, & ab Innocentio Papa XI. Clementis X. ſucceſſore acceptatus, & proclamatus Magiſteri cedens, ad ſuam Eccleſiam properauit.

Anno ſequenti 1677. electus eſt in Magiſtrum Ordinis LIX. Fr. Antonius de Monroy Mexicanus, & quondam in Vniuerſitate Mexicana Theologiæ Profeſſor: qui Romæ priuatim viuens, nec quid tale vir modeſtus, & humilis cogitans, ad ſupremam Magiſterij Præfecturam eſt euectus. Eius tempore tertius ex noſtris Purpura decoratus eſt, Frater Raymundus Capiſuccus Romanus, factuſque Præsbyter Cardinalis tituli S. Mariæ Angelorum, dum iterato Magiſtri ſacri Palatij Officio fungeretur. Vir magni nominis, ac doctrinæ ſingularis, qui ad decorem Eccleſiæ, & legentium vtilitatem, ſolida eruditione compilauit: ac in lucem edidit: *Quæſtiones Theologicas Selectas, Morales, & Dogmaticas*.

Circa hæc tempora in Conuentu Cadenetenſi in Gallia, obijt venerabilis Pater Frater Antonius a Sanctiſſimo Sacramento, vitæ auſteritate, miſſionum laboribus clarus,

Conuentus aliquos in ſumma paupertate in Comitatu Veneſino fundauit, quos in Congregationem ſub Sanctiſs. Sacramenti nomine Reuerendiſſimus Pater Antonius de Monroy Magiſter Ordinis erexit, in eiuſdem Sanctiſſimi Sacramenti cultum Maſſiliæ nouum Monaſterium inſtituit. Huius Religioſi viri vitam, virtutibus plenam, Frater Archangelus ab Incarnatione eiuſdem Congregationis Alumnus gallice deſcripſit, eidemque Magiſtro Generali dedicauit anno 1686. quo tempore dictus Magiſter, Regis Catholici nominatione ad Archiepiſcopatum Compoſtellanum aſſumptus eſt, poſt expletum integrum in regimine Ordinis decennium.

Cæterum, qui res noſtras hoc compendioſo Chronico (cui finem imponimus) comprehenſas, plenius ſcire cupierit habet varios ſcriptores, qui diuerſo idiomate Ordinis noſtri acta ediderunt. Extat latine *Tomus primus Annalium*, ab eruditiſſimo, ſolertiſſimoque Thomæ Maluenda conſcriptus. Habetur hiſpanice *Hiſtoria Generalis* a Ferdinando Caſtillo Granatenſi compilata, & ab illuſtriſſimo Ioanne Lopez Epiſcopo Monopolitano continuata. Italice edidit Hiſtoria Michael Pius. Adeſt & *Diarium Dominicanum* Illuſtriſſimi Domini Dominici Mariæ Marcheſij Epiſcopi ex Ordine noſtro aſſumpti. Sed multo copioſius omnia traduntur gallice in *Anno Dominicano*, cuius iam in menſes ſingulos, tomi ſinguli, & in maium duo cum præcedentium ſupplemento, vſque ad Iunium incluſiue typis excuſſi habentur.

FINIS.

BREVIS

BREVIS SYLLABUS

RERUM MEMORABILIVM

Quæ in hoc Reſtricto Chronico continentur.

A

*A*Drianus *V.* *electus fuit in Papam anno* 1276. pag. 39.

Adrianus VI. Pontificatum conſcendit anno 1522. p. 86.

Ægidius Foſcararius floruit ſub Vincentio Iuſtinia. 102

B. Agnes de Monte Politiano obiit anno 1317. pag. 53.

B. Alani de Rupe mors contigit circa an. 1473. p. 73.

B. Albertus Magnus Patauii Ordinem noſtrum ingreditur p. 13. *miraculose a B V. M. ſcientiam Philophiæ impetrat* p. 25. *eius præclara vita, mors pretioſa deſcribitur* p. 27. & ſeq. *Vicarium Ordinis geſſit* p. 16. *eius corpus ſubleuatur.* pag. 74. *Brachium eius Bononiam defertur* ibid. *operæ illius ſub* Generali *Turco imprimantur* pag. 114.

Albertus Clauarus electus fuit in 10. *Ordinis Generalem anno* 1300. pag. 43.

Albertus de Brixia quo tempore claruit, & quæ ſcripſit? 52.

Albertus Caſſaus eligitur in 44. *Ordinis Generalis anno* 1542. pag. 92. *ſub eius Generalatu viri illuſtres recenſentur* 94.

Aldobrandinus de Caualcantibus fuit Vicarius Papalis in Vrbe, ſub Pontificatu Gregorii X. 38.

Alexander IV. electus fuit in Papam anno 1254. pag. 24.

Alexand. Papa V. ex Ordine Minorum, glorioſum Privilegium Mendicantibus conceſſit 66. *eius tempore ſchiſma in noſtro Ordinè diminutum* ibid.

Alexander Papa VI. eligitur anno 1492. pag. 76.

Alexander VII. fit Summus Pon-

Pontifex anno 1655. p. 118.

Alexander Capoccius floruit ſub Generalatu Pauli conſtabilis 106.

B. Ambroſius Sanſedonius obiit ſub General. Munionis Zamorenſis 40.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus doctrina, & miraculis claruit 71. *adſcribitur Sanctorum numero ab Adriano Papa VI.* ibid.

Antonius de Brixia Inquiſitor, & Prædicator celebris claruit ſub Generalatu Ioachimi Turiani 76.

Anibaldus Hannibaldenſis fuit ſecundus ex Ordine noſtro Cardinalis, multaque præclara ſcripſit 35.

Antonius Vincentius Domenech floruit ſub Generalatu Xavierre 110.

Antonius de Monroy eligitur 59. *Ordinis Generalis anno* 1677. pag. 119. *idem ad Archiepiſcopatum Compoſtellanum aſſumitur* 120.

Antonius a SS. Sacramento Congregationem nouam in Gallus fundauit 120.

Antipapa eligitur tempore Vrbani VI. 62.

Archangelus de Blanchis fit 34. *ex Ord. noſtro Car.* 105.

Auguſtinus Recuperatus eligitur anno 1539. *in* 44. *Magiſtrum Ordinis* 91.

Auguſtinus Gallaminus fit 53. *Magiſter Ordinis an.* 1608. p. 111. *deinde creatur* 37. *ex Ordine noſtro Cardinalis* ibid.

Aymerici Placentini in 12. *Magiſtri Ordinis electio, ab eoque geſta deſcriauntur* 49.

B

Barnabas Vercellenſis eligitur in 15. *Ordinis Generalem anno* 1321. p. 56.

Barnabas Saxonus fit 34. *Ordinis Magiſter anno* 1486. pag. 75.

Bartholomæus Texerius 26. *Ordinis Generalis electus fuit an.* 1426. p. 68. *impetravit diſpenſationem ad poſſidenda bona immobilia* ibid.

Bartholomæus Comatius electus anno 1484. *in Magiſtrum Ordinis* 33. pag. 74.

Bartholomæus Rondininus Theologus, & Iuriſta inſignis 82.

Bartholomæus de Martyribus Archiepiſcopatu Bracarenſi *cedens, in priuatam fortunam redigitur* 106.

Benedictus XI. aſſumitur ad Pontificatum ex noſtro Ordine anno 1303. pag. 44.

Benedictus XII. Ciſtercienſis eligitur in Summum Pon-

tifi-

tificem anno 1335. pag.57.

Bernardus de Rupeforti pro fide Martyrium ſubiit 1242. pag. 19.

Bernardus de Trillia Scriptor præclarus ſub General. Stephani Biſuntini 42.

Bernardus de Iuſico eligitur 11. *Or.Gen. an.*1301.p.43.

Berengarius de Rodex aſſumptus in 13. *Ordinis Magiſtrum anno* 1312. p.51.

*Bonifacius VIII. Pontifex denunciatur an.*1294. p.43.

Bonifacius IX. eligitur in Papam anno 1389. p.64.

Breuiarium noſtrum ſub Generali Franciſco Romeo reformatum fuit 76. & 96.

Bulla de Temporalitate Prælatorum ſub Pontificatu Iulii II. emanavit 79.

Bulla Aurea circa poſſeſſiones bonorum immobilium a Sixto Papa IV. Ordini noſtro conceſſa 74.

C

CAlixtus III. in Pontificem eligitur anno 1455.p.72.

Cæleſtinus Papa IV. ſucceſſit Gregor. IX. anno 1241. p.19.

S. Celeſtinus Papa V. electus anno 1294. pag.43.

Carmelitæ Regulam a Fratribus noſtris præſcriptam acceperunt 21.

S. Catharina Senenſis floruit ſub Generalatu Simonis Lingonienſis 61. *ex Divina reuelatione Cur. Rom. transferri Gregorio XI. ſuadet* 62. *eius obitus, & Canonizatio* 72. *eius præconia enarrantur a Fr. Ioanne de Neapoli* 73. *vere ſtigm. Chriſti habuit* 74.

Catharina de Piſis magnæ virtutis adoleſcentula 61.

Chriſtianus Patriarcha Antiochenus a Saracenis pro fide Martyrium ſubiit 12.

Clarus Sextus Bononienſis Ordinem intravit circa annum 1218. pag.10.

Celmentis Papæ IV. electio, & in Ordinem noſtrum amor deſcribitur 35.

Clemens Papa V. eligitur anno 1305. pag.50.

Clemens VI. Benedictinus eligitur in Summum Pontificem anno 1342.pag.58.

*Clemens Papa VII. electus an.*1523. *in arcem S. Angeli fugit, vitamque ſuam, & ſuorum pecunia redimit*86.

Clemens VIII. quo tempore in Pontificatu ſedit? declaratur 109.

Clemens IX. eligitur in Pontificem anno 1667. p.118.

Clemens X. ſucceſſit immediate in Pontificatum poſt Clementem IX. 118.

Soror Columba Tertiaria Ordi-

nis noſtri, vitæ ſanctitate celebris 77.
Commemoratio omnium Fratrum, & Sororum defunctorum Ordinis noſtri, a Clem. Papa X. conceſſa 118.
Commiſſarii Sanctæ Vniverſalis Inquiſitionis inceperunt ex noſtris aſſumi, ſub Paulo Papa III. 93. & 104.
Concilium Lugdunenſe celebratum fuit ſub Gregor. X. p. 38. *ex noſtro Ordine* 33. *Epiſcopi d. Concilio interfuerunt* ibid.
Concil. Conſtantien. indictum ſub Ioanne Papa XXIII. 66. *in eo Gregorius XII. Pontificatui renunciauit* 65.
Concilium Lateranenſe inchoatum ſub Iulio II. ſub Leone Papa X. continuatum fuit 82. & 84.
Concilium Tridentinum in diuerſis locis fuit indictum, & inhoatum 90. *huic Concilio quammulti ex noſtris interfuerunt* 100. *perduravit annis* 27. p. 100. *ſub Pio Papa IV. finitum fuit* ib. & 85. & 90. *in Conciliabulo Piſano Fratrum Ordinis noſtri erga Sedem Apoſtol. obſeruantia enituit* 82.
Confraternitas SSmi Nominis Dei à Fr. Didaco de Victoria eſt inſtituta 86.
Congregatio Franciæ erecta eſt in Prouinciam Occitanam anno 1569. pag. 101.
Congregatio Aprutina S. Catharinæ Senenſis in Prouinciam erigitur 110.
Coradus Aſtenſis eligitur 30. *Ord. Generalis anno* 1462, pag. 72.
Controuerſia de Sanguine Chriſti in Cruce effuſo, inter Minoritas, & noſtros exorta; in fauorem Prædicatorum determinatur. 73.
Controuerſias de Auxiliis, excitata fuit ſub Generali Beccaria 108.
Coronula B. M. V. a B. Iordano compoſita, certas Indulgent. annexas habet 15.
Conradus Koelinus Scriptor inſignis ſub General. Thomæ de Vio Caietani 83.
Conuentus Lemouicenſis factus fuit primus Conuentus Franciæ 10.
Conuentus Rhemenſis, & Aurelianenſis erecti ſunt anno 1218. p. 10.
Conuentus Florentinus Sancti Marci Auguſtinianis traditur, & iterum a noſtris repetitur 92.
Curia Romana ultra montes tranſlata, ibidem remanſit annis 70. pag. 50.

D

B*eata Daniela de Vbevetetri claruit circa* 1352. p. 61.

Daniel Cremenſis floruit ſub Generalatu Vincentij Iuſtiniani 102.
Deſiderius Scalia fuit 37. *ex Ordine noſtro Card.* 112.
Diuiſio Prouinciarum Hiſpaniæ, & Portugalliæ facta ſub Generalatu Leonardi de Datis 68.
Didacus de Aſtudillo doctrina claruit tempore Generalis Caietani 83.
S. P. Dominicus iecit initio Ordinis circa annum 1203. *p.* 5. *apparitione SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli ad prædicationem animatur* 7: *Militiam Ieſu Chriſti inſtituit* 8. *plus quam centum millia Hæreticorum conuertit viuens* 9. *obiit anno quarto a confirmatione Ordinis* 10. *Corpus ejus ſolemni pompa ſubleuatur* 14. *in Sanctorum Confeſſorum numerum refertur* 15. *in arcam pretioſiorem Corpus eius transfertur* 32.
Dominicus Gronier ſcriptis claruit ſub Generali Berengario 52.
Dominicus de Flandria Scriptor, & Theologus, ſub Generalatu Comatii 75.
Dominicus de Mortario doctrina clarus ſub Generali Bandelio 79.
Dominicus a Montemajori a facinoroſis occiditur 86.
Dominicus Soto Caroli V. Imperatoris Confeſſarius, & Scriptor inſignis 94.
Dominicus Anadon ſcriptis claruit ſub General. Beccaria 110.
Dominicus Grauina claruit ſub Rodulphio 114.
Dominicus Pimentellus fit 30. *ex Ord. noſtro Card.* 115.
Domus Pariſienſis S. Iacobi data eſt Fratribus noſtris anno 1218. p. 10.
Durandus Senior multis præclare ſcriptis inclaruit tempore Magiſtri Heruei 54.

E

ELias Toloſan, eligitur 22. *Ordinis Generalis anno* 1367. p. 61
Ad Epiſcopatus diuerſos plurimi ex Ordine noſtro promoti 52. 95. 103. 113. & 117.
Eugenius Papa IV. eligitur anno 1431. & *non* 34. p. 69.
Euſtachius Locatellus doctrina illuſtris, & B. Pio Papa V. charus 105.

F

FEſtum Corporis Chriſti eſt Feſtum FF. Præd. 34.
Feſtum Stigmatum S. Franciſci, a Benedicto XI. Ord. noſtri inſtitutum fuit 47.
Florentini Eccleſiæ rebelles fiunt,

ſiunt & excommunicantur 62.
Franciſcus de Rhetſa de Beata Maria Virgine plurima ſcribit ſub Generali Leonardo de Datis 67.
Franciſcus de Neritono pluribus annis publicus Patavii Profeſſor 75.
Franciſcus de Victoria floruit ſub Generali Garſia 86.
Franciſcus Sylueſter 40. *Ordinis Generalis, multis præclare ſcriptis inclaruit* 88.
Franciſcus Romeus 48. *Ordinis Generalis eligitur anno* 1546. p. 95. *ſub illo facta eſt notabilis reformatio Breuiarii* 96.
Franciſcus Forerius primus fuit Secretarius Indicis 100 *Breuiarum Romanum ex mente Pontificis reformauit* ibid.

G

GAbriel Caſages diſputationibus claruit ſub Generalatu Conradi 73.
Garſias a Loayſia eligitur 39. *Ord. Generalis anno* 1518. pag. 85. *fit* 26. *ex Ordine noſtro Cardinalis* 86. *ſub eius Generalatu viri doctrina inſignes recenſentur* ib.
Garſias de Aura pro fide Martyrum ſubiit anno 1242. pag. 19.
Gerardus de Adaumario electus fuit in 17. *Ordinis Magiſtrum, anno* 1342. p. 58. *idem fit* 15. *ex Ordine noſtro Cardinalis* ibid.
Gratiadeus de Aſculo ſcriptis inclaruit ſub Generali Berengario 52.
Gregorius Nonus electus fuit in Papam anno 1227. pag. 14.
Gregorius Papa X. aſſumptus fuit 1271. pag. 36.
Gregorius XI. eligitur anno 1370. p. 62. *Curiam ultra Montes transfert* ibid.
Gregorius Papa XII. electus circa annum 1406. pag. 65. *idem in Concilio Coſtantienſi Pontificatui ceſſit* ib.
Gregorius XIII. Cathedræ Petri inſedit anno 1572. pag. 106.
Gregorius XIV. fit Summus Pontifex anno 1590. p. 110.
Gregorius XV. electus in Pontific. anno 1621. p. 114.
Gualterius Vuinckenburnus fuit 10. *ex Ordine noſtro Cardinalis* 46.
Guarinus de Giaco eligitur in 19. *Magiſtrum Ordinis, anno* 1346. pag. 59.
Guido de Longimello a Saracenis pro fide Martyrium ſubiit 13.
Guido Flamochettus eligitur anno 1450. *Ordinis Generalis* 28. pag. 71.
Guilhelmus de S. Amore Religio-

ligioſorum oſor iniquus, decreto Pontificio plectitur 22. & 23.

Guilhelmus de Peiranta claruit ſub Pontificatu Alexand. VI. 24.

Guilhelmus Morbea Scriptor excellens, ſub Genarali Ioanne Vercellenſi 34.

Guilhelm. Maresfeldius fuit 9. *ex Ordine noſtro Cardinalis* 46.

Guilhelmus Godin Scriptor præclarus, fuit 13. *noſtri Ordinis Cardinalis* 51.

Guilhelmus Sudre fuit 18. *noſtri Inſtituti Cardinalis* 60. *Scripta nonnulla reliquit* ibid.

Guilhelmus Pepinus floruit ſub Generalatu Thomæ Cajetani 83.

Guilhelmus Parui moderator iuuentutis Regis Galliarum 83.

Guilhelmus Arnaldi Inquiſitor, pro fide Martyrium ſubiit 19

B. Gundiſaluus innumerum miraculorum patrator, obiit circa annum 1257. pag. 31. *in Beatorum numerum relatus a Clemente X.* 119.

H

HAbitus Ordinis noſtri a B. M. V. cœlitus deſignatus, & oſtenſus; tum & ab Abbate Ioachimo prophetice demonſtratus fuit 7.

B. Helena de Hungaria Stigmata Chriſti Domini detulit 38.

B. Henricus Suſo ſanctitate clarus, ſub Generali Simone Lingonienſi 61.

Henricus de Erfodia ſcripſit Chronicon glorioſum ab origine Mundi 61.

Herveus Natalis fuit 14. *Ordinis Generalis* 53.

Hieronymus Sauonarola prophetiæ dono inſignis, & Scriptor præclarus, Florentiæ crematur cum duobus aliis 77.

Hieronymus Bernerius fit 35. *ex Ordine noſtro Cardinalis* 107.

Hieronymus Xauierre eligitur anno 1601. *in* 52. *Ordinis Generalem* 109. *deinde fit* 36. *ex noſtris Cardinalis* ibid.

Hieronymus Mozzarellus floruit ſub Generali Iuſtiniano 102.

Hippolitus Maria Becaria eligitur in Magiſtrum Ordinis anno 1598. p. 105 *ſub eius Generalatu viri illuſtres deſcribuntur* ibid.

Soror Hippolyta de Rocaberti, fuit multorum Librorum auctrix 112.

Honorius Papa IV. electus anno 1285. pag.40.
Hugo de S Charo Scriptor inſignis primus ex Ordine noſtro Purpura donatur 19.
Hugo Seguin Scriptor præclarus fuit 6. *ex Ordine noſtro Cardinalis* 41.
Hugo Campanus 16. *Magiſter Ordinis, eiuſque geſta deſcribuntur* 57.
Humbertus Burgundus eligitur 5. *Ordinis Generalis anno* 1254. pag.22.
S. Hiacyntus Polonus e vita excedit circa annum 1257. pag.31. *adſcribitur Sanctorum numero a Clemente VIII.* 31.

I

IAcobus de Suſato ſcriptis claruit, ſub Generali Leonardo de Datis 67.
Iacobus Brixienſis Theologus, floruit ſub Generali Conrado Aſtenſi 73.
Iacobus Sprenger Sanctiſſimi Roſarii Inſtaurator, claruit circa annum 1484. pag.74.
B. Iacobus Salomonius obiit Forolivii anno 1314. p.52.
Iacobus Naclantus Scriptor præclarus, ſub Generalatu Iuſtiniani 102.
Ieremias Siculus Prædicator famoſus, ſub Generalatu Bartholomæi Texerii 70.
S. Ignatius Fundator Soc. Ieſu, Pariſiis apud noſtros Theologiæ ſtuduit 94.
Imbertus Princeps Delphinatus Ordinem noſtrum ingrediens ſuum Principatum Regi Francorum certa conditione ceſſit 58.
Innocentius Papa IV. eligitur anno 1243. pag.19. *Bullam terribilem contra Mendicantes fulminat* 22. *moritur in pœnitudine, quod Religioſos moleſtaverit* 23.
Innocentius Papa V. ex Ordine noſtro eligitur anno 1276. pag 38.
Innocentius Sextus in Papam eligitur anno 1352. pag.60.
Innocentius VII. fit Summus Pontifex circa annum 1404 pag.65. *idem Tertium Ordinem S. Dominici, & eius Regulam confirmat* ibid.
Innocentius VIII. Summo Pontificatu potitur anno 1484. pag.74.
Innocentius IX. eligitur Pontifex anno 1591. pag.110.
Innocentius X Sedem Petri occupat anno 1644. p.115.
Innocentius XI. ſucceſſit in Pontificatum Clem. X p.119.
Ioachinus Turianus eligitur in Magiſtrum Ordinis 35. *anno* 1487. p.75. *ſub illo* addi-

addita Breuiario noſtro 76.
Ioannes Papa XXI. electus anno 1276. pag. 39.
Ioannes Papa XXII. eligitur anno 1316. pag. 53.
Ioanne Papa XXIII. in Concilio Conſtantienſi deponitur, & incarceratur 66.
Ioannes Lemovicenſis ex 20. *Ordinis Generali, fit*. 16. *noſtri inſtituti Card*. p. 59.
Ioannes Dominici Scriptor præclarus, fit 21. *ex Ordine noſtro Cardinalis* p. 65.
Ioannes Caſanova fit 23. *ex Ordine noſtro Card*. p. 68.
Ioannes de Turrecremata aſſumitur 24. *ex noſtris Cardinalis* pag. 69. *in diuerſis Conciliis Fidei defenſorem ſe exhibet*. ibidem. *Societatem SS. Annunciatæ Romæ fundat*. ibid. *Scripta præclara relinquit* ibid.
Ioannes Aluarez fit 28. *ex noſtris Cardinalis* 90. & ſ q.
Ioannes Teutonicus eligitur in Magiſtrum Ordinis anno 1241. pag. 18.
Ioannes Vercellenſis fit Ordinis Generalis anno 1264. pag. 31.
Ioannes Claree 37. *Ordinis Magiſter, electus an*. 1507. pag. 86.
Ioannes de Fenario Gener. 42. *a Rege Galliarum in Conuentu Toloſano ſequeſtratur, ibique moritur* 90.
Ioannes Baptiſta de Marinis, eligitur in 57. *Ordinis Magiſtrum anno* 1650. p. 115.
Ioannes Thomas de Rocaberti electus in 58. *Generalem anno* 1670. p. 118.
Ioannes Thaulerus Prædicator, & Scriptor inſignis, ſub Magiſtro Simone Lingonien. 61.
Ioannes Capreolus defenſor accerrimus doctrinę S. Thomæ 67.
Ioannes a Monte Nigro in Concilio Florentino Græcos diſputanda ſuperat 70.
*Ioannes de Neapoli Encomiaſtes S. Catherinæ Senenſ*73.
Ioannes de Piſtorio Prædicator miraculorum S Vincentii Ferrerii. ibid.
Ioannes Chryſoſtomus Lavellus Scriptor præclarus, ſub Generali Caietano 83.
Ioannes Benedicti præficitur a Rege Galliæ Ordini Valliſcholarum 94.
Ioannes Nicolai Summam Sancti Thomæ notis doctiſſimis illuſtrat 116.
Ioannes a Sancto Thoma deceſſit anno 1644. p. 114.
Ioannes Baptiſta Gonet, Theologus celeberrimus floruit, ſub Gen. de Marinis 116.

Soror Ioanna de Florentia miraculis celeberrima 61.
Beati Iordani Teutonici electio, geſta præclara, & mors ex naufragio deſcribuntur 13. & ſeq.
Iulius II. eligitur in Pontificem anno 1503. pag.79.
Iulius Papa III. electus anno 1550. pag.97.

L

Latinus de Malabranca fuit 4. *ex Ordine noſtro Cardinalis* 39.
Leo Papa X. Concilium Lateranenſe clauſit 82. *Mendicantium Priuilegia reſtrinxit* 84.
Leo XI. eligitur in Pontificem anno 1605. pag.110.
Leonardus de Datis Magiſter Ordinis 25. *in Concilio Conſtanticnſi pro Martino Quinto votum tulit* 66. *Moritur antequam noua de ſua ad Cardinalatum promotione accepiſſet* 67.
Leonardus de Vtino Scriptor inſignis, claruit ſub Pontificatu Eugenii IV. 70.
Leonardus de Manſuetis Ordinis 31. *Magiſter, in cauſa ſtigmatum S. Catharinæ valde remiſſus eſſe dicitur* 74.
Litteræ encyclicæ, ſeu circulares, cœperunt fieri in Ord. noſtro ſub B. Iordano Teutonico 15.
Latinæ Fratrum Præd. quam mirabilia faciant? Experimentum deſcribitur 24.
Soror Lucia Narnienſis fundauit Monaſt. Ferrariæ 77.
Lutherana Hæreſis quanta damna in Eccleſia Dei fecerit? 84.
S. Ludouicus Bertrandus floruit ſub Magiſtro Conſtabili 106. *Adſcriptus eſt Sanctorum numero a Clemente Decimo* 118.
Ludouicus Granatenſis, multorum Librorum Scriptor, eodem tempore claruit 107.

M

Marcellus Papa II. electus anno 1555. p.98.
B. Marcolinus ſanctitate, & miraculis claruit ſub Generalatu Beati Raymundi Capuani 65.
Manfredus famoſus in Germania Prædicator, floruit ſub Generali Texerio 70.
Martinus Quartus electus in Papam anno 1281. p.40.
Martinus Papa V. eligitur anno 1417. pag.68.
Martialis Auribelli 29. *Ordinis Generalis a Pio Secundo deponitur* 71. *Iterum aſſumitur* 73. *Moritur Auenione* ibid.
Beata Maria de Venetiis Tertiaria obiit anno 1339. pag.58.

B. Margarita de Hungaria virtutibus admirabilis, claruit ſub Generali Ioanne Vercellenſi 38.

B. Margarita de Caſtello e vita migravit anno 1320. pag. 54.

Soror Maria de S. Dominico Monaſter. Petrefixæ fundauit 83. 84.

Martinus Lutherus Hæreſim ſuam dilatare cœpit poſt Concilium Lateranenſe 84.

Matthæus Vrſinus fuit 14. *ex Ordine noſtro Card.* 57.

Matthias de Pace floruit ſub Generalatu Caietani 83.

Melchior canus floruit ſub Generali Vincentio Iuſtiniano 102.

Melchior Moſticenſis claruit ſub Magiſtro Ordinis Beccaria 109.

Michael Bonellus fit 33. *ex Ordine noſtro* Card. 105.

Michael Mazzarinus creatur 40. *ex noſtris Card.* 116.

Monaſterium de Prulliano fundatum eſt in initio Ordinis pag. 5.

Monaſterium S. Sixti de Vrbe a S. Dominico erectum 6.

Munionis Zamorenſis electio, & acta deſcribuntur 40.

N

N*Icolaus Papa Tertius electus anno* 1277. pag. 39.

Nicolaus IV. aſſumitur ad Pontificatum anno 1288. pag. 41.

Nicolaus Papa V. Ordinis noſtri amicus eligitur anno 1447. pag. 72.

Nicolaus Boccaſinus eligitur in 9. *Ordinis General.* 43. *Idem primo ad Cardinalatum, deinde ad Pontificatum euehitur* 45. *Miraculis poſt obitum claret* 47. & ſeq.

Nicolaus Pratenſis fit 8. *ex Ordine Cardinalis* 46.

Nicolaus Farinula fuit 12. *ex noſtris* Cardinalis 50.

Nicolaus Roſelli aſſumitur in 17. *ex Ordine Cardinalem* 60.

Nicolaus Niſquinus fit 19. *ex noſtris Cardinalis* 63. *Scripta præclara relinquit* ibid.

Nicolaus a Scomberg creatur 27. *ex Ord. noſtro Card.* 90.

Nicolaus Rodulphius 55. *Generalis, ab officio deponitur* 113.

Nicolaus Triuet ſcriptis præclarus, floruit ſub Generali Herueo Natali 54.

Nicolaus Coeffetæus multorum Librorum Author extitit 112.

Nomen Prædicatorum *ab Innocentio III. nobis impoſitum* pag. 6.

O

Octauæ ſolemnes quatuor ſunt inſtitutæ ſub Generali Ioachimo Turiano 76.

Officium pro feſto Sanctificationis, & Viſitationis Beatæ M. V. Magiſter Bardellus dictavit 78.

Officium Secretarii Indicis, primus in Ordin. noſtrum invexit Fr. Franciſcus Forerius 100.

Oliuerius Brito claruit ſub Magiſtro Stephano Biſuntino 42.

Ordo Sororum ſecundi Habitus a S. P. Dominico originem habuit 5.

Ordo noſter ab Honorio III. confirmatus anno 1216. pag. 7.

Ordo Fratrum, & Sororum de Pœnitentia a S. P. Dominico inſtitutus, & a Pluribus Summis Pontificibus confirmatus fuit 9.

Ordo B. M. de Mercede Redemptionis Captiuorum, a Beato Raymundo de Pennafort fundatus fuit 18.

Ordo Sororum Beatæ Mariæ Viginis a quo, & quo tempore originem habuit? 47.

P

Paganus Scriptor illuſtris floruit ſub Generalatu Heruei Natalis 54.

Paſchaſius Hiſpanus ex Ordine noſtro fuit Epiſcopus Burgenſis 78.

Paulus II. in Pontificem acclamatur anno 1464. p. 73.

Paulus III. electus an 1534. Concilium Tridentinum in diuerſis locis indixit, ac inhoari fecit 90.

Paulus Papa IV. fundator Congregationis Theatinorum 99.

Pvulus Papa V. electus anno 1605. pag. 111

Paulus Butigella eligitur 41. Ordi. Magiſter anno 1530. 88.

Paulus Conſtabilis fit 49. Ordinis Generalis anno 1580. pag. 107.

Puulus Socinas Scriptor inſignis, ſub Genetali Bartholomno Comatio 75.

Paulus de Monelia Epiſcopus Chy, & Legatvs Budæ obiit 76.

Paulus Hungarus plurimos ad fidem ſua prædicatione conuertit 11.

S. Petrus Veronenſis ab Hæreticis occiditur, & paulo poſt Canonizatur 21. Eius Corpus in arcam pretioſorem transfertur 58.

Petrus de Tharentaſia fuit 3. ex Ordine Cardinalis 36.

Idem

Idem aſſumitur ad Pontificatum anno 1276 pag 38.
Petrus Bertanus fuit 31. *ex Ordine Cardinalis* 97.
Petrus de Palma eligitur 18. *Ord. Magiſt. an.* 1343. 58.
Petrus Roſchinus fuit aſſumptus ad Generalatum anno 1450. pag 71.
Petrus de Bergamo Scriptor, & Doctor inſignis 75.
Petrus de Soto, Caroli V. Imperatoris Confeſſarius, & Scriptor celebris 94.
Petrus de Lugano, Pauli Papa IV. Confeſſarius, & Ordinis Vicarius 99.
Petrus de Tapia fuit Epiſcopus Hiſpalenſis 116.
Petrus de Godoy Epiſcopus Oxomenſis, & Scriptor inſignis 116.
Petrus M. Paſſerinus Scriptor præclarus, ſub Generali de Marinis 117.
Petrus Paulus Aretinus floruit ſub Generali Vincentio Iuſtiniano 102.
Petrus Ioannes Guaſch Fundator Conuentus S. Raymundi 110.
Pius Papa Secundus electus anno 1458. *Sanctam Catharinam Senenſem canonizavit* 72.
Pius III. fit Summus Pontifex anno 1503. pag. 79.
Pius Papa Quartus Pontificatum tenuit anno 1560. pag 103.
B. Pius Quintus ad Pontificatum evehitur anno 1566. pag. 103. *In Beatorum numerum refertur a Clemente X.* 118.
Soror Pina de Piſis, pietate inſignis, floruit tempore Generalis Lingonienſis 61.
Philippus Giezza de Ruffinis, fuit 20. *ex noſtris Cardinalis* 63.
Philippus Thomas Houardus factus 43. *ex noſtris Cardinalis* 118.
Profeſſiones, & reditus ut habemus, diſpenſavit Sixtus Papa IV. 74.
Pontius Hiſpanus Inquiſitor pro fide ab Hæreticis Martyrium ſubiit 21.
Prouinciæ Indiarum exdiuiſæ, & ſuis limitibus circumſcriptæ fuerunt in Capitulo Salmatino 97.
Prouinciarum numerus a principio Ordinis quantus fuit, & quomodo ſenſim creſcere, & augeri cœpit? p. 14. 44. 68. 85. 89. 102. & 110.

R

R*Aymundus de Pennafort eligitur in* 3. *Ordinis Magiſtrum an.* 1238. pag. 16.
B. Raymundus de Capua eligitur

gitur in 23. Ordinis Magiſtrum anno 1380. pag. 64. Scripſit Vita S. Catharinæ Senenſis 64.

Raymundus Capiſuccus fit 44. ex Ordiue noſtro Cardinalis 119.

Raymundus Iolinus, Inquiſitor Toloſanus, exilio ab Hæreticis plectitur 87.

Raymundus iſanus ſcriptis claruit ſub Generali Berengario 52.

B. Raymundus Habitum Ordinis noſtri a B. V. M. ſibi apparente accepit 7. Corpus eius anno 400. incorruptum inuentum eſt 10.

Regula Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Patri Dominici a Magiſtro Munione Zamorenſi dicta fuit 40.

Robertus Kilvvarbius Scriptor celebris fuit 5. ex noſtris Cardinalis 39.

Robertus Domus Avenionenſis ſanctitate, & dono prophetiæ illuſtris 42.

Robertus Holeko ſcripta præclara poſt ſe reliquit 52.

Robertus Cremonenſis primus ex noſtris Pariſiis Theologiam docuit 13.

S. Roſa Limenſis obiit anno 1617. p. 112. Canonizata a Clemente X. 118.

S

Sancti diuerſi ex Ordine noſtro Canonizatur a Clemente X. 118.

B. Sadochus cum 38. Patribus a Scythis Martir Occumbit 31.

Saluus Caſſetta electus in Magiſtrum Ordinis 32. anno 1481. p. 74. Legatur in Teutoniam mittitur ibid. Corpus B. Alberti Magni in loco pulchriori collocat. ibid. Brachium illius ſecum defert ibid.

Salue Regina, quam ob cauſam poſt Completorium decantari conſueuit? 11.

Schiſma in Eccleſia Dei, & Religione noſtra exortum, ſub Vrbano Papa VI. 62.

Scriptores diuerſis ex Ordine noſtro floruerunt ſub Pontificatu Gregorii X. 37.

Scriptores celebres ſub Magiſterio Berengarii recenſentur 52.

Scriptores noſtri contra Probabilitatem opinionum 117.

Seraphinus Caballus eligitur in Generalem 48. an. 1571. pag. 105.

Seraphini Sicci Papienſis electio, & præclare geſta deſcribuntur 111.

Silueſter Prierias multa præclara ſcripta reliquit 83.

Si

Simonis Lingonienſis in Generalatum electio, Virique ſub illo illuſtres recenſentur 59.
Sixtus IV. Pontificatu potitur anno 1471. p.73. Mare magnum, & Bullam auream *concedit* 74.
Sixtus V. Minorita in Papam eligitur anno 1586. pag. 107.
Sixtus Fabri electus 50. *Ordinis Magiſter, per Pontificem ab officio depoſitus fuit* 108.
Stephanus Biſuntinus fuit 8. *Ordinis Generalis an.* 1292. pag. 42.
Stephanus Vſuſmaris eligitur 46. *Ordinis Magiſter anno* 1553. p.98.
Stephanus Archiepiſcopus Pariſienſis, articulos ſuos contra doctrinam S. Thomæ retractauit 55. 56.
Stephanus Paris fuit Rothomagenſis Eccleſiæ Suffraganeus 94.
Synodus Viennenſis celebrata fuit ſub Clemente Papa *V.* 50.

T

TEmplarii opera Fratrum Prædicatorum in Synodo Viennen. damnatur. 50.
Tertius Ordo S. Dominici, & eius Regula ab Innocentio VII. confirmatur 65.
S. Thomas de Aquino Ordinem ingreditur 33. *Officium Corporis Chriſti componit, illiuſque Feſtum celebrari procurat* 34. *Moritur Foſſæ-nouæ apud Ciſtercienſes* 38. *Doctrina eius a diuerſis impetitur, ſed a noſtris Scriptoribus ſtrenue defenſatur* 41. *Eius gloria reuelatur* Fr. *Albertus de Brixia* 52. *Corpus eius ad Conuentum Toloſanum defertur* 60. *Canonizationis illius proceſſus deſcribitur* 54.
Thomas Ioſius Scriptor inſignis fuit 11. *ex Ordine noſtro Cardinalis* 50.
Thomas Caietanus ex Magiſtro Ordinis fit 25. *ex noſtris Cardinalis* 80. *Legatus in Germaniam mittitur* 81. *Lutherum ad ſe citat, & conuincit* ibid.
Thomas Badia Mutinenſis fuit 29. *ex noſtris Card.* 91.
Thomas de Firmo eligitur 24. *Ordinis Magiſter an.* 1401. pag 64. *Sub illo Prouincia Lombardiæ diuiditur* ibid.
Thomas Turcus fit 56. *Ordinis Generalis an.* 1644. p. 114. *Libros diuerſos Scriptorum Ordinis noſtri imprimi curat* ibid.
Thomas Senenſis obiit cum opinione ſanctitatis 65.

Thomas Donatus Patriarcha Venetus, floruit ſub Pontificatu Alexandri VI. 76.
Thomas Lemos pietate, & doctrina inſignis, ſub Generali Beccaria 108.
Thomas Manrique floruit ſub Generali Iuſtiniano 102.

V

B. VAnna Vrbeuetana miraculis claruit 71.
Valentinus Camers Vir magnæ ſcientiæ, claruit ſub Generali Comatio 75.
Vercellinus de Vercellis doctrina inſignis, ſub Generali Contado Aſtenſi 73.
Venturinus de Bergamo Prædicator inſignis, floruit ſub Generali Hugone 57.
S. Vincentius Ferrerius miraculis clarus moritur anno 1419. *pag.* 64. *Reponitur in Sanctorum numero* 73.
Vincentius Bandellus eligitur 36. *Ord. Generalis* 78.
Vincentius Iuſtinianus fit 47. *Ordinis Magiſter* 99. *In Concilio Tridentino Religioſorum Priuilegia acriter defendit* 100. *Promouetur ad Cardinalatum* 101. *Eius tempore Viri illuſtres recenſentur* 103.
Vincentius Maculanus fit 39. *ex noſtris Cardinalis* 113.
Vincentius Vrſinus aſſumitur 42. *ex Ordine noſtro Cardinalis* 118.
Vincentius Merlinus doctrina clarus, ſub Magiſtro Ioachimo Turiano 76.
Vincentius Bellouacenſis, Scriptor inſignis ex Ordine noſtro 30.
Victoriæ quomodo in Ordinem noſtrum inuectæ fuerunt? 90.
Vicaria S. Petri Martyris in Prouinciam erigitur 110.
Vniuerſitates pro Curſu graduandorum exercendo decretæ ſunt ſub Generali Romeo 96.
Vrbanus IV. electus in Papam circa anno 1261. p. 30.
Vrbanus V. Monachus aſſumitur ad Pontificatum anno 1362. *pag.* 60.
Vrbanus Sextus fit Summus Pontifex an. 1378. p. 62.
Vrbanus VII. proueb tur ad Pontificat. an. 1590. p. 109.
Vrbanus VIII. eligitur in Papam an. 1623. p. 113.

LAUS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
424381

Saccheri
Ludovico 1858
1858

Maccheri

Lodovico

858 [illegible]